




2298

2298
XXXI - 2

360









CURSUS
THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ
IN VIA N. SUBT. MARIANI QUE DOCTORIS
JOANNIS DUNS SCOTI
PER QUATUOR EIUS SENTENT. LIBROS DECURSUS.

TOMUS OCTAVUS.

DISPOSITUS, ATQUE ELUCIDATUS AB OB-
servanti ex Ordine Minorum Seraph. P. N.
D. Francisci.

R. A. P. F. MARCO ORDOñEZ LEC-
tore his Jubilato, Apostolice Provinciæ D.

Jacobi Patre, & huius almæ Titulo
Immaculatæ Conceptionis in veteri.

Castella Patre, & alumno,
Dedicatur.

SERAPHICO PARENTI N. DIV.
Francisco.

VALLIS-OLETI

APUD SANTANDER.

Este tomo octavo es de D^r Narciso Ordaz
 Padilla nacido de la Villa de Olibares de
 Duero obispado de Palencia y curante en
 esta Real Universidad de Valladolid en el Gene-
 ral de Scoto, y lo firmo en ella a diez de
 Abril año de mil setecientos y veintay nu-
 eces

D^r Narciso Ordaz
 Padilla

Ahora es del V^{to} de Fr Santiago Gattón con licen-
 cia de su Prelado el R^{do} P^r Prado en Sevi de Agosto
 de 1769.

SERAPHICO PARADISO IN DIA
 Huncijio
 AVITTOLETI

HOMINI APOSTOLICO, ET SERA-
phico,

SIMILI HOMINIS FILIO,
quantum fas est effari de homine
puro. Virtutum omnium niti-
dissimo Speculo,
ante obitum mortuo, post mortem
vivo,

Ss. PARENTI N.

D I V O FRANCISCO:

DEBITUS HONOR.

O Patriarcha Pauperum!

THEOLOGICI Cursus opus postremum te que-
rit Patronum, gratitudine nostra reddent, ita
honorem tanto Parenti debitum, juxta Eccle-
siastici monitum: *in opere, & sermone honora*
Patrem tuum: dicatur tibi opus, ut detur Patri decus, quod
per exilem sermonem apparebit maius; reapseque maius,
quia talia tangit istud postremum opus. Sanctorum Filiorum
sub

tutamine, & umbra prodiere volumina alia : tibi consultò servatur pars ultima, ut fias operis totius finis, & corona, sicuti coronat Theologicum nostrum opus Tomus iste octavus. Aspiceris ita meritissimus Colophon in materia ; & materia extat tibi meritissime dicata; agente enim de triplici virtute Theologica, & erga cardinales, & morales contingente perplura, nulli munus offertur aptius, quam tibi arripienti talium virtutum onus, adeoque vivide, ut fuerint viventi recta vita, regula, & forma : exin conclamitaris ab Ecclesia, *Patrie lux, forma Minorum, virtutis speculum, recti via, regula morum;* ut sic videaris non tam omnis virtutis executor probus, quam ipsa meherculè virtus. Ex capite bino-exposito Parenti Seraphico libatur liber consultò, & meritò; tum quia Colophon Scotico Cursui impunitur ; & quoniam Pater Patronus forma virtutum cernitur, sicque in utroque apprimè honoratur, Oraculi divini mens impletur ; *in opere, & Sermone honora Patrem tuum;* quodque in assumpto à Poeta canitur , Aeneid. 3.

*Eia age, chare Pater, cervici imponere nostræ:
ipse subibo humeris, nec me labor ille gravabit.*

Patri tribuitur honor, dum consecratur illi operis labor: honoretur modò, esto sermone exiguo, pro tenuissimo captur nostro (laudare igitur Parentes nostros in generatione sua iubemur.) & ex excusis fiet luce clarus, quod haud valeat au-
cupari aptior Patronus ; cum extiterit virtutis cultor, & virtus. Ab incunabilis laudum capiat sermo noster exordium.

2 Similis effulges Filio hominis, Pater Seraphice, in muluis; cum similia de te enarrent Cæli, ac de Christo Deo vero, quantum enarrare fas est de homine puro. Tuum in alvo conceptum cœlestia lumina pangunt, que horridam noctem placide vertebant in diem, gaudiumque Vallis-Spolietanis, & Assisiis ingerebant. Angelici concentus prænuntiati

tiarunt ortum ; chorus erat Deiparę Sacellum, in quo , uti
in terrena portiuncula , fixit familia tua pauperula fun-
damenta prima. Per menses aliquos præivit ipsum aliud haud
contemnendum oraculum , dum palam verbum PAX , &
BONUM profertur iteratò ab homine ignoto : hinc inter
concives Assisii exurrexit crebra salutatio , PAX , & BO-
NUM : at non mirum ; si ad soli natalis decus , & solati-
tum pacificè extiturus eras utilissimum bonum : ita prævenit
Cœlum natalitia tua , sicut & Christi D. vox prophetica;
dam ex alto fit mundo utriusque conspicuus conceptus , &
ortus. Ex capite altero amplior detegitur cum Christo simi-
litudo.

3 Periculoso partu laborante felici tua genitrice,
Angelus peregrini specie designat locum vicini stabuli, ubi
cessante matris angore , negotioque levi, intueris exemplò
lumen mundi : est sic parvulo stabulum reclinatorium pri-
mum ; & à primo vitę limine assimilatur suo Creatori , cui
pro lectulo inserviunt stabulum , & præsepe. In sacro bap-
tismatis fonte occurrit Patrinus Angelicus sub eadem specie:
te inter ulnas recreante nutrice , mira rubra signaris cru-
ce in humero dextro ab altero Angelo , qua per totius vi-
tae decursum fecisti super humoros tuos principatum : cru-
ce insigniris , dum nasceris ; crucem vivendo non deseris;
comitatur crux , dum spiritum emittis , qua efficeris exem-
plar Redemptoris. Hunc in Bethelehem adorant Magi ; cul-
tum tibi præstant Assisi; eorum sacra ossa , dum te coram
vehicularia curvantur animalia bruta ; tecumque agunt mor-
tui , quod cum Deo infantulo vivi. In medium prodeat
nunc tremor inferni. Venit Incarnati Verbi temporaria na-
tivitas , ut princeps huius mundi ejiceretur foras ; & tua ei-
dem bellum cruentissimum paras ; quia te Deus elegerat sus-
citatorem vite Apostolice , munimen , & reparatorem Eccle-
siæ

siæ ferè collapsæ , præconem pœnitentię, baiulum Crucis, & vexilliferum dominici gregis, queis muneribus , & viribus exulet inferni principatus, quo exorbitabat mundus penè universus. Sic coniectat perfidas Angelus ; pavet infernus totus, cum tuum noscit ortum adeo mirandis signis cælitùs prænuntiatum: hinc pavida confusio , atque insolita invadit tartara , angente Lucifero, quia natus eit homo novus in mundo. Invidus , & atrox plurima tentat, ut vitam tuam è medio tollat ; verùm laborat frustra ; quia habitas in adiutorio Altissimi commorans in protectione Dei Cœli ; arat in vanum iacens recte ante oculos pennatorum.

4 Favenre Dei gratia (quam nunquam delevit læthalis culpa) insons degis in pueritia , pauperibus subveniens miseratione longa , quæ tecum facete crevit ab infantia , firmiter proponente haud excutere inopem , qui Divinum allegaret amorem. Negotijs deputatus lucrativis per plus intendis in egenorum levamen pecunias erogare , quām auri thesauros recondere : propterea furor in te patris obiurgat , carcerat , vincit; sed matris clementia solvit. Absimilis filio prodigo avide petenti contingentem portionem substantiæ cunctæ renuntias terrenæ , paterneque generationi , cupiens pro votis vocare patrem tantum eum, qui est in Cœlis. In Assisi Episcopo mittis nuntium mundo , rejecto adhuc induimento proprio : manes hoc facto nudus ; at hispida veste te contegit Episcopus. Ex tunc irrisoriis opprobrijs impeteris , vi-sus ceu demens , cunctis, præfertim dum inservires leprosis , & incuberes Ecclesiis reparandis : at patuere postea quę tunc parabat gratia.

5 Parabatur aterno Dei consilio pro mundo inновando novus homo ; quare superno excitaris auxilio , ut dares te sedulò muneri Apostolico , huius renovans institutum hominum, oblivioni ferè traditum. Pandit sien-

fienda sacrum Evangelium , quo duce , & Christo afflante , institutis Minorum normam , litteris mandas Regulam ab illo inspiratam , quæ format vitam undequaque apostolicam , & qua informas pauperes alumnos ad vitam in pauperie fundatam : hos hinc inde congregas , vel potius sequentes Dei nutum pauperum Minorum inchoant pusillum cœtum , cuius post sonus exiret in universum mundum . Regulam Minoritici Instituti , Divo agente flamme , approbat , & confirmat successor Petri , quæ ab aliquibus uti impar humanis viribus taxatur ; sed oppugnantium ratio divinitus evincitur tum somno , tum efficaciter eloquenti ratiocinio : statimque cum Filiis alacriter suscipis reformationem tibi crediti Orbis . Hanc cum deceat sanctitudo reformantis ; iam pateat qualiter sis specimen omnis virtutis , quam inclytè te geras , maxime in Theologicis , quarum pervigil studium te constituit meritissimè operis huius Patronum , quod illarum claudit assumptum præcipuum . A fide , prima ordine , sumitur exordium .

6 Quæ , & quanta sit firmissima catholica fides tua ? expendunt , Regula , & vita : pandit erga fidem obsequium tuum alterutra : præcipis in illa , qod nullus ex tuis recedat ab Ecclesia Catholica Romana : quod neminem credere , aut docere deceat , nisi quod ista doceat : reverentem obedientiam Pontifici promitis Romano , eandemque strictissimo precepto committis gregi tuo . Claudit ista , & alia Seraphica Regula : multo maiora aggreditur Seraphica vita , & in Deum fides utique fervida , cuius te ducit obsequium affectuosum usque ad ultimum spiritus hiatum . Salutari fide cupiens imbuere mundum , nomen Christi Domini extendere à Solis ortu , usque ad occasum , mortalibusque cunctis notum fieri Evangelium , sociis præbes commematum , post probatum prædicationis officium : lustrant isti oc-

ci-

cidentales plagas; tu cùm duodecim ad orientales prope-
ras, ut per te, & tuos nuncietur sacrum eloquium, fides
que vera mittat radices ubique terrarum. Sociis bis sex as-
sumptis, aliis per Hungariam, Galliam, Hispaniam, Afri-
cam, aliasque Regiones dispersis, iter ad Suriam dirigis, ut
fidem Christianam semines, & locum gloriosum accipias in-
ter Martyres; ob id Ægypti Soldanum convenis, eo coram
verbum bonum eructas, & vite viam palam demonstras
certissimis signis, optans confirmare eructata effusione san-
guinis: Verum dum quæris Tyranum, agnum invenis man-
fuetum, & benevolum amicum qui te auscultat libenter,
affaturque gratanter: in aliis populis barbarie infectis, in
Palæstina te deserit diu desiderata corona; quare assumis
redditum ad natale solum, ubi te expectabat productius
martyrium, sed, ob auctorem, dulcius impactum, licet à
cruciatu haud alienum: sic non emissio sanguine proprio oc-
cubas revera martyr desiderio, at multiplici coronaris lau-
ro, dum innumeri Filii fidem elucidant cruore suo: in
quolibet vincis, & martyr eluces; quia magister Marty-
ris: en solidissima sipes huius novi hominis, cui eam in-
vehere in partes detecti orbis non visum est satis; prophe-
tat propterea in tunc absconditum mundum esse inferen-
dam ope suorum. Faustum hominis omen! fauste in America
expletum per Minorum agmen. De spe agamus cursim.

7 Maximam spem tuam ex gestis scio, sed quibus
laudibus eam efferam nescio. Spiritali afflictione diu ta-
bescis, aut spiritus turbida desolatione intimè crucianis: Di-
vina lux recedit, consalatio fugit, & te orbatum solita frui-
tione relinquit; quoniam dilectus ad tempus declinavit.
Quo te vertas, dubitas, vel ignoras, te perplexum undique
conturbante obscura caligine: ast solidissima spes in Deum

dilectum te reddit securum ; salubriter ducit ad portum; quia sperasti in Deum vivum ; & ita spe sola duce evanescunt funditus tenebre; eademque fretus per ardua recogitat animus, & carpitur fructus. Spe tua vividissima extollitur reapsè Divina providentia , dum janctans in Domino cogitatum iperas aseclarum tuorum sufficiens nutrimentum , quin sit irritum votum , quod firmat , & confirmat multiplex prodigium ; sic alente famelicam turbam pauperum qui dat escam pullis Corvorum. Fiduciam prædicas filiis quærentibus eleemosynas, quæ parantur plerumque confessim potentibus ostiatim , vix , aut nunquam deficiente alimonia his , qui ad tui exemplar reliquere terrena. Hæc facit , & perficit spes tua , qua gignitur, & roboratur nostra ; providetque clementè Pater Omnipotens propter spem heroicissimam Patris. Modò ad tuam eximiā charitatem faciamus gradum , ut fiat plenum oblationis nostræ motivum.

8 Flamescis adeo divini amoris incendio, exureris tantoperè isto, ut Seraph decanteris communī calculo , cuius rem nominis exequeris profectò : si enim Seraph est amoris plenitudo, ea plenitudine prædictus existis circumquaque ; tum erga Deum opere, cupiens in summum Bonum flagranti dilectione transformari, huic intime uniri ; & capis, & quod cupis, intus, & foris: medullitus Bono infinito voluntas copulatur ; mens nunquam ab eo evellitur ; & corpus mirandis stigmatibus insignitur in volis, plantis, latere, dum formam Crucis, & Crucifixi gerere vis corde , ore , & opere: extunc vividius signaris imago simillima Redemptoris: interius, & exterius efficeris homo novus coelitus infixis plagis , quas traxit vis amoris. Huius tum erga proximum magis in dies excitaſti incendium, iam docendo, iam in commune commodum stupenda patrando , obſequentiibus elementis imperio tuo , morte , & inferno : narrant hi qui ſentiunt , dicant qui recipiunt. Charitas tua eximia producit ultrà , dum adhuc perrumpis infernum chaos, vinclis catenas detrahis , & misericorditer charitatem ad inferos usque protrahis ; excellens prærogativa eſt talis. In hora im-

præssionis sacrorum vulnerum concescit Dominus Parenti Francisco privilegium extrahendi quotannis die p̄fato animas Filiorum , & sibi devotas ex purgatorio , sicut ille in die Resurrectionis Patrum animas eduxit ex Limbo : utitur pater modò privilegio miro , cui placet aptare, quæ capite nono exaravit Zacharias de victore Christo: *tu quoquè in Sanguine testamenti tui emisisti Vinctos tuos de lacu.* Hęc est charitas viri istius Seraphici , quę obitu non expirat , sed post mortem durat, quę finem haud agnoscit, sed qua sinefine, & ultra finem diligit, & dilexit; qua demum Deum singulariter sibi, intimèque coarctat, & unit ; quæque eum inter Cælicolas affabré discernt. De virtutibus tuis Cardinalibus , & moralibus peccatiarem. Sermonem instituere foret in immensum orationem extendere: sat sit unum scire , quod cuncta ferme opera tua approbarunt cælica signa; confirmarunt miracula innumera; quia cuncta operatus es recte valde , duce cœlesti numine, Matre favente Virgine.

9 Cum igitur sis , SS. Pater, virtus ipsa , & virtutum omnium specimen , & forma ; cui dicaretur aptius Liber tractans de Virtutibus ? cui proprius , quam Parenti , cui competit ex debito , & justitia , quod sit laboris nostri Colophon , vel corona ? honor , & laus propè summa ? Opere te honoramus , quantum possumus ; quia tibi opus offerimus ; & in quantum possumus sermone te honoramus ; quia aliqualiter virtutes innuimus ; sicque mandatum Ecclesiastici implemus; *in opere , & Sermone honora Patrem tuum.* Affert totum debiti elogii parum ; ast attende , quod offert cor purum , et si sit parvum donum : offert cor humillimum; sed affectibus plenum , queis optamus te comittari perpetuo demptum solo, datum polo. En, Pater Seraphice , honor in utroque: Atpice, suscipe, æternalitè vive, & per cuncta sæcula VALE.

*Pro tora tua Immaculate Conceptionis Provincia
pedum osculatur humillimè Vulnera Sacra*
Fr. Bonaventura de Herron,
Minist. Provincialis.

DICTAMEN, ET APPROBATIO Ordinis.

EX comissione, & mandato N. R. Patris Fratris Petri Ioannis de Molina, Sacrae Theologiae Lectoris antiqui, in regio congressu pro Immaculata Conceptione Theologi, ac totius Ordinis S. P. N. Francisci semel, & iterum Ministri Generalis, atenté vidimus, & magna animi voluptate perlegimus octavum volumen *Cursus Theologiae Scholastice* huius Alme Immaculatae Conceptionis Provinciæ, complectens Tractus de *Virtutibus Theologicis, & Moralibus, ac de Donis, & Fructibus Spiritus Sancti, &c.* iuxta mentem N. Venerab. Subt. Marianque Doct. elaboratum à R. P. Fr. Marco Ordoñez, Lect. Jubilato, ac Divi Jacobi Provinciae Patre: illam namque claritatem cum eruditione, & brevitate coniunctam, quam primis ab annis in Autore experti, miratique fuimus, dum eum nosmetipos erudientem audivimus, in hoc præstantissimo Opere iucunde conspicimus: ac proinde Author perfectissime servat, quod ad nitidam perspicuitatem obtinerendam Quintilianus quondam præluxit: *Nobis, inquit, prima sit virtus perspicuitas, propria verba, rectius ardo, non in longum dilatata conclusio, nihil neque desit, neque superfluat, ita sermo, & doctis probabilis, & planus imperitis erit: ut animum lectoris ejus oratio, ut sol, etiam si in eam non intendatur, incurrit.* (Quint. lib. 8. inst. cap. 2.)

In hac igitur copulatione mirifica ingenium Authoris clausens, ac velut Sol illuminans, per omnes hujus Voluminis Tractatus respiciens, cuncta recte disponit, mentem Subt. Doct. verè sequitur, eruditè explicat, strenue defendit, liquidoque eius doctrinam diffundit, ac difficultates Theologicas, quæ inter Scholasticas obscuriores, difficilioresque sunt, ita dilecide discutit, ut ei adaptare possimus, quod Vincent. Lyrin. dicit: *intelligitur te exponente, illustrius, quod ante obscurius credebatur.* Deinde, si modeitiam, qua Author suas opiniones propugnat, & rationibus in contrarium obstantibus satisfacit, ac fallaces argumentationes detegit, attente inspiciat quisque notavit, quod virtutibus

bus , de quibus tractat , munitus , ita honeste loquitur omnibus , sicut decet , ut sententias oppositas disteriis , vel oprobriis neque in minimo offendat .

Cum tandem in toto hoc utilissimo Opere non , nisi sana , vera , ac prorsus immaculata doctrina contineatur , nihilque , quod Catholicæ Fidei dogmatibus , Regiisque Sanctionibus , ac bonis moribus aduersetur , illud dignum judicamus , prælo , & publicæ luci donetur . Sic sentimus (salvo semper meliori judicio) in hoc Regali S. P. N. Francisci Vallis Oletano Conventu , die 11. Januarii anno Incarnationis Dominice 1767.

Fr. Joannes Nieto
Lector primarius Sac. Theolog.

Fr. Frantiscus Flores.
Sac. Theolog. Lect.



13

FR. PETRUS JOANNETIUS
de Molina, Sacrae Theologiæ Lector
Catholicæ Maiestatis in regali con-
gressu pro Immaculata Virginis
Conceptione Theologus, totius Or-
dinis Fratuum Minorum S. P. N.
Francisci iterato Minister Genera-
lis, & servus. Dilecto nobis pluri-
mum in Christo DÑo. Fr. Marco
Ordoñez, Lectori Jubilato, nostræ-
que Provintiæ Immaculatæ Concep-
tionis Filio salutem, & Seraphicam
benedictionem.

OPUS Theologicum à te scriptum, ac elaboratum, in uno
volumine congregatum, cuius titulus est: *Cursus Theo-
logie Scholastice, Tractatus de Virtutibus Theologicis, & Moralibus,
ac de Donis, & Fructibus Spiritus Sancti*, ut Typis evulgare possis,
quantum nostra interest, cum merito salutaris obedientiæ & nos-
tra benedictione, facultatem concedimus, eò quod de commis-
sione nostra à duobus Theologis nostri Ordinis recognitum, & ap-

probatum fuerit , servatis aliis cætérís de jure servandis. Dat.
in hoc S. P. N. Francisci Matriti Conventus die 20. Januarii, An-
no Dominicæ Incarnationis 1767.

Fr. Petrus Jeanetius de Molina
Minn. Generalis.

*APPROBATIO R. P. FR. ANGELI MOLI-
nos , Magistri Sacri Ordinis Predicatorum, &
Primariæ Cathedræ Sancti Thome in Universi-
tate Vallis-Oletana Moderatoris.*

QUOD mihi ab Illmo. D. Isidoro Cosio hujus Ctvitatis Episcopo dignissimo demandatum est, attentè legi hunc Tractatum de Fide Theologica, in quo nihil novum, sed antiquam, ac communissimam Subt. Doct. doctrinam offendit. Et his tamque de re Theologica bene sentiet, is me huius operis elogium gravitatis plenissimum arbitrabitur. Nam de Sacra Scientia cum agitur, id ipsum quod de illa, quæ circa antiqua monumenta versatur arte, dicendum existimo: profectò mirum est istarum rerum peritos quam delectet antiquitas: in rebus annosis, ac veterrimis conquiriendis totam suam operam, ac delicias collocant, qui si post immensos exanthalatos labores antiquum aliquid invenerint, se reperisse putent thesaurum longe pretiosissimum. Sic ego semper de Theologia constitui, in qua res non novas, aut vias insolutas laudo, quarum cum facies sit speciola, extrema ducunt in perditionem: quod & de universa Theologia verum est, & de hac præcipue ejus parte, quæ est de Fide, cuius sanctissimis dogmatibus cum temporum decursu nihil novitatis accretat, Theologi, cui credita sunt eloquia Dei, non est aut invenire nova, aut ob ingenii ostentationem à communi aliorum lensa discedere; sed antiquorum probatissimorum Doctorum emitis inhærente. Hanc doct. inam à Rmo. P. Rneck primo huius Cursus Authorē, atque ab aliis Magistris dignissimis in tomis precedentibus,

bus probè intellectam conspexi, & nunc in isto ab admodum R. P. Fr. Marco Ordóñez lumina religione observatam vehementissime laetor, ut ex uno in toto opere propagato spiritu satis constet, hunc discipulum esse illius, eumque fidelissimum. Quod non ideo dixerim, ut in Authoris laudem oratione difluam, ipsum namque opus solum, & sine comite & se, & Magistrum legentibus commendabit; sed ut rogatus ego sententiam, eam sincerissimè exponam, & Magistris dignissimis quasi stimulos admoveam integro huius Theologiae corpori perficiendo, quo rerum novarum odium, atque antiquitatis amor ingeneretur juvenibus in sacra scientia erudiendis. Quare & hunc Tomum Octavum, qui publici juris fiat dignum censeo, & iterum ab ipsis Authore, & operi suscepito insistat, non modo peto, sed etiam suadeo. Sic sentio (salvo &c.) in Conventu Sancti Pauli Vallis Oletabii S. Ordinis Prædicatorum, die duodecima Mai anni Dñi. 1767.

Fr. Angelus Molinos

LICENCIA DEL ORDINARIO

Mediante por la Censura retroscripta, que el Tratado de *Fide Theologica*, que en ella se menciona, no contiene cosa que se oponga á nuestra santa Fee, y Buenas costumbres, damos licencia, por lo que à Nos toca, para que se imprima, y dé á la estampa. Valladolid, Mayo 13. de 1767

Isidro Obispo de Valladolid.

Por mandado de S. I. el Obispo mi Sr.
Luis Garcia de Villa/pando.

Licencia del Consejo.

DON Ignacio Estevan de Higareda, del Consejo de S. Ma-
gestad, su Secretario , y Escrivano de Camara mas anti-
guo, y de Govierno del Consejo: Certifico , que por los Señores
de él se ha concedido licencia à Fr. Buenaventura de Herron,
y Provincia de la Purissima Concepcion de S. Francisco , para que
por una vez pueda imprimir , y vender el Tomo Octavo de Theo-
logia , Tratado de *Virtutibus*, su Author Fr. Marcos Ordoñez, de la
misma Provincia, con tal de que sea en Papel fino , y buena estam-
pa , y por el Original que vá rubricado, y firmado en la primera, y
ultima foja por mi, y las demás de D. Manuel Carranza , Oficial
tercero de la Secretaria Govierno de mi cargo, à el qual está el des-
pacho de esta comision , guardando en la impresion lo dispuesto, y
prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de estos Reynos , trayendo
al Consejo antes de darle al Publico un Egemplar de la nueva im-
presion , junto con el Original; y pára que conste , lo firmo en Ma-
drid à 4. de Febrero de 1768.

Don Ignacio de Higareda.

TRACTATUS IV.

DE FIDE

DIVINA.



OST tractatum de Incarnatione divina agunt Theologi cum Magistro sententiarum de virtutibus theologicis Fide, Spe, & Charitate, quæ theologicæ dicuntur, quia immediate versantur circa Deum: & sunt per se infusa; quare nomen virtutis theologicæ hic sumitur, ut significat virtutes supremas Christianas, quibus ad supernaturalem beatitudinem dirigimur, & per se infunduntur à Deo, & innotescunt ex divina revelatione, & Sac. Scriptura. Unde virtus theologica dici potest, tūm ex eo, quod est immediate circa Deum, tanquam objectum supernaturale: tūm, quia est à solo Deo, tan-

A tanquam

quam à causa efficienti : & tūm , quia per solam divinam revelationem agnita est. Inter has ergo virtutes , fides primum obtinet locum; quia ut ait Mag. Par. August. lib. 1. de Fide ad Petrum in prologo : *Fides est honorum omnium finis. Fides est humane salutis initium, sine hac fide , nemo ad Filiorum Dei numerum potest pervenire ; quia sine ipsa neque in hoc saeculo quisquam justificationis gratiam consequitur , nec in futurum vitam possidebunt eternam.* De hoc ergo difficili , & obstruso tractatu sermonem instituimus , quemque in disputaciones , hasque in quæstiones , et si opus fuerit , iftas in sectiones dividemus. Sitque



DISP. I. DE FIDEI DIVINÆ OBJECTO FORMALI.

QUIA in qualibet doctrina necessaria est præcognitio objecti , cuius natura indagatur ; hinc meritò ab objecto formali fidei initium sumimus ; nam in sequenti disputacione de materiali erit sermo. Sic ergo

QUÆST.

QUÆST. I.

Quodnam sit objectum formalē fidei.

I. **V**ariis modis sumitur fides: primo pro fidelitate. De qua Num. 12. de Moysè dicitur: *in domo mea fidelissimus es.* Secundo sumitur pro confidentia, seu fidutia, sive spe firma. Quo in sensu loquitur Div. Jacobus in sua Epist. dicens: *postule in fide nihil habens.* Tertio tandem fides sumitur propterea pro credulitate, seu asensu intellectus, qui adhibetur alicui aliquid affirmanti, & assertenti, & hoc propter eius autoritatem. Unde si haec fuerit humana constituit fidem fallibilem, ut ipsa vox importat; si vero authoritas fuerit divina, fidem infallibilem, & æternam constituit. Sed fides sic sumpta potest significare tum actum assensus, quo credimus alteri aliquid affirmanti: tum etiam habitum, quo inclinatur ad eliciendum huiusmodi assensum. De fide sic sumpta in præsenti agimus.

2. Communiter sic à Theologis definitur: *est quicunque dam habitus intellectualis ad*

, intellectum pertinens, quo infallibiliter, & sine ulla for-
midine credimus à Deo reve-
latis ob auctoritatem ipsius, &
est nostræ justificationis ini-
tiuum, & reliquarum virtu-
tum radix, & *fundamentum.*
Unde fides theologica, sive
divina dividitur in *actualē*, &
habitualē. Actualis scholastice
loquendo sic definitur: *est actus*
supernaturalis, quo quis assen-
titur, alicui propositioni ex eo,
quod Deus illam revelaverit.
Fides habitualis divina est ha-
bitus supernaturalis, quo me-
diante fides actualis produci po-
teat. De hoc longior erit sermo
postea. Nunc vero, quia per
actum tendit fides in objectum,
& per hoc tam actus, quam ha-
bitus dignoscitur, ideo in hac
prima disputatione de objecto
formali fidei, quod principali-
lius est, quām materiale, ser-
monem instituimus. Sed quia
plura sub titulo proposito com-
prehenduntur ob multiplicita-
tem sententiarum, ideo ut clari-
tate possibili procedamus, quæsti-
onem in varias sectiones tra-
dimus. Sit ergo.



SECT. I.

*An Deus sub ratione Deitatis,
& prout præscindit à veracitate, sit objectum formale motivum fidei divine?*

3. Noto 1. quod nomine objecti formalis intelligimus cum Doct. Subt. in 1. dist. 3. quæst. 3. §. ad rationes: rationem illam, quæ movet intellectum ad assensum, ita ut assentiens reddat pro ratione sui assensus rationem illam, quam formaliter motivam appellamus. Patet exemplo ægroti sumentis potionem amaram, à quo si queras, cur illam summat? Respondebit; quia desidero sanitatem. Unde natura nostri intellectus juxta Doct. in 3. dist. 25. quæst. 2. §. ideo dico, ea est, ut per assensum nequeat tendere in objectum, quod sibi verum non appareat. Quapropter dum fidei divinæ motum investigamus nil aliud quætimus, nisi illam excellētiā, & perfectionem, quæ Deum determinat ad loquendū verum, & ejus infallibile testimonium nec sit infallibiliter cum re testificata: ob quod fide dignus redditur in suis locutionibus, & assertionibus.

4. Noto 2., quod Dei authoritas valde diversa est ab humana. Homines igitur falli possunt ex imperfectione scientiæ, aut fallere ex defectu veritatis: & sic assensus præstitus humano testimonio, proculdubio fallibilis est, & expositus errori, & mendacio. At Deo omnis imperfectio repugnat; nec falli, nec fallere potest; nam ratione suæ infinitæ scientiæ excludit deceptiōnem, & errorem: & ratione suæ infinitæ bonitatis removet mendacium; & sic assensus præstitus suæ authoritati infallibilis evadit; cum authoritas ejus undeque sit infallibilis. Ex quo Noto 3., Dei veracitatem esse quid complexum, duas includens perfectiones; unam, infallibilitatem, & certitudinem scientiæ divinæ in ordine ad cognoscendum omnia prout sunt in se, quæ dicitur veracitas in cognoscendo. Aliam, summam determinationem ipsius ad dicendum verum. Quomodo hæ perfectiones inter se distinguantur est aliqualis Lis inter AA., sed non præsentis negotii. Quare

5. Noto 4. quod Theologi in Deo communiter distinguunt tres modos primæ veritatis. Primus est veritas in effendo, quæ nihil aliud est, quam pas-

passio transcendentalis entis, hoc est, habere verum esse, non fictum, & est prædicatum realiter idem cum quolibet ente: & per hanc constituitur Deus in esse veri Dei, & non ficti. Secundus est veritas in cognoscendo, quæ in Deo est ipsa sua cognitio, ea ratione, qua semper est conformis veritati objecti cogniti. Unde hæc veritas necessario importat, & scientiam omnium; & quod nullatenus Deus falli possit in sua cognitione. Tertius dicitur veritas in dicendo, quæ inclinat ad semper proferendam veritatem, & loquendum conformiter ad id, quod est in mente, & consequenter ad non fallere aliquem. Unde hæc veritas in Deo importat impossibilitatem, ut fallat, & ut mentiatur.

6 Noto 5., quod Dei locutiones ad extra sunt in duplice differentia: unæ assertoriae, & aliæ promissoriae. Locutio assertoria est, quædam narratio, seu assertio alicuius veritatis speculative, v. g. assertio Incarnationis, unitatis Dei, & Trinitatis divinarum Personarum. Promissoria est illa, per quam Deus aliquid promittit, vel comminatur, ut promissio Gloriarum bene operantibus, & damnationis æternæ operanti-

bus male. Utrequæ hæ locutiones credi possunt fide divina; nam cum Deus utroque modo loqui, aut revelati possit, hinc nos etiam utrasque credere possumus ob authoritatem divini testimonii, quod habetur in Trid. ses. 6. cap. 6. aiente: credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt. Qua propter hic agimus de objecto formali, sive authoritate motiva fidei erga utrasque locutiones.

7 Noto ultimò, quod ad notitiam rei creditæ, quatuor requiruntur. Primò ut habeatur aliqualis cognitio, & apprehensio illius rei, quæ proponitur credenda. Ratio est: quia cum fides sit assensus intellectus, & ad hunc necessario præcedat apprehensio terminorum, hinc requiritur talis notitia rei, quæ proponitur credenda. Secundò, requiritur, ut cognoscatur, quod objectum propositum ad credendum importet in se credibilitatem; nam nullus sanè mentis crederet, quod ipsi credibile non apparet. Tertiò, requiritur, quod saltem vir doctus cognoscat objectum propositum nullam involvere impossibilitatem, nec contradicere rectæ ratione; nam si quod proponitur apprehendatur, ut contrarium rationi, vel im-

impossibile , non sequetur assensus. Quartò tandem requiriatur notitia rei creditę , qua ostendatur recte adhibendum esse assensum fidei , non solum objecto , sed etiam veritati ipsius , ut pote fundatum in veritate sufficienter proposita. Sed circa istam quartam conditio- nem.

8 Adverte , quod Manichaei , & Lutherani pessimè errant , dicentes , nihil fore credendum præter id , quod ratio humana intelligit , & suadet. Quod est dicere , rationem humanam esse formale ob- jectum , quo fidei. Errant ergo ; nam Paul. 1. ad Chorint. 2. cap. 2. ait : prædicatio nos- tra non est in persuasibilibus humana sapientia verbis , sed in ostensione spiritus ; & vir- tutis , ut fides vestra non sit in sapientia hominum , sed in virtute Dei. Et Math. 11. ait Dominus : beatus es Simon Bar-Jona ; quia caro , & sanguis non revelavit tibi , sed Pater meus , qui est in Cœlis. Ubi per ly caro , & sanguis in- telligitur communiter à Sanctis PP. humana ratio.

9 Deinde etiam ratio- ne refelluntur h̄i Hæretici. Nam illa ratio humana , cui inniti- tur fides divina , vel est evi- dens , vel solum probabilis ; si

evidens ? ergo omnino convin- cit intellectum ad assensum pro- positionis deductę ; quod ne- quit dici ; quia fides relinquit integrum voluntatem , ut patet in ipsissimis hæreticis neganti- bus plura mysteria fidei nostræ. Neque secundum dici valet ; quia alias fides divina esset quedam opinio , & consequen- ter licet posset quis dubitare circa veritates fidei , sicut potest hæsitare de veritate cuius- cumque opinionis : ergo quia ratio illa humana , cui inniti- tur fides divina , nequit esse solum probabilis. His notatis

10 Circa præsentem difficultatem aliqui cum N. Au- reolo tenent , objectum formale motivum fidei nostræ esse Deum sub ratione Deitatis , & prout præscindit à veracitate. Sic etiam Ripalda , disp. 2. de fide sect. 11. Alii vero tenent , objectum formale fidei esse Deum sub ratione primæ veritatis in effen- do ; & consequenter sub ratione Deitatis ; quia cum Deus , ut Deus sit idem quod Deus , ut verus ; idem est dicere , Deum esse objectum formale fidei , ac primam veritatem esse tale ob- jectum ; quia prima veritas in effendo coincidit cum Deitate. Sic Caietanus 2a. 2æ. art. 1.. In hac ergo primâ sect. contra hos duos modos dicendi age- mus

mus per dupl icem conclusio-
nem. Sic ergo

Prima conclusio.

11 Deus sub ratione Deitatis, & prout hæc præscindit à veracitate non est objectum formale motivum fidei divinæ. Est communis contra primam sententiam. Prob. 1. ratione: Deus sub ratione Deitatis, & prout hæc præscindit à veracitate, non explicat formaliter potentiam, & propensionem loquendi nobis verum præfalso; sed conceptus objecti motivi fidei hoc explicare debet: ergo &c. Prob. mai.: Deitas formaliter ut talis non explicat formaliter immensitatem, aeternitatem, nec potentiam productivam ad *extra*; cum Deus sub præcissa ratione Deitatis non dicat formaliter attributa, sed tantum Deitatem ab illis formaliter præcisam: ergo nec formaliter explicat, aut importat potentiam loquendi nobis verum præfalso: ergo si Deus sub ratione præcissa Deitatis non explicat potentiam physice productivam ad *extra*, nec explicabit potentiam loquendi nobis verum præfalso: ergo sola Deitas non est authoritas, aut ratio formalis motiva fidei divinæ.

12 Confirmatur: non potest concipi actus noster credendi, ut infallibilis, quia prius concipiatur divinum testimonium, ut infallibile; sed hoc nequit concipi ut tale, quin concipiatur in Deo sapientia, & veracitas, quibus divinum testimonium eit infallibile: ergo in sola divina essentia, ut præcissa à sapientia, & veracitate nequit stare motivum formale nostri actus fidei. Prob. min.: divinum testimonium in tantum est infallibile, in quantum est conforme objecto testificato, & dictaminī, seu judicio interno testificantis; sed esse conforme objecto testificato, & judicio interno testificantis provenit formaliter ex eo, quod testificans cognoscat objectum ut est in se, in quo stat divina sapientia; & sit ita rectus, quod non possit deviate ab interno judicio, in quo stat divina veritas: ergo nequit concipi divinum testimonium, ut infallibile, quin concipiatur in Deo sapientia, & veracitas.

13 Prob. 2. conclusio: id est objectum formale fidei nostræ, in quod ultimo, & immediate resolvitur assensus fidei; sed hic resolvitur ultimo in Deum, prout verax in testificando, aut resolvendo: ergo veracitas Dei &c. Mai. const.. Prob.

Prob. min.: in id ultimum resolvi debet assensus fidei divinæ, in quod, & ex quo articuli fidei sunt infallibiliter credibiles; sed hanc credibilitatem habent articuli fidei ex veritate revelante, seu testificante, non autem ex Deitate præcisæ sumpta: ergo &c. Prob. min.: articuli fidei non sunt infallibiliter credibiles; quia Deus, qua Deus, revelavit; sed quia Deus, qua verax, revelavit, & testificavit. Videte dicta disp. 1. prologi, quest. 3. à num. 10. tom. I. cursus huius Provinciæ. Ex quo

14 Arguitur 1.: idem est objectum formale fidei, ac theologiae nostræ, ex August. lib. 4. de Trinit. cap. 1. & 4., & Doct. quest. 3. prologi; sed Deus sub ratione Deitatis est objectum theologiae nostræ: ergo, & fidei nostræ. Resp. ex ibi dictis negando min.; quia objectum adæquatum Theologiae nostræ est Deus sub ratione primæ veritatis in revelando. Sed notate, quod prima veritas in revelando aliter, & aliter est objectum fidei, & Theologiae; nam assensus fidei fertur immediate in articulum, qui immediate in se est revelatus; assensus vero Theologicus fertur immediate in conclusionem, que non est immediate revela-

ta, sed solum syllogisticè deducita per bonam consequentiam ex aliqua præmissarum, quæ sit in se immediate revelata. Unde habitus fidei, & habitus theologicus se habent sicut habitus principiorum, & conclusionum; ita, quod habitus theologiae nostræ semper presupponat principiis articulos fidei revealatos, ex quibus per discursum suas deducit conclusiones. De hoc iterum reddabit sermo.

15 Arguitur 2.: divinum testimonium in tantum concipitur ut infallibile, in quantum ratione divinæ authoritatis loquentis excludit falsitatem, & mendacium, ac errorem, & deceptionem; sed in quantum dicens ordinem ad Deitatem sic concipitur: ergo in quantum dicens ordinem præcisæ ad Deitatem concipitur infallibile; & consequenter in sola Deitate &c. Prob. min.: Deitas titulo sua infinitæ perfectionis excludit omnem imperfectionem, sive physicam, ut error, & deceptio; sive moralcm, ut falsitas, sive mendacium: ergo Deitas, qua talis excludit errorum, & mendacium. Nunc sic; sed divina sapientia, & veracitas, ut excludunt errorum, & mendacium constituant divinum testimonium infallibile: ergo eodem pacto Deitas, qua

qua talis, divinum testimonium infallibile constituit. 16 Pro solutione nota, aliud esse, falsitatem, & mendacium; aliud vero errorum, & deceptionem. Falsitas, & mendacium explicant, quod loquens non se conformat in dictis, aut verbis suis cum dictamine, & judicio interno, quod in mente habet, sed aliud intelligit, & aliud loquitur; unde mendacium est contra mentem loqui. Quare et si quod loquitur sit conforme cum objecto, si non est conforme cum mente loquentis, mendacium est. Error vero, & deceptio stare valet sine mendacio; nam cum quis loquitur quod intelligit, & si hoc non sit conforme objecto, sicuti est in se, licet, in hoc detur error, & passiva deceptio, non tamen falsitas aut mendacium. Hoc notato

17 Resp. ad argum. quod licet divinum testimonium dicens ordinem ad divinam authoritatem excludat errorum, & mendacium per modum formae entitatis incompatibilis cum ipsis; non tamen per modum formae determinatae incompatibilis cum ipsis; nam Deitas cum sapientia, & veritate est quæ per modum formæ determinata excludit errorum, & mendacium; nam implicat, quod conceptus forma-

lissimus prærequisitus ad sapientiam, & veritatem possit haberis, si praesciudator a sapientia, & veritate. Unde diverso modo divinum testimonium constituitur infallibile à Deitate præcisæ sumpta, ac à sapientia, & veritate divina; ab illa enim radicaliter; ab istis vero formaliter, & proxime.

18 Arguitur 3. principaliter: id est objectum formale motivum fidei nostræ, in quod ultimo resolvitur assensus fidei, seu in quo credens ultimo quietatur ad firmum assensum; sed hoc est sola Deitas: ergo &c. Prob. min.: si quis interrogetur, cùc credit articulis fidei? Respondebit; quia prima veritas, quæ mentiri non potest, eos revelavit. Si vero rursus, queratur: cùc prima veritas mentiri non potest? Respondebit: quia Deus est, & infinite perfectus; cuius rationis ulterior reddi non potest; quia est per se nota: ergo sola Deitas est quæ &c. Respondeo, distinguendo mai.: id est objectum formale &c. tamquam in objecto motivo, & ratione formali affendi, conc. mai.: tamquam in objecto terminativo, & prima ratione radicali effendi, nec mai.: inversis terminis dist. min. & nego conseq.

19 Itaque Deitas est ultima, & suprema ratio in esse rei, & essendo, ad quam ceteræ divinæ perfectiones, tamquam ad primam radicem reducuntur, & ipsa ad nullam aliam priorem perfectionem reducibilis est; at vero non est talis in ratione objecti formaliter movens, & terminantis assentum fidei; hic enim formaliter tantum terminatur ad veracitatem Dei, quæ proinde est sola in ratione assentiendi, & sic suprema, in quam ultimo fides resolutur, & in qua credens ultimo quietatur ad firmum assensum. Nec resolutio veracitatis in Deitatem est resolutio rationis formalis proximæ in remotam assensus fidei; sed potius rationis ultimæ, ac supremæ fidei in suam causam essendi: & sic ratio, in quam fit talis resolutio, non pertinet ad objectum formale fidei, sed ad causam, & radicem, in qua ipsa suprema ratio formalis fidei fundatur. Quod etiam est commune respectu ceterarum virtutum theologicarum, ut considerant pa-

primæ veritatis in essendo non est objectum formale motivum nostræ fidei. Est contra Caetanum cit. Est tamen N. Doct. Quest. 3. Prologi. Et in 3. dist. 23. Prob. ratione: omne ens creatum, sicuti est ens, habet veritatem in essendo: ergo hec veritas nequid esse specificativum formale nostræ fidei. Autec. est certum. Prob. conseq.: veritas in essendo est æqualis in omnibus entibus; sed infallibilitas, & certitudo fidei nostræ non est æqualis in omnibus actibus fidei: ergoactus nostræ fidei nequit specificari à tali veritate, Mai. patet; quia quilibet actus intellectus, sive sit erga Deum, sive erga aliud; eo ipso quod conformetur cum objecto, ita est verus, & certus, ut non possit unus aliud excedere. Min. constat; quia certitudo fidei nostræ potest excidi juxta maiorem, vel min. auctoritatem loquentis; si enim testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est: ergo veritas in essendo, quæ æqualis est in omnibus, nequit esse objectum formale nostræ fidei; sed veritas in loquendo, quæ est inæqualis juxta auctoritatem loquentis.

20 Dices pro Caetano: certitudo in dicendo, resolvens venit in veritatem in effe-

SECUNDA COCLUSIO.

20 Deus sub ratione

effendo: ergo quia hæc est etiam ratio formalis motiva actus, fidei qua talis. Prob. Antec.: maior exceilentia certitudinis & inæqualitatis reperta in actu fidei desumitur ex veritate in *effendo*: ergo &c. Prob. ant.: ideo testimonium Dei maius est testimonio hominum; quia Deus est in se primum verum, & prima veritas: ergo &c. Hoc argumentum solvitur sicut & tertium conclusionis antecedentis; nam licet prima veritas in *effendo* sit radix veritatis in *dicendo*, illa tamen radix objecti formalis non est objectum formale. Postquam ergo quis responderet, se eredere Deum, quia *prima veritas dicit*, non restat alia ratio ad motivum formale credendi: & sic recursus ad primam veritatem in *effendo*, & ex hac ad Deitatem, non est ad investigandam rationem formalem motivam assentiendi; sed solum ad inquitendam rationem effendi. Vide ibi.

SECTIO II.

An divina relatio sit objectum formale motivum fidei nostræ

22. Revelatio nihil aliud est, quam locutio Dei revelantis, & manifestantis. Creaturæ

objectum aliquod incognitum, seu manifestatio suæ mentis de aliquo objecto. Sed nota est, quod locutio in communi ad omnes locutiones includit instrumenta quadam, seu signa externa apta, vel imposita ad significandum objectum, quod loquens intendit revelare; & prædicta signa sunt substituta conceptuum interiorum, quibus mentaliter proponitur loquenti, aut revelanti idem objectum de quo loquitur; ut autem hæc signa vere locutiones sint, includere debent triplicem respectum, scilicet ad proferentem, audientem, & ad rem, seu objectum significatum. Ad proferentem; quia iste talia substituit signa, loco conceptus representantis objectum; illaque profert ex intentione, ut audiens possit percipere rem significatam.

23. Ad audientem ex se capacem concipiendi rem significatam ex vi signi; et si alias audiens sit actu distractus, & actu non percipiat signa, aut verba loquentis. Ad rem tandem significatam; quia cum conceptus sit, quod loquens intendat medio signo illo, conceptum explanare de re testificata, necessum est, quod locutio dicat ordinem ad tales rem. Ultra has respectus revelatio includit

cognitionem Dei de objecto revelato, & voluntatem ponendi signum externum rei revelatae. Ex his habes contra Thomistæ, quod non datur revelatione interna distincta ab externa, seu quod revelatione non dividitur in internam, & externam. Ratio prænunc est; quia actus interni separati a ligno externo (in quibus ponunt revelationem internam) non possunt sortiri denominationem revelationis; nec similiter signa externa, ut præcissa a conceptibus possunt appellari externa revelatione; nam revelatione Dei esse essentia liter includit tam actus internos, quam signa externa.

24 Noto 23, Deum hominibus, loqui tripliciter: primo per Imagines, vel Spectra objecta visui, ut in visione Rubi, & animalium Ezechielis: vel per voces in aere factas, & nostris similes, ut multoties in Scriptura proponit. Secundo per species in phantasia productas Tertio, per signa intellectualia, ut per speciem intelligibilem, aut per apprehensionem productam in mente à Deo, ita vivide voces, aut objecta representantem, ac si revera existentes, & media sensatione externa manifestarentur. Et quamvis in nostris principijs revelatione spiritualis fieri

possit per infusionem judicij in intellectu creato, isto mete passivè se habente, hoc tamen regulariter non sit ratione indifferenter, quam includere debet assensus fidei. His notatis:::

25 Triplex in presenti datur sententia. Prima N. Pontij disp. 26. quæst. 2. num. 7. assertoris, divinam revelationem esse solum objectum formale motivum fidei nostræ. Secunda tenet, tale motivum integrari ex divina autoritate, & revelatione; ita ut actualis Dei revelatione sit partiale objectum formale fidei divinæ. Sic communiter Thomistæ, & R.R. Jesuitæ. Tertia demum negat, divinam revelationem esse objectum formale sed solum conditionem requisitam, ut aliquid credibile invirrute divina veritatis moveat ad assensum fidei. Sic communior Scotistarum cum N. D. pluribus in locis. Cum quaque sit,

Nostra Conclusio.

26 Divina revelatione nec totaliter nec partialiter est objectum formale motivum fidei divinæ; sed solum pura conditio, ut nobis applicetur ipsum motivum formale fidei. Prob. 1. ex Doct. in 3. dist. 25. quæst. 1. §. 2. de fide infusa. omnis ve-

ritas, quæ ex terminis non apparet, eget aliquo motivo, quo fiat suavisibilis intellectui; sed quod Deus in revelatione Mysterij Trinitatis non fallitur, nec fallit, est veritas, quæ ex terminis revelationis non apparet: ergo revelatio eget aliquo motivo, quo fiat suavisibilis intellectui; & consequenter non intrat in ratione motivi formalis credendi. Mai. est Doct.: prob. min.: ideo credimus, quod talis revelatio non est falsa; quia à Deo procedit, qui propter ejus infinitam sapientiam falli non potest: & propter infinitam veritatem, nequit fallere: ergo quod Deus in tali revelatione, nec fallitur, nec fallit; est veritas, quæ ex solis terminis revelationis non apparet: ergo recurrendum est ad ejus infinitam sapientiam, & veritatem ad hoc credendum; & consequenter solum in sapientia, & veritate stat ad equatum motivum formale credendi.

27 Prob. 2. conclusio: id est motivum intrinsecum, sive totale, sive partiale assensus fidei, in quod ratio infallibilis credendi ultimo absolute resolvitur propter se; sed infallibilitas, & certiduo credendi mysterium revelationum non refunditur nec totaliter, nec partialiter in revelationem absolute prop-

ter se: ergo revelatio &c. Mai. conceditur ab adversarijs. Prob. min.: infallibilitas repetita in revelatione est infallibilitas relativa, & participata ab infallibilitate divinæ authoritatis; quia in tantum infallibili concipitur, in quantum concipitur significata à sapientia, & veritate loquentis: in tantum enim testimonium est fide dignum, in quantum testificans est dignus fide: ergo infallibilitas mysterij revelati non refunditur in revelationem absolute propter se, nec totaliter, nec partialiter. Antec. constat; quia si à nobis interrogetur, cur credamus dictis huius hominis, & non illius? Respondebimus; quia hic est verax, alter non: ergo quia omnis testificatio deponit hanc infallibilitatem ab autoritate loquentis.

28 Prob. conseq. antecedentis discursus: infallibilitas relativa, ut relativa, nequit attingit propter se: ergo. Prob. antec. paritate mediorum ad aliquem finem, quorum bonitas nequit attingi propter se, sed ratione finis: & hoc non alia ratione, nisi quia media, ut talia, tantum habent bonitatem relatiyam, hoc est, in quantum sunt bona, in quantum habent utilitatem ad consequendum finem, & sic eorum bonitas est

bonitas vialis, reducibilis ad finem; sed infallibilitas tevelationis est tantum vialis, reducibilis ad divinam autoritatem: ergo sicut bonitas medium, ut talis, nequit attingi propter se, similiter nec infallibilitas revelationis.

29. Confirmatur haec ratio: nequit per aliquem actum attingi objectum materiale, quin per ipsum etiam attingatur objectum formale; sed assensus fidei tendit in revelationem, ut infallibilem: ergo debet attin gere rationem illam per quam in ratione infallibiliis instituitur. Nunc sic: sed divina revelatio instituitur formaliter in esse infallibilis per divinam sapientiam, & veritatem: ergo implicat actus fidei tendens in revelationem, quin attingat divinam sapientiam, & veritatem: ergo in ista ultimo resolutur. Urgetur: conitarij relegant à ratione objecti formalis motivi autoritatem divinam Ecclesie non alia ratione, nisi quia haec, esto infallibili, est talis infallibilitate participata ab autoritate divina; eo quod resolutio fidei ultimate non sit in autoritate Ecclesie, sed ultius progeditor ad divinam autoritatem: sed etiam revelatio Dei participat suam infallibilitatem ab autoritate divina: ergo &c.

30. Prob. ultimo conclusio: nulla conditio est ratio formalis motiva, sicut nec causa vera, & proprie talis respectu cuiuscumque effectus, ut patet in approximatione respectu productionis ignis; sed revelatio, sive per internam inspirationem, sive per externam locutionem solum est conditio, ut quis assentiat rebus revelatis, ergo &c. Prob. min.: sic se habeat revelatio respectu rei revelatae, sicut cognitio boni appetibilis respectu voluntatis, ut ipsum appetat; sed talis cognitio solum est conditio sine qua non: ergo &c. Prob. mai.: sicut cognitio applicat rationem formalem motivam appetibilitatis voluntati, scilicet, bonitatem objecti, sic revelatio manifestat rationem formalem credendi, scilicet, divinam autoritatem: ergo &c.

Solvuntur argumenta.

31. Arguitur r. ex Scriptura: in materia fidei non est aliter loquendum nisi prout Sacra loquitur Scriptura; sed in Sacra Scriptura ratio credendi communiter tribuitur divino testimonio, seu divinae revelationi: ergo &c. Prob. min.: nam Matthaei 17. dicitur: Caro, & sanguis non revelavit tibi, sed

P. 20

Pater meus , qui in Cœlis est.
Et Ioannes Epi.t.1. cap. 5.: qui credit in Filium Dei , habet testimonium Dei. Unde August. tract. 25. in Joann. dicit: non sufficit si celibus si credant testimonium Joannis , sed necessarium est credere testimonium Dei. Nanc sic ; sed in his omnibus datur pro motivo credendi divina revelatio , ut testimonium , & Verbum Dei: ergo divina revelatio pertinet ad objectum motivum fidei.

32 Resp. concessa mai., negando min. : & min. illatam ex textibus; nam nullibi dicitur, quod debemus credere propter revelationem tamquam per rationem formalem ; sed solum debemus credere divinum testimonium , aut revelationem, propter divinam autoritatem, ratione cuius habet testimonium divinum esse omnino infallibile; & non ē contra. Quinimo contrarium non obsecare deducitur ex Joann.cap. 5. ubi dicitur : spiritus est , qui vivificat, quoniam Christus est veritas: ubi sola veracitas divina ponitur pro motivo formaliter ad credendum ; testificatio vero veluti necessaria applicatio , sive conditio pro applicatione divinæ veracitatis tam intellectui credenti , quam objecto materiali credibili.

33 Replicabis : parum esset ad credendum , Deum habere sapientiam , & veracitatem , si revelatio non adesset: ergo si quia parum esset, quod revelatio esset absque sapientia, & veritate , iste pertinent ad objectum formale fidei ; similiiter propter eandem rationem, revelatio debet esse. Resp. negando antec. ; quia si revelatio non esset , adhuc remaneret in actu primo motivum fidei in sapientia , & veritate; at vero sine sapientia , & veritate neque in actu 1. , neque in actu 2. remaneret motivum fidei in revelatione; cum ista sine illis nequeat esse infallibilis , ut patet in exemplo de approximatione ignis ; nam si hęc non existit, non manet in actu 2. combustio; manet tamen in actu primo vis combustiva in igne. Ex quo respondeo 2. , negando conseque nam ex defectu divinæ veracitatis , & sapientiae deficeret per locum ab int̄ inseco motivum formale assensus si leī ; ex defectu autem revelationis , et si deficeret talis assensus , non tamen per locum ab intrinseco, sed defectu aliquius conditio nis , licet necessario requisitus unde non tenet patitas replicā.

34 Arguitur 2. : revelatio potest credi propter seip sam;

sam : ergo proptie est objectum motivum fidei. Prob. antec. suppositis motivis extrinsecis prudentis credibilitatis , credimus revelationem esse à Deo, non à Diabolo : ergo &c. Confitatur : quod attingitur per actum fidei est objectum formale fidei ; sed revelatio attingitur per actum fidei : ergo &c. Prob. min. : propter revelationem credimus objectum revealatum , & etiam creditur ipsa revelatio : ergo &c. Resp. negando antec. : & concessu ant., neg. conseq. , cuius falsitas patet hac retorsione : suppositis motivis extrinsecis prudentis credibilitatis , credimus autoritatem divinam Ecclesiæ esse infallibilem : ergo illis suppositis , authoritas divina Ecclesiæ creditur propter se. Mala consequentia : ergo & deducta in argumento. Ratio utriusque est ; quia cum infallibilitas tam revelationis , quam authoritatis divine Ecclesiæ non sit absolute , sed tantum relativa , & participata , non potest attingi propter se in ratione infallibilis ; cum infallibilitas relativa , ut talis , sit incapax terminandi assensum absolutum , sicut bonitas relativa est incapax terminandi absolutum affectum.

35 Ad confirmationem resp. , quod revelatio potest

dupliciter sumi : uno modo pro objecto credito , & tunc est objectum materiale , & non formale. Alio modo , non pro objecto credito , sed pro ratione motiva credendi objectum revealatum , quo in sensu hic discutitur ; & in quo dico , quod non attingitur revelatio per actum fidei , tanquam motivum formale credendi , sed solum ut conditio objectiva applicativa motivi. Unde ly propter solum ad summum explicat grammaticaliter rationem motivam ; sicut si dicamus , ignis comburit propter approximationem : disciplina intelligit propter explanationem Magistri : voluntas amat propter cognitionem obiecti : & sic de aliis.

36 Arguitur 3. : Deus , ut sapiens , & verax sine revelatione non est motivum credendi : ergo revelatio saltem partialiter erit tale motivum. Prob. antec. : ut Deus credatur debet dicere aliquid ; sed sola sapientia , & veracitas nihil dicit absque revelatione : ergo. Urgebis : approximatio , (sicut quicumque alia conditio) non habet ex se virtutem comburendi ; sed revelatio ex se habet rationem credendi : ergo quia revelatio non est pura conditio ; cum revelatio ex se habeat eamdem infallibilitatem ac ipse

se Deus: ergo. Resp. distinguendo mai. : Deus ut sapiens , & verax sine revelatione non est motivum credendi *in actu 1.*, nego antec. : in *actu 2.*, subdist. antec. : non est motivum *defectu virtutis* , nego antec. : *defectu conditionis reducentis motivum de actu 1. ad 2.* , conc. antec., & nego conseq. Ad probat. conc. ant. nego conseq., quæ instari potest in omnibus conditionibus *essentialiter requisitis*.

37 Ad urgentiam, resp. negando min.; quia revelatio in se non habet rationem credendi , sicut nec infallibilitatem; quia , cum sit operatio Dei *ad extra*, est aliquid participatum, & sic habet infallibilitatem à Deo participatam ; consequenterque creditur non propter se, sed quia est à Deo , qui non potest fallere , nec falli. Unde, ut hoc melius intelligatur, scendum est , quod est aliqua differentia inter conditiones *prærequisitas*. Aliq enim sunt , quæ non sunt vel *essentialiter requisiæ*, vel *unicum motivum ad effectum*; & iis deficientibus, potest alia via poni effectus; alie vero sunt, quæ sunt sic necessariae, ut patet in arduitate respectu actus spei in absentia respectu actus desiderii ; & in visione intuitiva respectu frui-

tionis , quæ sunt *conditiones indispensabiles ad istos actus*. Sic ergo dicimus , quod *revelatio est conditio requisita* , & *unicum medium ad actum fidei*; eo , quod per hoc solum *medium tamquam per conditionem unicam applicatur motivum formale fidei ad rem credendam*.

38 Arguitur 4. : id habet rationem objecti formalis , quod est *medium* , seu ratio nos movendi ad assensum fidei ; sed hoc est *revelatio*: ergo &c. Mai. constat in assensu scientifico conclusionis , in quo evidenter *præmissatum*, & consequentia est *objectum formale ipsius assensus*. Min. prob.; quia eó credo dicta, quia Deus, aut homo ea testificatus est. Deinde , multæ sunt res fidei, quæ nullam habent rationem, cur infallibiliter *verè credantur* , nisi quia Deus eas testatus est : v. g. nulla est ratio, cur credam: *anti Christum esse venturum* , nisi quia Deus hoc dixit : ergo ratio tota nos movens , ut eas credamus , est testimonium Dei. Resp. distinguendo mai. : id habet rationem objecti formalis , quod *ex se primo est medium* &c. conc. mai. : quod *non primo per se*, & *gratia sui nos movet* , ne-

go mai. : & inversis terminis
distincta min., nego conseq.

39 Ad probationem
mai.; nego absolute ipsam. Nam
in nostris principiis formale
motivum assensus scientifici hu-
ius conclusionis: *homo est ri-
sibilis*, non sunt præmissæ, ex
quibus conclusio deducitur: v.
g. *Omne rationale est risibile;*
sed homo est rationalis; sed
folem medius terminus, quin
præmissa, quæ est principium,
subjicitur, aut prædicatur jux-
ta formam syllogisticam. Et
sic in prædicta demonstratione
solum animal rationale est for-
male motivum ad assensum con-
clusionis. Quare nec evidentia
præmissarum, neque evidentia
consequentia sunt formale mo-
tivum assensus scientifici, quam-
vis illud contingat, & suo
modo determinat intellectum
ad assensum conclusionis.

40 Sic igitur in presen-
ti dicimus de revelacione, quæ
est connexio rei creditæ cum
divina veritate, quod vera-
citas primo per se, & gratia
sui determinat ad assensum fi-
dei, sicut id non faciat, nisi
media revelatione: ad modum
quo medium assumptum in præ-
missis primo per se, & gratia
sui determinat intellectum ad
assensum conclusionis, esto id
non faciat, nisi mediis præmis-

sis, & conseq.. Ex his ad pro-
bationem min. primi discu. sus
respondeo, quod formale mo-
tivum assentiendi propositioni
propositæ, scilicet, *anti Christus est venturus*, non est, quia
Deus revelavit; sed ipsa vera-
citas Dei, ut revelata non re-
duplicative, sed pure specifica-
tive. Ex quo nego conseq. ab-
solute.

41 Arguitur ultimo: in
revelatione, quæ sit Prophetis,
ut pote immediata, triplex res-
pectus reperitur, & dicitur
tunc: primus ad primam verita-
tem testificantem: secundus ad
rem ipsam testificatam: & ter-
tius ad intellectum credentis;
sed licet revelatio secundum
hunc tertium respectum non
integret objectum formale fi-
dei; quia secundum ipsum tan-
tum est conditio vialiter appli-
cans objectum intellectui cre-
dentis; tamen secundum duos
primos respectus est objectum
formale fidei: ergo est tale
objectum. Prob. min.: secun-
dum illos respectus est aptæ
communicare infallibilem cer-
titudinem objecto revelato: er-
go &c. Prob. antec.: revelatio,
ut actio propria Dei, participat
eamdem infallibilem certitudi-
nem, quam Deus ipse habet,
ut prima veritas, & eam com-
municat objecto revelato: ergo
&c.

&c. Prob. antec. quoad utramque pattem; quia per primum respectum revelatio formaliter consideratur, ut locutio propria Dei, directa, & imperata ab ipso, quatenus prima veritas est, cum qua integratur unum tamquam actus primus cum secundo: & per secundum respectum formaliter connectit primam veritatem, ut testificantem cum re ipsa testificata, & prout sic communicat rei testificata infallibilem certitudinem, quam habet à prima veritate: ergo secundum hos respectus integrat rationem formalem assentiendi. Hoc est præcium fundatum.

42 Respondeo tamen, conceit. mai. negando min.: ad probat. nego antec., ad cuius probationem, nego antec. quoad 2. partem³, ad cuius probationem dico, quod totam hoc probat, revelationem non esse rationem formalem motivam assentiendi, sed tantum puram conditionem adhuc secundum primum, & secundum respectum. Ratio est; quia si revelatio non habet infallibilem certitudinem, nisi participatam à prima veritate, & illam non alter communica rei testificatae, nisi connectendo primam veritatem ut testificantem cum ipsa re testificata, sequitur, quod

sola Dei veracitas est causa, & ratio formalis, cur res revelata sit infallibiliter certa, & credibilis; & ex consequenti revelatio erit unice vinculum, seu ratio, cur res illa habeat connexionem cum divina veracitate: & sic propter hanc solom, tamquam propter objectum formale, & motivum erit res revelata necessario vera, & credibilis. Quare esto revelatio aliquatenus determinet, non tamē propriæ, & ratione sui determinat ad assensum fidei, sicut dictum est de necessaria connectione præmissatum cum conclusione; sed unice in virtute pri-
ma veritatis.

43 Ex dictis in hac sectione colliges 1. cum Doct. in 3. dist. 34. per totam, quod non est dabilis assensus fidei, qui supponat divinam revelationem; quia omnis assensus fidei est actus credendi D-o, cui credere non possumus, nisi prout nobis loquitur aliquid manifestans; quod fieri nequit nisi per divinam revelationem. Ex quo infertur, quod si quis assentiret alicui Mysterio, non condignificato à divina autoritate ex revelatione, sed ex alio motivo, talis assensus non esset fidei, sed alterius speciei, scilicet, vel scientiae, vel opinio-
nis juxta qualitatem motivi ta-

lis assensus. Videantur circa hoc
N. Sendin, & Arbiol. Nunc
vero sit.

SECT. III.

*An divina authoritas, prout
explicit sapientiam & veracita-
tem sit objectum formale
motivum nostrae fidei?*

44. Nomine divinæ au-
thoritatis nihil aliud intelligi-
mus, quam perfectionem illam,
quæ Deum reddit summe de-
terminatum, ut modo rationali
refundat infallibilem veritatem
suis revelationibus, aut testi-
moniis; ita ut dignissimus sit,
quod assentiamus divinis reve-
lationibus, quin prudenter pos-
simus formidare de existentia
objecti, eo modo, quo ab
ipso testificatur. Unde hic qua-
rimus, quid explicit essentia-
liter, & in recto authoritas, quæ
est ratio motiva ad assensum
fidei? Utrum dicat solam vera-
citatem eo in sensu, quo ve-
racitas accipitur unice prout
est perfectio voluntatis, & est
idem, ac veritas in dicendo:
an vero dicat veritatem di-
vinam, prout veracitas sumitur
pro complexo imbibente de-
terminationem voluntatis ad
non fallendum, & perfectionem
sapientię repugnantem decep-

tioni? Et sic veritas compre-
hendit primam veritatem tam
in dicendo, quam in cognos-
cendo. His suppositis difcul-
tatem per duplēm conclusio-
nem resolvam. Sit ergo

Prima conclusio.

45. Nec veritas sola,
prout hæc est perfectio volun-
tatis, nec sola sapientia, sed
utraque simul constituit autho-
ritatem motivam fidei divinę.
Est Doct. citandi, quem se-
quentur selectiores Scotistæ,
quibus & adhærent aliqui ex
extraneis contra Thomistas, &
aliquos ex Jesuitis. Prob. I.
conclusio auctoritate Doct. in
3. dīl. 23. quæst. unic. §. ad
quæst. quod autem requiratur,
ubi docet: motivum fidei con-
sistere in perfectionibus illis,
quæ à Deo excludunt poten-
tiā, ut falli, aut fallere pos-
sit; sed Deum non posse falli
spectat ad ejus infinitam sapien-
tiā; & non posse fallere per-
tinet ad ejus infinitam vera-
ciratem fundatam in summa
rectitudine, cui repugnat aliter
loqui, quam intelligit: ergo juxta mentem Doct. divina
authoritas, prout essentialiter
dicit utrumque, scilicet, sa-
pientiam, & veritatem, est
ob-

objectum formale motivum nostræ fidei.

46 Prob. 2. conclusio ratione : illa authoritas essentialiter exigitur ad assensum infallibilem fidei , quæ ejus testimonium reddit infallibiliter connexum cum re testificata; sed hoc nec præstat sapientia sola , nec sola veracitas , sed utraque simul : ergo utraque simul essentialiter exigitur ad constituendam divinam authoritatem motivum assensus infallibilis. Prob. min. : in tantum testimonium aliquod infallibiliter connectitur cum re testificata , in quantum præstatur a testificante nec potente fallere , nec falli ; sed falli excluditur per sapientiam ; & fallere per veracitatem : ergo &c. Prob. min. : falli est error intellectus: & fallere est vitium voluntatis ; sed error intellectus tollitur per sapientiam formaliter: mendacitas , & vitium voluntatis per infinitam perfectionem veracitatis : ergo &c.

47 Explicatur hæc ratio his exemplis : fingamus hominem infinite sapientem , & alias imperfectum in voluntate ; iste non posset falli ; quia cognosceret veritatem objecti , & alias esset impotens errare in cognitione. Quæro , nonne huic debetemus assensum adeo

firmum , ut non possemus dubitare de virtute sui testimonii? Minime ; quia cum posset ex malitia voluntatis aliter loqui , ac intelligebat , posset nos fallere : ergo ex defectu veracitatis non haberet sufficientem authoritatem , ut ejus testimonium esset infallibile , nec possemus licite jurare tale testimonium connecti cum re testificata. Econtra fingamus casum , hoc est , alium hominem summe veracem ex rectitudine voluntatis ; sed ex limitatione sui intellectus potentem decipi in suis judiciis ; hic certè non posset fallere ex rectitudine voluntatis ; sed alias posset falli ; quia ex limitatione intellectus posset aliter cognoscere objectum , ac est in se ; quapropter ipsi non possemus certam fidem præbere , neque licite jurare suum testimonium esse infallibiliter connexum cum re testificata. Ergo utraque formalitas sapientiæ , & veracitatis essentialiter exigitur ad constituendam authoritatem divinam , ut motivum formale nostræ fidei , ut patet ex paritate in humanis. Aliæ rationes conclusionis patebunt ex solutione argumentorum.



Solvuntur Argumenta.

48 Arguitur 1. pro Thomistis: Divina veritas non solum exigit conformare locutionem cum mente, per quod excluditur mendacium; sed essentialiter exigit, quod judicium internum conformetur cum suo objecto, per quod excluditur error; sed id ratione cuius conformatur testimonium cum judicio interno, & cum objecto testificato est ad quantum motivum credendi: ergo hoc est sola divina veritas. Prob. mai.: divina veritas petit, quod cognitio, à qua reguiatur, sit divina; sed non potest esse divina, quin sit vera, & suo objecto conformis: ergo sola veritas divina dicit utramque conformitatem. Confirmatur: perfectior est voluntas, quæ moveri nequit, nisi à cognitionibus veris, quam voluntas, quæ est indifferens ut moveatur à veris, vel falsis; sed Dei veritas ponenda est in summa, & perfectissima voluntate: ergo veritas divina ex suo conceptu essentialiter exigit, quod cognitio, à qua regulatur, sit vera, & consequenter &c.

49 Respondeo, distingendo mai. quoad 2. part.: sed etiam exigit, quod judicium internum conformetur cum suo objecto, ut *veracitas est*, nego mai., imo & suppositum; essentialiter exigit, *qua divina veritas*; subdiltinguo: *remote*, & *ratione identitatis*, conc. mai.: *proxime*, & *formaliter*, nego mai.: concedo min., & nego conseq. Ad prob. mai. eam dist. eisdem terminis, sicut & minorem, & nego conseq. Itaque veritas ex suo conceptu, prout hic sumitur, solum postulat, quod dictum conformetur cum judicio interno; quod vero istud conformetur cum objecto, non est manus, quod formaliter, & proximè spectet ad veritatem, sed tantum ad divinam sapientiam; & quod hæc sit divina, & infinita non derivatur à ratione veritatis, nec voluntatis; sed à divina Essentia, à qua tamquam à radice oritur, quod perfectiones attributales Dei sint infinitæ.

50 Ad confirmationem, dist. mai.: perfectior est voluntas, quæ nequit moveri à cognitionibus falsis, *in sensu materiali* conc. maiorem; *in sensu formalis*, nego mai., & concessa min. distinguo eisdem terminis conseq. Maior, vel mi

minor perfectio voluntatis non desumitur formaliter à potentia, vel potentia, ut moveatur à cognitionibus falsis; nam hæc perfectio est formaliter intellectus à se removentis omnem imperfectionem physicam repartam in actibus falsis; sumitur ergo maior, vel minor perfectio voluntatis formaliter à potentia, vel potentia, ut exerceri potest actibus pravis, aut minus honestis: dum ergo voluntas talis est, quod exerceri nequeat nisi operationibus omnino honestissimis, conformando illas cum interno iudicio, jam continet totam perfectionem, quam intra genus voluntatis habere potest.

51 Arguitur 2.: objectum formale motivum fidei debet esse unum, & simplex; sed complexum ex sapientia, & veritate non est tale: ergo &c. Resp. dist. mai.: debet esse unum, & simplex in ratione objecti, conc. mai.: in ratione formalitatum, & entis, nego mai.: inversis terminis dist. min. & nego conseq.: Sapientia ergo, & veritas, licet in ratione entis sint duas diversæ formalitates, tamen in ratione motivi unam integrant rationem adequatam movendi; sicut præmissæ objectiva, licet in esse entis sint duas; tamen

in ratione principii, vel in motu assensus conclusionis, consti-tuant unum adequatum principium, vel motivum.

52 Arguitur 3.: in Sacra Script. sola divina veracitas ponitur ut sufficiens motivum infallibilitatis divini testimonii: ergo sola &c. Prob. ant. ex illo Joann. 3. v. 33.: qui accipit ejus testimonium signavit, quia verax est; & cap. 8.; qui me misit verax est: ergo &c. Resp. negando ant., & conseq.. Ideo enim in illis, & aliis textibus Script. veracitas assignatur ut motivum; non quia ipsa adequatè moveat, sed quia infert sapientiam, & rectum iudicium divisi intellectus; cum vero sapientia non habeat ex suo munere imperare locutionem, hoc est, proprium veritatis, quæ stat in voluntate, solum habet sapientia cognoscere objectum sine deceptione; ideoque quando de divinis locutionibus agitur, non sapientia, sed veritatis inferentis sapientia tribuitur frequenter à Scriptura, & DD. ratio movendi, quin excludatur sapientia; alias posset falli.

53 Arguitur 4. Subt. Doct., quando agit de objecto motivo fidei numquam nominat sapientiam infinitam Dei, sed solum divinam veritatem:

ergo juxta Doct. hæc sola est
tale objectum. Resp. 1. quod
quando Doct. in loc. cit. pro
conclus. & quæst. 1. Prologi §.
ad quæst. : ait veracitatem esse
motivum fidei, non eam sumit
in eo sensu, quo illam accipiunt
Thomistæ, scilicet, pro vera-
citate, ut præcisæ est perfectio
voluntatis, & in quo sensu ne-
gamus, quod sola illa est adæ-
quatum motivum fidei; sed su-
mit Scotus veracitatem pro
complexo imbibente determi-
nationem voluntatis ad non
fallendum, & perfectionem sa-
pientiæ repugnantem cum de-
ceptione: & sic in hoc sensu
exprimit tam perfectionem in-
tellectus, quam voluntatis.

54 Respondeo 2. ne-
gando absolute maiorem; quia
3. dist. 23. §. quod autem re-
quiratur, satis æquivalenter
Subt. Doct. requirit sapientiam,
& veracitatem pro tali motivo,
non solum, quia Deus non po-
test fallere, in quo stat vera-
citas; sed etiam, quia non po-
test falli, in quo stat eius in-
finita sapientia. Ait enim: *non
potest esse à fide acquisita fi-
c-, mus assensus; quia fide ac-
quisita nullus credit alicui,
ni si quem scit, posse falli,
& fallere, licet credat ip-
sum non velle fallere; sed
nemo potest perfecte af-*

, sentire dictis ejus, quem
, novit posse falli, & fallere in
his quæ dicit &c. En ubi ad
firmum assensum requirit Scoti-
tus tam non posse falli, quam
non posse fallere; sed in non
posse falli stat divina sapientia;
& in non posse fallere divina
veracitas, ut est perfectio vo-
luntatis: ergo in utraque si-
mul juxta genuinam Scotti sen-
tentiam stat adæquatum moti-
vum fidei nostra.

55 Arguitur 5. pro sen-
tentia Ripaldæ afferentis, quod
revelationes in quibus objecta
revelata sunt actus interni Dei,
ut si revelaret se cognoscere diem
judicii, sola divina veracitas est
objectum formale fidei. Cuius
ratio est: in his revelationibus
sola divina veracitas connec-
tit testimonium Dei cum ob-
jecto revelato: ergo hæc sola
&c. Prob. ancet.: sola veraci-
tas connectit objectum revela-
tum cum judicio interno Dei;
sed in his revelationibus ob-
jectum revelatum est judicium
internum Dei: ergo &c. Resp.
neg. ant.: & dist. min. proba-
tionis; sed in his revelationi-
bus objectum revelatum est ju-
dicium internum Dei directum,
conc. min. *nestezum*, nego
min. & conseq. Hac eadem so-
lutione solvuntur alia quam
plura, quæ hic Doct. afferre
so

folet pro suo speciali modo dicendi. Sed pro intelligentia.

56 Nota, quod in praedicto casu absque similibus revelationibus, in quibus objecta revelata sunt actus interni Dei, duplex reperitur cognitio, aut iudicium in Deo; una qua cognoscit diem iudicij, & haec est directa: alia vero, qua cognoscit, se cognoscere diem iudicij, & haec est reflexa. Veracitas ergo divina in tali revelatione non connectit testimonium divinum cum iudicio directo, quod tautum est objectum revelatum; sed unice cum reflexo. Unde ex veritate sola infertur, dari in Deo iudicium reflexum, quo iudicat, se cognoscere diem iudicij; at vero sapientia est, qua connectit reflexum cum iudicio directo; & sic in nullo eventu veracitas sola præcissive à sapientia infert objectum revelatum.

57 Arguitur 6. ex alijs assertentibus cum P. Hurtado, quod sola divina sapientia est objectum adæquatum formale nostræ fidei. Sola divina scientia infallibilis de mysterio Trinitatis v. g. reddit veram assertiōnem de tali mysterio: ergo sola illa est adæquatum motivum assensus talis mysterij. Prob. antec. implicat propositionem.

affirmare id, quod scientia infallibilis cognoscit, quin ipsa propositio affirmativa sit infallibiliter vera: ergo &c. Confirmatur: eo præcisse, quod per revelationem manifestetur iudicium internum Dei erga objectum revelatum, ipsum iudicium titulo infallibilitatis infinitæ sapientiæ est connexum cum objecto: ergo sola divina sapientia, ut conjuncta cum revelatione externa ad æquatè moveret ad assensum fidei. Respondeando primum antec. & dist. 2.: implicat propositionem &c. quin ipsa propositio affirmativa sit infallibiliter vera à sola scientia, nego antec.: ab ista, & simul à veritate loquentis, qua non valet aliter loqui, nisi prout verum intelligit, conc. antec. & nego conseq. Eodem modo respondetur ad confirmationem.

58 Itaque argumentum unice probat, quod si Deus loquatur id, quod cognoscit sua infallibili scientia, locutio erit infallibiliter vera in se, seu physicè. Ceterum, cum credenti non constet, Dum ita se habere, quin intelligatur veracitas determinans lectionem conformem menti, hinc est, quod seclusa veritate, sapientia præcisse non potest mouere ad assensum fidei. Parum enim est

Deum cognoscere id ipsum, quod est, si quando mihi loquitur non manifestat, quod loquitur, sicut cognoscit. Præterea: implicat quod per revelationem manifestetur vere iudicium internum, & quod non interveniat divina veritas; quia si ad sapientiam expectacō formare cognitionem cum objecto, ad veritate pertinet conformatre locutionem externam cum iudicio interno, & mente loquentis.

59 Arguitur 7.: datur actus fidei, quin habeat pro formalī motivo sapientiam, & veracitatem: ergo &c. Prob. ant.: hic actus: *Credo Xtm. esse in Eucharistia. Xptus. ibi est*: est actus fidei; sed in tali actu nullatenus attingitur authoritas divina, ut concreta veracitatem, & sapientiam: ergo. Prob. mai. hic actus: *non credo Xptum. esse in Eucharistia, quia Xptus. ibi non est*, est actus formaliter hæreticalis ergo supra positus est fidei. Resp. 1. negando antec., ad ejus probationem concessa mai. nego min.; quia sensus talis propositionis est iste: *Credo Christum esse in Eucharistia, quia Christus ibi est*: & *Credo, quod Christus ibi est, quia Deus dixit, quod ibi est*. In hoc ergo sensu proculdubio actus ille est

affensus fidei, & per illam attingitur divina authoritas secundum utramque perfectiōnem divinę sapientię, & veracitatis, quoniam in portant, Deum non posse fallere, nec falli.

60 Respondeo 2. neg. antec.: ad ejus probation. nego mai.; & concessio antec. nego conseq.. Motivum ergo formalē credendi, Christum esse in Eucharistia, non est; *quia Xptus. ibi est*; sed *quia Deus dicit, quod ibi est*; nec obstat, quod propositio contraria sit actus infidelitatis; quia cum talis propositio: *non Credo &c.* Sit negativa, & negatio sit malignantis naturae, magis se extendit, quam propositio affirmativa, & plus negat; nam negando *esse*, negat etiam *revelationem essendi*, seu quod sit revelatum, Christum esse in Eucharistia. Propositio vero affirmativa non ex eo, quod fatetur *esse*, fateatur fote revelatum ipsum esse; & cum ad hoc, ut aliquid fidei divina creditur, non sufficiat, quod sit, sed ultra requiritur, quod sit dictum quia mysterium non creditur eo quod sit, sed *quia Deus dicit, quod est*; hinc sit, quod actus ille sistendo in illa causalī *quia ibi est*, non est actus fidei; cum per illam propositionem non non affirmetur divina revelatio. Exem-

61 Exemplificatur hoc in his propositionibus; non video Petrum; quia non existit: video Petrum, quia existit. Prima est vera; nam quod non est, non potest videri. Secunda est falsa; quia ut Petrus videatur, ultra quod existat, requiritur, quod sit pretens, & coloratus. Unde sicut non valet hæc illatio, sic similiter non valet: non credo Christum esse in Eucharistia, quia Christus non est: Credo Christum esse in Eucharistia, quia est. Nec similiter sequitur, quod, licet primus actus sit infidelitatis, secundus sit actus formalis fidei.

62 Arguitur 8. ex Illmo. Palanco: in primis sapientia, & veracitas non sunt simul motivum fidei, ita ut una moveat ratione alterius; sed alias utraque non movet ratione sui: ergo &c. Major constat; quia si sapientia movet ratione veracitatis, hæc sola erit motivum, & sapientia objectum materiale; sicut Deitas, quæ non movet ratione sui, sed ratione alterius perfectionis. Prob. min.: utraque ratione sol moveret, non esset unicum per se motivum fidei, sed ad unum per accidens: sed hoc nequit dici; cum fides sit una per se virtus specifica: ergo &c. Prob. mai. quando

ex duobus neutrū est ratio essendi alteri, sed quodvis est ratione sui, non sit unum per se, sed per accidens: ut patet in duabus formis, duabus existentijs &c: ergo &c.

63 Respondeo dīting. mai.: in primis &c. ita ut una non moveat in actu 2. ratione alterius, hoc est, ut actu moveat, non egeat motione alterius, nego mai.: in actu primo subdītinguo mai.: ut non moveat in actu primo inadæquate, hoc est, in sua linea ratione alterius, conc.: mai.: in actu primo adæquato, nego suppositum: & sic ruit ejus probatio. Dum igitur concurrunt duæ causæ partiales partialitate causæ, quævis est ratio inadæquata, ut altera producat in actu 2., quatenus neutra sine altera possit exire in operationem; non tamen requiritur, ut altera possit producere in actu primo remoto. Patet hoc exemplis portantium lapidem; in intellectu, & specie impressam voluntate, & habitu charitatis, & sic de alijs.

64 Neque ex hoc sequitur, quod fides non sit una virtus per se specifica; motivum enim moraliter complectum, & adæquatum fidei est est unum, si non physique, & in esse entis; sicut moraliter, & in ratione mo-

tivi, compactum ex inadæquatis; quia est authoritas inferens testimonium esse verum, conformeque objecto, & etiam conceptui mentis proferentis tale testimonium. Vide quæ diximus in solutione secundi argumenti huius conclusionis.

SECUNDA CONCLUSIO.

65 Motivum adæquatum assentiendi divinis promissionibus est divina authoritas, in quantum includens infinitam, sapientiam, & veritatem. Hæc conclusio est contra aliquos Modernos assertentes, quod ad assensum fidei in divinis promissionibus, ut distinctam ab assensu divinarum assertionum, ultra sapientiam, & veritatem, requiri, & omnipotentiam, & fiduciam. Sic P. Ripal. cum alijs, quos citat h̄ic P. Marin., etsi eos non sequatur: sed ante probationem, & fundatum oppositæ sententiae penitus refellatur.

66 Noto 1.: quod promissio nihil aliud est, quam signum externum positum à promittente, ut significet promissio animum, quem habet beneficiandi illi, & insuper se obligare ad exequendam rem

promissam. Quare promissio duo hæ significat, & animum præsentem promittentis, & rem promissam esse ab ipso executioni mandandam. Unde immerito Ripalda contraponit fidem promissionum, & fidem assertionum; nam assertio, & promissio non sunt species oppositæ; quin potius promissio pertinet ad speciem assertionis: & assertio se habet, quasi genus, comparativè ad promissionem; nam licet non omnis assertio sit promissio, ad modum quo: *non omne animal est leo*: tamen, sicut *omnis leo est animal*: sic omnis promissio est assertio: ergo nulla est ratio ut fides promissionum contraponatur fidei assertionum; sed se habent ut superius, & inferius, cum latius se extendat assertio, quam promissio.

67 Noto 2., quod cum promissio includat & animum præsentem promittentis, & exequendam esse rem promissam, hinc ex promissione duplex debitum consurgit in promittente: unum conformandi promissionem cum animo interno: & alterum exequendi in re objectum à se promissum. Hoc duplex debitum à veritate dependet.

Pti-

Primum patet; quia ex veracitate tenetur quis conformare suas assertiones cum iudicio interno. Quapropter si haec conformitas deficiat, mendax erit assertio; sed promissio, juxta dicta, nihil aliud est, quam assertio animi promittentis exequitem promissam: ergo si in promittente talis animus non datur, mendax erit promissio. Confirmatur: juxta omnes, qui promittit sub iuramento rem levem cum animo falso, hoc est, sine animo serio, & vero, peccat letaliter, & est perjurus; quia tunc veracitatem frangit, & mentitur, & respective ad veracitatem in iuramentis parvitas materia non datur: sed qui sub iuramento promittit cum animo serio se obligandi, si materia promissa est levis, non peccat letaliter, nec est perjurus, si postea in effectu non adimpleat promissum, eo quod in fidelitate datur parvitas materiae: ergo conformare promissionem cum iudicio interno, non ad fidelitatem, ut vult Ripald., sed ad virtutem veracitatis pertinet.

68 Quod autem secundum debitum, scilicet, exponendi in re objectum à se promissum, etiam ad veracitatem pertineat, patet; quia promissio est assertio tam animi pro-

mittentis, quam beneficij futuri; sed ad veracitatem spectat, quod nulla assertio sit falsa: & non minus falsificatur promissio ex eo, quod non conformetur cum objecto promisso, ac ex eo, quod non conformetur cum animo interno promittentis: ergo ad veracitatem pertinet non solum conformare promissionem cum animo interno promittentis; sed etiam cum objecto promisso. Unde certò non capio, quo motivo P. Ripalda excludat veracitatem à motivo fidei promissionum, quasi veritas nullatenus pertineat ad infallibilitatem talis fidei. His notatis:

69 Probatur primo conclusio: authoritas immediate sufficiens, & necessaria pro fide divinarum promissionum resultat ex veritate, & Sapientia: ergo utraque &c. Prob. antec. quoad I. pattem: veritas in fide divinarum assertiorum est motivum partiale fidei, ut constat ex prima conclusione: ergo & in fide divinarum promissionum. Prob. conseq.: ideo primum est verum; quia veritas se habet ut motivum partiale, cum locutio externa suavitatem moventi ex conjunctione revelationis cum iudicio interno Dei; sed etiam promissio sumit vim

movendi ex cōjunctione divinæ revelationis promissoriæ cum animo interno Dei promittentis ; & hanc conjunctionem inducit veracitas, ne promisso sit mendax : ergo si in fide divinarum promissionum. Minor satis constat ex dictis in notabilibus.

70 Prob. primum antec. probationis quoad 2. part. ut assentiamur infallibiliter exequandam esse rem promissam, nec sufficit veracitas, nec efficacia, neque potentia promittentis, si desit scientia in ipso : ergo sapientia promittentis est motivum partiale ad credendum divinis promissionibus. Prob. antec. licet promissio concipiatur in promittente summe veraci, & fideli, & ex animo firmo exequendi rem promissam, si tamen supponamus, quod ex defectu scientie erroneè judicavit, rem promissam esse fibi possibilem cum penitus repugnans sit : hoc supposito, abique lassione fidelitatis, & veracitatis promittentis, executio premisionis non erit in re : ergo ut assentiamur infallibiliter &c. Antec. patet in hominibus, qui sape roto conatu premitunt executionem aliquius rei judicantes cadere sub potestate tua, cum non eadat quin ex hoc promittens ju-

diceretur infidelis, aut mendax, sed solum ignorans.

71 Confirmatur si Deus summe verax promitteret futuram pluviam determinate in die Jovis , haberet potentiam executivam, animum paratum , & intentionem efficacem; sed supponamus quod ex defectu scientie posset sic decipi, ut accidente die Jovis , putaret esse diem Sabbati: hoc dato supposito , animo serio, veracitate, fidelitate &c. non determinaretur ad ponendam pluviam die Jovis : ergo ut assentiamur infallibiliter exequandam esse rem promissam, non sufficit veracitas, nec animus firmus , & potentia promittentis, si desit scientia in ipso. Antecedens patet ; quia si ego ex proposito efficacem audier di sacram in die Dominica judicem invincibiliter , diem Dominicam esse diem Martis, non determinor ad audiendum sacram ex defectu Scientie die Dominica. Consequentia patet; quia omnibus illis manentibus, & praesertim deficiente scientia, res promissa executioni non mandaretur : ergo ad assensum infallibilem eventus promissi necessaria est sciencia in promittente : ergo hanc est partiale motivum credendi divinis promissionibus.

72 sib^{us} Arguitur 1. : re-
velatio assertoria est assertio ve-
ritatis speculativæ , ad quam
movet divina veracitas , ut os-
tentiva judicij infallibilis Dei
asserentis ; ex quoque testimoni-
um divinum lunt infallibili-
tatem ; sed sic non moveret ve-
racitas divina ad assensum re-
velationis promissoriarum ergo &c.
Prob. min. : revelatio promis-
soria est assertio veritatis prac-
ticæ ; sed ad fidem huius non
movet divina veracitas , ut os-
tentiva judicij , sed ut ostensiva
animi , aut decreti efficacis Dei ,
potentia , & constantia ipsius
in suis decretis : ergo divina
veracitas non eodem modo mo-
vet ad credendas revelationes
promissorias , ac assertorias.

73 Respondeo , ne-
gando min. , & omissa mai. neg.
mit. : quia ex eo , quod divina
veracitas ostendat conformem
revelationem externam cum
judicio interno Dei ; cum ad
veritatem pertineat confor-
mare dicta cum mente ; &
alias judicium internum Dei ,
supponatur regulatum per ini-
tiati sapientiam , qua Deus
comprehendit factum , quod
promittit ; & noscitur , se habere
omnipotentiam ad executionem
ipsius : ex his ergo dubibus for-
malitatibus resultat adæquatio
motivi formalis , ut creatura

sine formidine credit promissum
infallibiliter fore exequendum ;
cum Deus in suis promissioni-
bus nec fallere , nec falli pos-
sit. Non falli ; quia infinite
sapiens : non fallere ; quia in-
finite sanctus , & rectus in vo-
luntate : & sic ex sapientia , &
veritate est promissio infalli-
bility futura , & connexa cum
decreto executionis rei pro-
missæ.

74 Arguitur 2. : pro-
missio connectitur cum execu-
tione rei promissa medio de-
creto , ut constante , & poten-
te : ergo decretum Dei ut confi-
tans , & potens , integrate de-
bet motivum fidei divinatum
promissionum. Confirmatur ; per
id creditur futuram rem pro-
missam , per quod infallibili-
ter erit talis res promissa ; sed
haec erit per omnipotentiam , &
constantiam : ergo &c. Resp.
dist. antec. : promissio con-
nectitur &c. in causando & ex-
equendo , conc. antec. : in cre-
dendo , seu movendo ad fidem ,
nego antec. & consequ. . Ad
confirmationem disting. mai. :
per id creditur &c. per quod
infallibiliter erit in dicendo , seu
movendo ad fidem ; conc. maj. :
in causando , aut exequendo , ne-
go mai. & invertus terminis
disting. min. & nego consequ.

75 Connexio ergo locutionis, sive assertoriae, sive promissoriae, quae requiritur ad motivum fidei, ut Deus fiat certo credibilis in suis dictis, & promissis, solum postulat, quod titulo sua infinita sapientiae excludat errorem in intellectu; ita ut sciamus, Deum non ignorantem, nec cœco modo promittere: & titulo veracitatis excludat mendacium in voluntate; ita ut sciamus, Deum non aliter nobis loqui, ac ipse intelligit, quin nobis decipere possit. Unde connexio locutionis requisita ad novendam fidem, nulla alia est, nisi illa, quam Deus refundit ex munere prius veritatis in dicendo; ratione cuius bene se gerit Deus in suis dictis excludendo ab illis mendacium, & errorem. Quare, ex hoc sequitur, quod ad novendam fidem, solum dictæ perfectiones veritatis, & scientiae, sunt necessariae.

76 Constantia autem voluntatis, & potentia loquenteris solum praestant, ut postquam locutio prolata est, opere compleatur; & tunc Deus se exercet, non tamquam verax in dicendo, sed tamquam potens in causando quod promittit, & sic solum movere in causando, aut in effendo. Aliud enim est credere promittenti: aliud ve-

ro per quæ media adimpleat suam promissionem. Creditur, quia scimus, se cognoscere dum promittit, quod in sua potestate habet rem promissam; & scimus, non velle nos decipere, eo quod verax est. Adimpleat de facto suas promissiones per suum decretum, & omnipotentiam, quæ sunt media, per quæ ad extra operatur.

77 Arguitur 3.: promittens non fit credibilis, si alias non scimus, ipsum esse potentem in id, quod promittit; ita ut possit adimplere promissum: ergo ideo credimus promittenti, quia de potentia, & veritate ejus non dubitamus, & consequenter potentia, & veritas autoritatem constituant. Resp. neg. ant.; quia ut credamus promittenti sufficit nobis scire, ipsum esse veracem, & sapientem, etsi nihil de potentia ejus cogitemus; quam ex ejus veritate firmamur, ipsum serio, & non nugatorie promittere: & ex ipsis sapientia stabilimur, quod ipse dum promittit, seit, se habere potentiam ad exequendam rem promissam; aliter minime promitteret: ergo cogitare de potentia promittentis non ad nos attinet, sed ad promittentem veracem, & sapientem. Plura alia hic con-

tratiū opponere solent, quæ, quia maxima obscuritate, & equivocatione laborant, merito omittit videnda ad longum in AA. Dicta enim pro nunc sufficiant.

missæ non attinguntur ut *quod* per assensum conclusionis; sed supponuntur attacitæ per alios actas prævios. Quare veritas præmissarum est motivum extrinsecum assensus conclusionis.

QUÆST. II. **H**oc supposito, dupliciter possumus excoxitare, actum fidei tendere erga mysterium revelatum. Primo, ita ut divina authoritas applicata per revelationem sit motivum intrinsecum. Et tunc actus fidei habet hunc modum tendendi: credo Trinitatem; quia Deus, qui est infinite verax, hoc mysterium revelavit. Tunc authoritas divina non solum attingitur ut objectum *quo*, sed etiam, ut *quod*; nam sic explicatur: credo Trinitatem, & autoritatem divinam ipsam revelantem. Secundo: ita ut actus fidei ex modo tendendi solum exprimat veritatem intrinsecam Trinitatis, quin affirmet, & intrinsece attingat authoritatem revelantem, sed istam supponat attacitam per alium actum antecedentem, à quo ipse actus fidei procedat: Et sic divina authoritas solum se habet, ut motivum extrinsecum actus fidei. Quæritur ergo in præsenti, quo ex his modis divina authoritas sit motivum actus fidei? Sit

Utrum divina authoritas sit motivum intrinsecum
actus fidei?

PRO solutione nota, quod motivum est in dupli differentia: Unum intrinsecum, & extrinsecum aliud. Primum est, quod si moveat ad actum, ut per ipsum actum attingatur. Unde respectu ejusdem actus est simul *quo*, & *quod*. Explicatur: in actu charitatis, bonitas divina est motivum intrinsecum; quia sit moveat ad omnem actum charitatis, ut & ipsa bonitas attingatur, ut *quod*, seu sit amata per actum charitatis. Motivum extrinsecum est, quod etsi moveat ad actum, non attingitur, ut *quod* per ipsum actum, sed supponit attacitum per alium actum prævium respondentem illum, ut motivum intrinsecum: v. g. præmisse objectivæ dicuntur motivum extrinsecum assensus terminati ad conclusionem, quoniam præ-

3 Conclusio , authoritas divina est motivum intrinsecum nostrę fidei ; ita ut nulus detur actus fidei , qui formaliter non exprimat , & attingat judicative divinam autoritatem revelantem . Est hæc conclusio contra aliquos Jesuitas , ut Pater Hurtado , & Rispalda . Est tamen valde communis inter Theologos præcipue apud Scotistas afferentes , fidem non esse discursivam ; esset tamen talis , si supponeret prævię autoritatem revelantem , cognitam . Et que N. Doct. in 3. dist. 24. §. ad propositum ubi ait : *cuilibet dicto in Carone assentit , non quia probatur modo dicto , sed solum propter autoritatem Dei ratione cuius immediate assentit traditis in scriptura , non uni propter aliud .* Et dist. 26. §. contra , probat , spem debere respicere bonitatem increatam , ut motivum intrinsecum ; quia est virtus theologia . Nunc ergo

4 Probatur 1. conclusio : ut actus sit fidei , necesse est , quod assensus sit propter testimonium divinum , seu autoritatem revelantem ; ita ut maneat intellectus persuasus de existentia testimonii , & nequeat id negare ; sed nequit dari huiusmodi assensus , quin intrinsece judicative attingat au-

thoritatem divinam revelantem ; ergo nequit dari assensus essentialiter fidei , quin autoritas divina sit &c. Mai. patet ; quia assensus fidei est assensus mysterii propter autoritatem revelantem ; qui quidem importat assensum authoritatis divinæ revelantis ; cum nemo posset esse ex se persuasus de existentia objecti materialis propter formale , quin sit etiam persuasus de existentia objecti formalis ; *quia propter quod unumquodque est tale , & illud magis* ; sed qui assentitur mysterio propter divinam autoritatem revelanti , est persuasus de existentia mysterii propter ipsam autoritatem revelantem ; ergo &c.

5 Prob. min. primi discursus : nequit dari huiusmodi assensus , quin clare , vel saltim confusè , sic tendat : *credo mysterium Trinitatis , quia Deus revelavit* ; sed assensus ita tendens attingit intrinsece judicative autoritatem divinam revelantem : nexo nequit dari assensus mysterii propter autoritatem revelantem , quin talis assensus intrinsece judicative talem autoritatem attingat . Mai. videtur clara ; quia si non ita tendit , nequit habere respectum intentionalem essentia-
liger exactum ad specificatio-

nem actus in quavis virtute, vi cuius ita persuasus maneat intellectus de existentia objecti materialis propter formale. Min. ex terminis apparet;

Prob. 2. conclusio: assensus fidei supernus est al sensus theologicus; sed ut talis sit, non sufficit, quod divina authoritas sit attincta per actum prævium, nisi etiam attingatur judicative, & ut quod per ipsum actum: ergo &c. Prob. min. actus justitiae, vel misericordiae imperatus à charitate non est actus theologicus; sed talis actus supponit aliud actum prævie attingentem bonitatem in creatam: ergo ad rationem actus theologici non sufficit attingere prævie motivum divinum per aliud actum. Min. constat; nam actus justitiae, aut misericordiae imperatus à charitate prævie supponit actum charitatis; qui respicit ut motivum intrinsecum bonitatem divinam; quin ex hoc sequatur, quod talis actus justitiae, aut misericordiae sit actus theologicus; ergo ut al sensus fidei sit actus theologicus non sufficit, quod attingatur authoritas divina per aliud actum prævium; sed requiritur, quod attingatur immediate ut quod per ipsum actum fidei.

Solvuntur argumenta.

7 Arguitur 1.: ex his præmissis: quidquid Deus infinite sapiens, & veræ revelat, est verum; sed Deus revelat mysterium Incarnationis: sequitur ista conclusio: ergo vera est existentia Incarnationis; nunc sic; sed actus fidei in prædicta conclusione repertus non attingit authoritatem divinam, ut motivum intrinsecum: ergo &c. Prob. min. primo; quia authoritas divina continetur in præmissis; sed præmissæ non sunt motivum nisi extrinsecum conclusionis: ergo &c. Secundo; quia non est de ratione conclusionis formalis reflectere circa objectum præmissarum; sed objectum præmissarum prædictæ conclusionis est authoritas divina revelans: ergo non est de ratione assensus fidei prædictæ conclusionis attingere divinam authoritatem revelantem. Duplici via satisfaciendum est huic argumento, secundum duplice sententiam probabilem, an fides sit discursiva, necnè? In sententia de negativo

8 Respondeo disting. mai.: ex his præmissis &c. sequitur ista conclusio, que non est actus fidei, conc. mai.: que

sit actus fidei , nego mai. : & suppositum minoris ; quia in prædicta conclusione , ut deducta , nullus reperitur actus fidei in hac sententia ; nam objectum formale illius discursus est illatio logica præmissarum , & conclusionis : & sic talis actus non est actus fidei ; quia non est actus credendi Deo , nec respiciens divinam autoritatem ; sed tantum est actus lumine naturæ notus , cogens intellectum ad assentiendum conclusioni , supposito assensu præmissarum ; alias teneretur concedere duas contradictiones simul veras . Nec obstat , quod illatio illa logica sit sumpta ex autoritate , & revelatione tamquam ex dupli præmissa , ad hoc ut assensus ipsius sit assensus fidei . Non obstat ; quia respectu illationis , & logica connexionis determinantis intellectum ad assensum conclusionis , omnino de materiali se habet , quod **authoritas** , & **revelatio** sint præmissæ ; siquidem intellectus eodem pacto attingeret conclusionem , sive hæc deduceretur ex **authoritate** , sive ex aliis præmissis dummodo legitimè deducatur secundum regulas syllogisticas .

9. Resp. 2. in sententia affirmativa , permissa mai. , negando mia . subli mptam ; ad

ejus primam prob. distinguo min. : sed præmissæ non sunt motivum , nisi extrinsecum conclusionis , quando conclusio est pure scientifica , conc. min. : quando conclusio est assensus fidei , nego min. & conseq.. Conclusio de fide creditur , quia revelata . Creditur ergo propter authoritatem revelantiis . Unde **authoritas** divina creditur in conclusione diverso modo , ac supponitur credita in præmissis ; hoc est , non creditur conclusio , quoniam attracta supponitur in præmissis ; sed quoniam in conclusione attingitur ex motivo intrinseco .

Ad 2. probationem eiusdem min. dist. mai. : non est de ratione formalis conclusionis &c. , quando conclusio formalis est assensus scientificus , translat mai. ; quando est assensus fidei , nego mai. & concessa min. , nego conseq.. Itaque cum objectum formale assensus fidei sit **authoritas** Dei revelantis , necessum est , quod assensus Dei formaliter , ut talis , attingat suum objectum formale , à quo specificatur , eti supponatur attractum in præmissis . Non ergo recte concludit hoc argumentum , nec adversus AA. negantes , fidem esse discursivam , ut ex se patet ; nec aduersus hoc affirmantem

tes; nam qui dicunt, si idem esse discursivam, assertunt, assensum conclusionis attingere intrinsece veritatem præmissarum, tamquam motivum latrinssecum. De hoc postea.

11 Arguitur 2.: proposito intellectui mysterio revelato, potest voluntas imperare assensum erga mysterium, quin imperet assensum erga authoritatem revelantis: ergo hæc non attingitur ut *quod* per talem assensum: ergo non est motivum intrinsecum illius. Prob. antec. Supposita apprehensione revelationis mysterii, satis innotescit veritas mysterii: ergo poterit credi per fidem mysterium revelatum, quin hic assensus attingat intrinsece revelationem. Relp. ad argum. disting. antec.: proposito intellectui &c. potest voluntas imperare assensum mysterii, quin imperet assensum erga authoritatem revelantem, & tunc talis actus non erit fidei, sed alterius virtutis, conc. antec.; & tunc talis assensus erit fidei, nego antec. & conseq., & eisdem terminis dist. conseq. probationis.

12 Itaque voluntas imperare potest assensum mysterii independenter ab assensu revelationis; sed tunc talis actus non erit actus fidei, seu

actus credendi Deo; quia talis actus nequit esse theologicus, nec formaliter submissio, & reverentia authoritatis divina; sed erit alterius speciei à fide dignoscendæ expeculari specie iplius mysterii; essetque actus naturalis quoad substantiam: & licet foret supernaturalis (de quo pro nunc praescindimus) esset elicitus ab auxilio aliquo superno transiente; non autem ab habitu fidei, neque ab alio habitu, qui non est assignandus pro actibus raro contingentibus: sic actus scientifici, qui sequuntur primam conclusionem, & quasi illam repetunt, si non detur advertentia ad præmissas, non elicuntur ab habitu conclusionis; quia sunt valde diversi hi actus, ad hoc, ut idem habitus faciliter ad illos; sicutque tales actus frequenter, & sequenter ab specie clara objecti, quæ clarior fit ex repetitione actuum.

13 Replieabis: imperare dissensum mysterii absque imperio dissensus revelationis, est formaliter actus infidelitatis: ergo pariter, imperare assensum mysterii ab que imperio assensus revelationis, & authoritatis divinæ erit formaliter actus fidei. Resp. neg. conseq. & paritatem. Disparitas et.

est; quia prima propositio cum sit negativa, & negatio sit malignantis naturae, magis se extendet, quam secunda propositio consequentis, & plus negat, quam ista affirmet. Unde stat, quod dissentus mysterii absque dissentu revelationis sit actus infidelitatis: & tamen assensus mysterii absque assensu revelationis non sit actus fidei; quia iste non est assensus mysterii utcumque, sed assensus mysterii propter revelationem, in quo necessario importatur assensus revelationis. Vide quæ diximus scđt. 3. quæst. antec. conclus. à num. 6o.

14 Arguitur 3.: de facto dantur plures actus fidei independentes ab aliqua notitia actuali authoritatis divinæ revelantis: ergo quia hæc non est motivum intrinsecum &c. Prob. antec. experientia, quæ videtur in Catholicis assu factis ad credendum; qui postquam plures assenserunt mysterio alicui, v. g. Trinitatis, propter authoritatem divinam, postea Trinitatem credunt, qui recordentur divinæ authoritatis, & revelationis: ergo Hoc argumentum si quid probat, probat, authoritatem divinam, non solum esse motivum intrinsecum ad credendum, verum, & de facto reperiri posse

actus fidei supernæ independentes ab actuali notitia divinæ authoritatis; quod quidem est contra communem torrentem Th. ologorum. Sed quidquid sit de hoc

15 Resp. neg. antec. argumenti; ad cuius probationem, & experientiam respondeo alia experientia Musici peritissimi, qui distractus ad diversa, & non attendens ad regulas artis has chordas præ aliis pulsat: & tamen certissimum est, quod ex directione, & regulis artis, potius hanc positionem, quam aliam facit, & ex imperio voluntatis manum applicat ad hunc motum, quam ad alium. Numquid istæ secundum regulas pulsat, sine actuali notitia regularum? Certè dices, habere cognitionem dirigentem, licet tenuem; quia præ facilitate pulsandi non avertit reflexe, se habere talam cognitionem. Sic ergo evenit in assufacto ad credendum mysteria propter divinam authoritatem; nam dum postea occurrunt illa credenda, excitabitur ad assensum fidei ab authoritate divina, licet imperceptibili cognitione illius: & sic per actus illos frequentes, quibus credimus mysteriis, advertimus acti alter, etsi cor falsè, ad authoritatem re-

velantem. Sed concessu casu, quo quis ex consuetudine nullo modo adverteret ad autoritatem revelantem huiusmodi assensus, nec esset fidei, nec liber, nec meritorius, quia non fieret in obsequium divinæ authoritatis revelantis.

16 Replicabis: ut talis assensus sit fidei, sufficiunt species derelictæ ab actibus præcedentibus, & habitus ex illis acquisitus absque aliqua notitia actuali divinæ authoritatis revelantis: ergo &c. Respondeo negando antec.; quia species relictae ab actibus præcedentibus, & habitus acquisitus ex illis solum præstant, quod intellectus facilius feratur in objectum sufficienter proportionatum; atamen species relictae ab assensu propter Deum revelantem non poterunt movere, neque inclinare in actu 2. ad assensum, nisi detur advertentia ad Deum revelantem, si talis assensus est propter Deum revelantem. Deinde, habitus acquisitus inclinat ad actus similes præcedentibus, a quibus fuit genitus; sed præcedentes attingunt intrinsecè autoritatem Dei revelantis: ergo & species relictae, & habitus acquisitus inclinabunt, & clicant actus intrinsecè attingentes autoritatem Dei revelantis; &

tunc tales actus jam erunt fidei,

QUÆST. III.

Ex quo motivo fides assentiat ipsi divinæ authoritati?

I **S**tabilito iam, divinam autoritatem ex sapientia, & veracitate constantem esse motivum intrinsecum respectu omnium assensuum fidei, & consequenter per quemcumque assensum fidei exprimi non solum mysterium, sed etiam autoritatem; merito quærimus: ex quo motivo credens persuadeatur, Deum esse infinite sapientem, & veracem? Difficultas non procedit ex sapientia, & veritate, quando sunt objectum materiale fidei, & directe creduntur, quoniam à Deo revelantur; sed procedit, quando sunt pure objectum formale, & creduntur tamquam motivum intrinsecum, & consequenter ut *quod*. Quare quæstio solum procedit de veritate, & sapientia prout sunt objectum formale credendi cætera mysteria revelata, & in quolibet acto fidei, ipsa quoque attinguntur ut *quod*. In qua sane difficultate varii sunt modi di-

cedi, quosque per sequentes conclusiones proponemus, nostraque mentem declaramus. Sit ergo

Prima conclusio.

2 Nos non credimus sapientię, & veracitati ex motivo Deitatis: & sic fides non resolvitur in Deitatem. Est contra Capreolum, Caei, & alios. Prob. conclusio: ideo moticum fidei esset intrinseca connexio Deitatis cum sapientia, & veritate, quia fides ultimo resolvitur in Deitatem, & authoritas nobis appetet per Deitatem; sed hec ratio falsa est, vel nullam vim habet: ergo &c. Min. quoad 1. partem co-slat ex dictis sest. r. q. 1. conclusi... Quoad 2. prob.: aliud est principium subjectivum, & originativum objectū in esse rei; & aliud in esse credibilis; sed licet Deitas sit tale principium in esse rei, non tamen in esse credibilis: ergo. Mai. co-slat; quia licet primæ qualitates sint principium subjectivum coloris, non tamen principium objectivum videndi cōjorem. Prob. min.: quod Deitas sit principium originativum authoritatis in esse rei, solum probat Deitatem esse mo-

tivum assensus scientifici respectu authoritatis; sed motivum fidei est distinctum à motivo scientiæ; hæc enim procedit demonstrative, non vero authoritatib; sicut fides: ergo licet Deitas sit principium originativum in esse rei, non tamen in esse credibilis.

3 Dices pro contrarijs: si fidelis interrogetur, cur credit Incarnationem? Respondebit: quia Deus dixit. Si iterum interrogetur, cur credat Deo dicenti? Respondebit: quia est summa veritas, quæ nec fallere, nec fāli potest; & tandem si queratur: cur judicet Deum esse sic veracem? Dicet: quia est pelagus omnium perfectionum: ergo in Deitate sicut fides tamquam in ultima ratione credendi; & consequenter &c. Respondeo, quod tota ratio credendi terminatur in 2. responsione: credo Deo dicenti; quia est summa veritas in dicendo. Et licet dum ultra interrogatur? Cur Deus sit summa veritas? bene respondeat; quia est pelagus omnium perfectionum: Tamen in hac response, iam non continetur ratio credendi, sed ratio ob quam est in Deo id, quod respectu nostri est ratio credendi; quod valde diversum est ab ipsa ratione, quæ nos movet ad credendum.

Se-

Secunda conclusio.

4 Fides superna non attingit divinam veracitatem, ut evidenter cognitam lumine naturali : & sic non resolvitur in ipsam , ut sic cognitam. Est contra Alcidonensem, & alios cit. à Suarez. Prob. : fides superna per quam credimus mysteria revelata propter veracitatem Dei , attingit ipsam veracitatem ex dictis quæst. ant.: ergo debet esse etiam supernaturalis prout assentitur ipsi veritati. Sed hoc est falsum , si motivum formale assentiendi divinæ veritati foret ipsa veritas naturaliter cognita : ergo &c. Prob. subsumpta: actus supernus nequit oriiri ex motivo formaliter naturali ; sed assentiri divinæ veritati, prout naturaliter cognitæ, est motivum formale naturale: ergo.

5 Dices : divina autoritas est nobis naturaliter nota ante quemlibet actum fidei: ergo ut sic naturaliter nota attingitur à fide. Resp. omisso ant c. , negando conseq. ; quia esto verum sit , divinam autoritatem esse nobis naturaliter notam ante quemlibet actum fidei ; falsum est, quod illa ut sic nota sit objectum for-

male , in quo fides theologica, & superna ultimò resolvatur. Tum , quia fides theologica non foret superna. Tum , quia certitudo objecti materialis fidei supernæ debet commensurari cum certitudine objecti formalis : ergo si divina authoritas ut naturaliter cognita est objectum formale , & in illam prout sic cognitam ultimo resolvitur fides theologica; iam infallibilitas fidei commensuratur cum infallibilitate assensus naturalis , quod est contra rationem , & communem sensum SS. PP.

Tertia conclusio.

6 Fides non resolvitur in authoritatem divinam , ut revelatam , ita ut revelatio, non solum sit revelatio mysterii credendi , sed etiam ipsius authoritatis , & veritatis. Est contra Suarez , & alios Jesuitas. Prob. : ex tali sententia sequitur inevitabiliter circulus vitiosus; ergo non est tenenda. Prob. antec. : juxta adversarios, ratio unica , qua institutus credens , ut persuadeatur , Deum esse veracem , est ; quia Deus sic revelat revelatione infallibili ; sed revelationem esse infallibilem noscitur ex authori-

tate, & infinita veracitate Dei revelantis: ergo fidelis credit, Deum esse verum, quia hoc revelat Deus revelatione infallibili, & credit, revelationem esse infallibilem, quia Deus revelans est verax: ergo actus credendi vitiosum circulum continet; nam fidelis credit veritatem propter revelationem, & illam propter veritatem.

Prob. 2. 7. in illo primo signo in quo fides incepit attingere veritatem, vel illam attingit ex luce, & motione revelationis, vel ex alia luce, & motione distincta à revelatione? Si hoc 2. dicatur, sequitur contra predictos A.A., quod iam non resolvitur ultimata fides in divinam autoritatem, ut revelatem, seu prout creditam propter revelationem, ut de seipso. Sive vero primum dicatur si fieri: ergo antequam attingatur divina authoritas, aut veritas iam supponitur revelatio, ex parte motivi, ut veritatem iudens: ergo supponitur revelatio ut fidedigna, & authorizata in aliquo signo priori ad autoritatem divinam, quod est absolute falsum.

Prob. 1. hæc conseq.: authoritas divina componitur esse-
tialiter ex veritate; sed juxta

contrar., ante veritatem supponitur revelatio veritatis, ut fide digna: ergo & supponitur authorizata ante divinam authoritatem; cum nequeat esse fide digna, quin sit authorizata. Prob. 2. praesata conseq.: juxta contrar., motivum credendi veritatem est revelatio; sed motivum supponitur in aliquo priori ad assensum terminatum respectu objecti creditur: ergo supponitur revelatio movens antequam credatur authoritas, aut veritas: ergo cum aliunde revelatio moveat, ut authorizata, alias non moveat; sequitur quod moveat ut authorizata antecedenter ad authoritatem, quod est implicatorium.

QUA RTA CONCLUSIO

9. Fides non resolvitur in authoritatem, ita ut hæc non affirmetur per fidem, sed supponatur affirmata. Est contra aliquos R.R. Hec conclusio satis constat ex dictis quest. ant. Prob. breviter: ex hac sententia non viratur difficultas huius interrogationis: unde constat authoritas, quam supponit? Maxime apud A.A. constitutio, qui supponunt authoritatem per modum objecti formalis: ergo quia fides nequit

quit resolvi in authoritatem, ita ut hæc non affirmetur per fidem, sed supponatur attacata. Vide rationes pro resolutione antec. quest., quæ efficiatores sunt, & insimul argументa soluta.

QUINTA, ET ULTIMA Conclusio.

IO Perfectiones constituentes autoritatem divinam, licet fuerint prius naturaliter cognitæ ex vi connexionis intrinsecæ cum Deitate, tamen non attinguntur à fide superna, nisi propter se ipsas; & sic actus fidei terminatus ad divinam authoritatem ultimo resolvitur in ipsam, propter ipsam. Conclusio deducitur ex Scoto. In 3. dist. 25. q. 1. ad 1.. Prob. 1. ratione: si divina authoritas, & veracitas, prout est motivum fidei supernæ, & ratio credendi mysteria revelata non attingeretur ab actu fidei propter semetipsam, maxime quia ipsa veracitas supponitur prius naturaliter cognita ab ipso credente; sed hæc ratio nulla est: ergo &c. Mai. est fundatum contrariorum: prob. mino: licet aliqua veritas immediate, & in se ipsa non appareat ex terminis, sed egeat

luce alterius cognitionis eam manifestantis; tamen tali luce supposita, poterit intellectus assentiti illi veritati propter se ipsam, quin per illum actum attingat motivum extrinsecum, vi cuius veritas illa manifestata fuit: ergo & habet quod divina veracitas, aut authoritas ex terminis in se ipsa non appareat, sed egeat tali lumine naturalis cognitionis, vel quod appareat per argumenta credibilitatis, & quod tali luce supposita, attingatur immediate propter semetipsam à quolibet actu fidei.

II Prob. antec. 1.: quævis veritas sufficienter apparet, potest immediate moveare assensum propter semetipsam; sicut bonitas apparet per cognitionem potest movere voluntatem; sed non minus apparet divina veracitas per lumen naturalis cognitionis, ac bonitas per cognitionem; ergo sicut bonitas per cognitionem apparet potest moveare voluntatem, ut eam amet propter ipsam; sic divina veracitas apparet per cognitionem naturalem potest moveare intellectum, ut ei essentiat propter ipsam. Prob. 2. idem antec.; licet veritas intrinseca conclusionis, quæ est immediatum, & intrinsecum motivum ipsius conclusionis,

non appareat ex terminis in se ipsa , sed egeat præmissis ut manifestativis illius, tamen hoc non obstat , ut supposita luce præmissarum , assensus tendens erga conclusionem attingat immediate . & propter semetipsam veritatem conclusionis , ut tenet communior opinio Philosoph. cum Nto. Doct. in 3. dist. 25. q. 1. ad primum principale : ergo &c.

12 Confirmatur: hæc argumentatio nō valet : ut hoc objectum attingatur à potentia , eget præcognitione alterius objecti : ergo implicat attingi , quin semper attingatur cognitione alterius objecti: ergo nec tenet argumentum contrarium. Antec. patet, tum in amore desiderij ; tum in actu spei ; nam ut possit voluntas tendere amore desiderij circa aliquid objectum , opus est , ut tale objectum proportionatur ut absens , & tamen per affectum non tendit circa absentiam , sed circa bonum. Sic actus spei essentialiter præsupponit cognitionem objecti , ut ardui , & voluntas non amat arduitatem , sed bonum , quod arduum denominatur : ergo similiter esto ad actum fidei prærequisitur naturalis cognitionis divisa veritatis, non sequitur , quod ipsa divina vera-

citas non posset attingi immediate propter semetipsam ab actu fidei; quin per hoc actum attingatur veritas, vi cuius sicut naturaliter manifestatur.

13 Ratio totius à priori est ; intellectus non potest tendere in objectum , quin per prius habeat speciem illius: & multoties acquisitio specierum huius objecti pendet à propositione a iorum ; ut species conclusionis pendet à cognitione præmissarum ; attamen supposita specie objecti , intellectus potest tendere immediate in illam veritatem manifestam per speciem ; cum omne verum sic manifestatum posset specificare actum intellectus , & per illum in verum tendere , quin ad hoc opus sit recurrere ad cognitionem aliquotum objectorum , ex quibus dependebat acquisitio speciei manifestativæ hujus veritatis. Notate hoc bene ad solendum fundamentum coramiorum

14 Prob. 2. conclusio : deo veracitas non posset immediate termininare assensum propter semetipsam , vel quia non habet vim movendi ad tales assensum : vel quia non appetet ex suis terminis ; sed primum est falsum; quia quavis veritas habet vim movendi ad assensum , sicut bo-

bonitas honesta, & delectabilis habet vim movendi amorem; & alias secundum non tenet; quia quod ex suis terminis non appareat, non est defectus vis motivæ, sed solum defectus, & necessitas applicationis, ut vis motiva possit in actu 2. movere: ad modum quo bonitas non cognita vim habet motivam amoris, & solum deficit applicatio, hoc est, cognitio, ut posit in actu 2. per se inmediate movere ad amorem. Sic similiter, si ergo non applicatus vim habet comburendi, & solum deficit applicatio tamquam conditio reddens proxime expeditam vim comburendi: ergo divisa veracitati, non deficit vis motiva, licet ex terminis non appareat, ad hoc ut posit in immediate terminare assensum propter semipistem.

14. Prob. ultimo conclusio: assensum fidei ultimo terminari in autoritatem propter ipsam, est, autoritatem divinam ita movere ad assensum fidei, ut non egeat alio motivo; sed autoritas divina potest sic movere ad assensum fidei: ergo assensus fidei ultimo resolvitur in autoritatem propter ipsam. Prob. min.: assensus terminatus ad autoritatem unice motus ex ipsa,

erit certus, supernaturalis, & elicitus ab habitu fidei: ego sufficiens erit, ut illo nitatur assensus mysteriorum, quin indigeat alio motivo. Prob. antec.: de ratione habitus est, non solum attingere objectum materiale, propter formale, sed etiam attingere objectum formale propter ipsum; ut patet in charitate, quæ non solum habet amare creaturem propter Deum, sed etiam amare Deum propter ipsum; quia actus habent eundem ordinem, & gradum charitatis; cum habeant idem motivum: ergo de ratione habitus fidei erit attingere non solum objectum materiale propter formale, sed etiam & formale propter se ipsum: ergo assensus authoritatis propter ipsam, elicitus ab abitu fidei erit supernaturalis, & certus.

Solvuntur argumenta.

15. Arguitur 1.: dum objectum aliquod per se non appetet verum, sed per aliud, nequale ejus veritas attingi propter se, sed propter aliud; sed divina autoritas non appetet vera propter se; cum supponatur prius cognita ab ipso credente: ergo &c. Prob. mai. paritate; quia uti-

litas medicinæ pro sanitate facit medicinam amabilem, numquam medicina amatur propter se, sed propter sanitatem: ergo à pari. Idem argumentum potest fieri omnibus medijs non habentibus bonitatem relativam, seu utilitatis in ordine ad finem. Resp. tamen neg. mai. ad probationem concess. antec., neg. consq. & paritatem.

16 Disparitas est; quia bonitas ultimo specificativa, & resolutiva affectus voluntatis est tantum bonitas honesta, vel delectabilis; nam bonitas utilitatis est solum quasi vialis, id est, in tantum placere valens, in quantum placet terminus ille, ad quem est utili, & sic tantum propter hunc amabitur. At respectu intellectus non datur hoc discrimen veritatis; ita ut una sit vialis, & finalis altera; nam cum intellectus solum postulet suum objectum esse verum, omnis objectiva veritas quantum est ex se, est motiva assensus intellectus per modum finis; & cum aliunde divina authoritas sit objectum verum propter se, poterit immediate attungi ab actu fidei superno propter se: & sic; respectu intellectus non datur veritas vialis, sicut respectu voluntatis bonitas via is datur. Ex quo aperie patet disparitas argumenti.

17 Arguitur 2: fides non potest tendere in veracitatem, nisi ex motivo revelationis: ergo veritas non attingitur propter semetipsum ab actu fidei. Probatur antec.: fides attingit omne suum objectum propter revelationem; cum ipsum credat; quia Deus dixit: ergo. Resp. omissio antec. dist. 2: fides attingit omne suum objectum *materiale* propter revelationem, conc. antec.: *formale*, nego antec.: cum ergo in casu conclusionis veritas sit solum objectum *formale*, & non *materiale*, erit solum objectum *affirmatum* per assensum fidei; non vero creditum, quia denominatio crediti solum competit objecto, quod creditur propter revelationem factam de ipso, quod est tantum objectum *materiale*. Deinde, si veritas creditur propter revelationem, haec reddebetur credibilis ex alia veritate, & sic in infinitum.

18 Arguitur 3: vel actus tendens in veracitatem est actus fidei, vel non? Si hoc 2: ergo ille actus non erit elicitus à fide, sicut non est actus scientiaz actus non elicitus à scientia. Si primum: ergo erit actus credendi Deo: ergo ille actus innititur revelationi, quia implicat actus credendi.

di Deo , dum præscinditur à locatione Dei. Pro solutione nota, quod Dilemma argumenti potest intelligi de assentu , qui sic tendat in veracitatem, ut simul transeat ad credendum mysterium revelatum propter ipsam veracitatem. Vel i potest intelligi de assensu sic attingente veracitatem , ut non transeat ad credendum aliquod mysterium revelatum ex motu veracitatis. Hoc supposito.

19 Respondeo, quod si in hoc ultimo sensu loquitur argumentum : vel potest dici , quod talis actus non elicetur a fide, sed scientia naturali. Vel potest dici , quod licet non sit actus fidei formaliter , eliceretur tamen ab habitu fidei ; cum sphaera huiusmodi habitus sit etiam tendere circa principia objectiva & formalia fidei. Si vero primum intendat argumentum ; tunc dicimus, talem actum esse assensum fidei elicitem ab habitu supernaturali fidei , & per ipsum credimus Deo loquenti mysterium revelatum: & simul per ipsum attingimus immediate ipsam divinam veracitatem, ut motivum intrisecum credendi, non vero, ut objectum credimus.

20 Arguitur 4. assensus fidei , quo divina veraci-

tas attingitur per sepe est, obscurus , ut pater in Rusticis ; sed nequit esse obscurus nisi ex medio continente obscuritatem: & nullum aliud medium tale reperitur , nisi divina revelatio: ergo divina veritas per sepe attingitur à fide ex motivo revelationis, & non propter semetipsum. Resp. negando min. ; quia obscuritas in casu argumenti non sumitur ex revelatione, sed ex modo, quo eliciens actum tendit; quia procedit ex cognitione imperfecta terminorum , scilicet , Deitatis, & veritatis. Possunt enim aliqua objecta esse ex terminis nota respectu aliorum qui terminos propositionis perfectè penetrant: & esse obscura respectu illorū, qui terminos imperfectè cognoscunt, ut sunt communiter Rustici.

21 Replicabis vera-
citas obscure proponitur ex motivo revelationis: ergo nulla est solutio: Prob. Antec. : assensus mysterij nequit esse fieri
miser erga mysterium creditum, quam erga veritatem ; sed fides divina credit mysterium revelatum super omnia : ergo & veritatem. Nanc sic; sed quando veracitatis obscure proponitur, non creditur prudenter super omnia, nisi creditur ex obscuro motivo revelationis:

ergo quando fides obscurè assentitur veracitati super omnia, assentitur ex motivo revelationis. Respondeo, nego ant.; & cōcessio syllogismo probationis; nego subsumptam. Ratio est; quia sicut divina veritas digna est, ut proter ipsam assentiamus rebus à Deo dictis, & pr positis motivis prudentis credibilitatis de existentia revelationis, sic dignissima est, ut ipsi veracitati propter ipsam assentiamur super omnia, si evidenter proponatur fuisibilis, quamvis obscurè, eo modo, quo mysteria sunt evidenter credibili, licet sint obscurè proposita. Unde falsum est, quod quando veritas obscurè proponitur, ipsis semper assentiamur super omnia ex motivo obscuro revelationis.

QUÆST. QUARTA, & ultima.

Ex quo motivo ducamus ad assensum divinae revelationis?

1 *O*mnis actus fidei divinæ supponit divinam revelationem mysterij credendi; sed quoniam sit motivum determinans intellectum credentis ad assensum existentię divinae revelationis

erga tale mysterium, méritò dubitatur. Ratio est; quia cum existentia revelationis ex terminis non appareat potius, quam ejus parentia, eget aliquo motivo, quo intellequi fiat fuisibilis talis existentia, juxta illam maximam Doct. in 3. dist. 23. §. 2. de fide infusa, scilicet; omnis veritas, qua ex terminis non apparet, eget aliquo motivo, quo fuisibilis fiat intellectui. Intellectus enim talis naturæ est, quod nec ex se, nec ex imperio voluntatis assentire valet alicui obiecto, nisi proponatur ei, ut verum.

2 Patet hoc etiam paritate: ideo intellectus exigit ut motivum divinam autoritatem revelantem, ad hoc ut assentiat huic propositioni: *Deus est Trinus, & Unus;* quia existentia huius mysterij est obscura, & ex terminis non apparet potius, quam ejus parentia; sed non minus obscurè proponitur existentia revelationis talis mysterij; nam licet Apostoli, Prophethæ, & illi, qui habuerunt evidentiā revelationis, clare cognoscerent Deum esse, qui immediate illis loquebatur; tamen in ceteris creditibus talis evidētia non datur, sed resūctu illorum est obscura: ergo si-

sicut ad assentiendum mysterio eget intellectus aliquo motivo , sic similiter ad assentiendum huic propositioni: *existit revelatio mysterij.* Quodnam hoc sit , est difficultas , circa quam variæ sunt sententiae. Principias proponam , & impugnabo , & tandem nostram mentem aperiam , & defensabo.

3. Dico 1. , motivum , in quo ultimo resolvitur assensus existentiae revelationis , nec est habitus fidei , nec auxilium actuale gratiæ. Prima pars est contra Canon. Aragon, Bañez , & Molinam. Secunda contra Granados. Prob. tamen : nostra difficultas procedit de resolutorio objectivo , non vero de subjectivo ; sed tam habitus , quam auxilium unice sunt rationes per modum principii efficiendi actum fidei ; ad modum , quo potentia ambulandi est ratio eundi : ergo sicut querenti , quare ivisti Matri- tum ? Non recte respondes; quia habui potentiam ambulandi ita querenti : quare assentis re- ve- lationi ? Non recte respondes; quia datur habitus fidei , aut auxilium constituens credibili- tatem subjectivam , sive poten- tiæ proximam credendi.

4. Confirmatur: in tan- tum habitus fidei , vel auxi-

lium esset tale motivum , in quantum pertinerent ad objec- tum formale fidei ; sed non per- pertinent : ergo &c. Mai. est funda- mentum contrariorum. Prob. min. 1. ; quia habitus , (idem dic de auxilio) solum est causa actus , neandum secundum in- tensionem , sed etiam secundum substancialiam : ergo non se tenet ex parte objecti formalis. 2. ; quia habitus fidei infusus na- cessario specificatur ab objecto formalis : ergo objectum formale fidei præsupponitur ad hunc habitum ; cum specificativum præsupponatur ad suum speci- ficatum. Demùn ; quia moti- vum credendi , sicut motivum amandi , debet præcognosci , ita ut ille , qui crediturus est , red- dat saltem in consilio ratio- nem de tali motivo : & respon- deat : *credo* ; quia me movet hoc , scilicet , authoritas infal- libilis Dei , habitus fidei , vel auxilium divinæ gratiæ ; sed nullus potest respondere : *cre- do* ; quia me movet , vel habi- tus fidei , vel gratia , alias pos- set naturaliter cognoscere se habere habitum fidei , & gratiam , quod est contra Tridentinum: ergo &c.

5. Dices pro AA. pri- mæ partis : illud est motivum fidei , saltem partiale , quod manifestat objecta credenda sed

hæc manifestantur medio lumine, quod est habitus fidei, licet non clarum, saltim obscurum, juxta illud Epist. 2. Div. Petri, cap. 1. : *cui bene facitis attenentes, sicut lucerne luentes in caliginoso loco : ergo &c.* Confirmatur : etsi lumen habitus fidei sit principium effectivum actus, potest esse lumen objecti, ut patet, tum in lumine gloriæ, quod est causa efficiens partialis visionis, & tamen illuminat objectum videndum. Tum, in lumine materiali, quod taliter manifestat colores visui corporeo, quod etiam requiratur ex parte potentie : ergo etsi lumen habitus fidei &c.

6 Respondeo, negando min. ; nam in nostro casu nulla datur manifestatio objecti præter propositionem illius, v. g. *Incarnationis*, ut credibilis, quæ propositio non fit à lumine, vel auxilio. Nec authoritas Div. Petri est ad rem ; nam ex ea solum sequitur, quod lumen fidei non confert evidentiam objecto, quod est propositio catholica. Ad confirm. dico, quod exempla sunt contra adversarios ; nam lumen gloriæ in nostra sententia nullo modo se tenet ex parte objecti visionis, sed tantum ex parte potentie clevando ip-

sam, & corroborando in genere virtutis activæ, quod pariformiter accidit in præsenti de habitu fidei. Lumen naturale solum concurrebit ut conditio ad prodecendam visionem materialē ; vel ut alii dicunt, concurrebit, ut principiam ad mittendas species colorum ; non vero ex motivo videndi colores.

7 Dices pro AA. secundæ partis : Div. Aug. de prædestinatione SS. ait : *qui credunt, predicatore foris scens sonante, intus à Patre audiunt, atque discunt.* Div. Chrysost. & Ambros. explicantes illud Epist. 1. Joan. cap. 5. : *qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se*, dicunt, quod ad credendum necessarium requiritur lumen aliquod illustrans, & inducens intellectum, ut assentiatut revelatis : ergo illustratio interna, quæ necessario est supernaturale auxilium, est motivum credendi revelatis : ergo in illa ultimo resolvitur assensus fidei. Resp. huiusmodi authoritates, solum asserere, requiri internum auxilium, aut illuminationem supernaturalem, qua præveniamur ad credendum, & compleatur virtus incohata intellectus ad assensum supernaturalem mysterii revelati : & hoc

hōc catholicē fatemur : quod vero hæc illuminatio ad objectum formale fidei pertineat, minime ex autoritatibus inferatur , ut intuenti constabit.

8 Dices ultimo : divina authoritas revelans absoluta : non est motio sufficiens , ut determinetur intellectus ad assensum supernaturalem fidei : ego ultra illam est necessaria divina illustratio. Prob. antec. : posita authoritate divina , & motivis credibilitatis , adhuc assensus fidei non erit supernaturalis deficiente divina illustratione : ergo &c. Resp. , neg. suppositum antec. : quia objectum motivum nec determinat , nec debet determinare ad assensum supernaturalem ; hæc enim determinatio præcisæ provenit à principio supernaturali se tenente ex parte potentia , & activitatis. Prob. antec. solum concludit de causa efficienti , non de motiva , de qua in præsenti solum est sermo.

9 Dico 2. authoritas humana totius Ecclesiæ non potest esse motivum assentendi divinæ revelationi. Est contra Medin. Durand. & alios. Prob. : authoritas humana totius Ecclesiæ , ut pote motivum fallibile , non potest esse sufficiens motivum , assensus infallibilis , qualis est assensus fidei

divinæ , de quo postea : ergo authoritas humana totius Ecclesiæ &c. Prob. antec. : non potest esse maioris infallibilitatis , hæc propositio : existit mysterium Incarnationis , quam hæc : existit revelatio mysterii Incarnationis ; sed hæc secunda fundatur in authoritate humana , juxta contrarios , quæ fallibilis est : ergo nequit esse assensus infallibilis fidei motivum. Hæc conseq. patet ; quia assensus depronit infallibilitatem ab authoritate revelante ; cum ergo authoritas humana revelans fallibilis sit , nequit assensus esse infallibilis. Confirmitur : hic modus dicendi continet circulum vitiosum : ergo non est bonus. Prob. antec. : si interrogetur quis , cur credit , Incarnationem existere ? Respondebit ; quia Deus revelavit. Sed quare credis ; Deum illam revelasse ? Quia Ecclesia hoc dicit. At , quare credis Ecclesiæ hoc dicenti ? Quia Deus revelavit credendum esse Ecclesiæ : id icerum rogo ; quare credis , Deum revelasse credendum esse Ecclesiæ ? Dices ; quia Ecclesia hoc dicit. En ergo quomodo terminus est principium ipsius , & terminus talis principii , & sic committitur circulus vitiosus. De hoc

amplius in sequentibus conclud-
sionibus.

10 Dico 3.: nec au-
thoritas divina Ecclesiaz, qua-
tenus, scilicet est organum Spi-
ritus Sancti, & habet infallibili-
tem assidentiam ipsius, qui
non permittit Ecclesiam errare
in rebus ad Religionem perti-
nentibus, est motivum ad cre-
dendam existentiam divinae
revelationis. Est contra Pitigia-
num in 3. dist. 24. art. 1.: Prob.:
hac assidentia Spiritus Sancti
est unum ex mysteriis creden-
dis: ergo non est motivum &c.
Prob. consequentia: assidentia
Spiritus Sancti respectu Eccle-
siaz est nobis æque ignorata; ac
ipsa existentia revelationis; sed
hoc ipso nequit esse tale mo-
tivum; alias explicaretur ig-
notum per æque ignotum: ergo
&c. Prob. min.: assidentia Spi-
ritus Sancti respectu Ecclesiaz
non constat nobis ex natura
terminorum, sed per divinam
revelacionem, scilicet, quia
hoc dicit Sacra Scriptura: er-
go utrumque est nobis æque
ignotum.

11 Dices: tam Rusti-
cus, quam Doctus credit mys-
teria, quæ Ecclesia proponit;
sed non alio motivo, nisi quia
proponit Ecclesia authoritate
infallibili Spiritus Sancti; ergo
&c. Prob. min. authoritate Div.

Augustini cap. 5. contra Epis-
tolam fundamenti, ubi ait: ego
*Evangelio non crederem, nisi
me Ecclesia teneret authoritas.*
Et Paulo post: *Evangelium
Nazareorum non admitam, quia
non admittitur ab Ecclesia:* er-
go &c. Respondeo distinguendo min.: sed non alio motivo,
nisi quia Ecclesia proponit; ita
ut propositio Ecclesiaz sit con-
ditio ad credendum, concedo
min.: ita ut sit ratio ultima
motiva, & formalis ad cre-
dendum, nego min.. Augusti-
nus ergo loquitur de motione
notificativa; non vero de for-
malí constituentē actum theo-
logicum fidei in esse theologi-
ci. Unde promulgatio Ecclesiaz
ad credendum est mera con-
ditio. Vide quæ diximus quæst.
1. sect. 2. à num. 26.

12 Dico 4.: assensus,
quo credimus existentiam re-
velationis mysterii revelati, est
elicitus ab habitu fidei, non
est immediatus ex apprehensione
terminorum, sicut est notitia
primorum principiorum: & sic
assensus existentia revelationis
non resolvitur in terminos ip-
sius, sicut resolvitur qualibet
propositio per se nota. Est con-
tra Lugo, & alios. Probatur:
*non est per se notum, locutionem
Parrochi, Prædicatoris,
aut Magistri esse locutionem*

mediatam Dei : ergo assensus existentiae revelationis nequit resolvi in terminos ipsius revelationis , sicut assensus propositionis per se notæ . Conseq. infertur : prob. antec. : si esset per se notum , locutionem Parrochi , Prædic. &c. proponentium aliquod mysterium , esse mediatam Dei locutionem , maxime , quia prōponitur ut confirmata miraculis , martyris , & aliis signis ; sed licet sic prōponatur , minime infertur , esse per se notum ex ipsis terminis talem locutionem esse mediatam Dei : ergo &c.

13 Prob. min. : Episcopi Lutherani , & Calvinistæ , eorumque Prædicatores semper prōponunt suam hereticam doctrinam ut confirmatam eodem apparatu signorum ; sed prōpositio eorum non vere apprehenditur a Catholico audiente , ut locutio mediate Dei : ergo ex eo , quod existentia revelationis alicuius mysterii prōponatur à ministro Catholico cum supra dictas signis , & motivis prudentis credibilitatis , minime infertur , esse per se notum ex terminis , locutionem talis Ministri esse locutionem mediatam Dei . Min. cum conseq. tenet . Mai. vero constat ; quia heretici prōponentes suam doctrinam , dicunt illam esse , quam Christus , & Apof.

toli tradiderant ; & addunt , quod miracula , quæ in historiis Ecclesiasticis narrantur facta , esse in confirmationem ipsorum doctrinæ : SS. & DD. Ecclesiarum illam tenuisse , & prædicasse : & Martyres tradidisse vitam pro illa : ergo &c.

14 Confirmatur : supponamus , (quod possibile est) Parrochum aliquem prōponentem simili plura mysteria fidei , prōponere , vel ex ignorantia , vel ex malitia , inter mysteria vera aliquod falsum , scilicet , quaternitatem divinarum Personarum , & in confirmationem , quod Deus sic revelavit , allegare signa , miracula &c. Hoc supposito , inquit quomodo ex terminis apparet audienti , quod revelatio mysterii veri est locutio mediatam Dei , non vero mysterii falsi ? Non video certe ; cum utraque prōpositio exornetur , & prōponatur eisdem signis , & motivis . Deinde , locutio mediata Dei non bene explicatur à Patre Lugo , ut ipsum legenti aperite constabit . Videatur N. Sendo controv. 4. q. 4. de fide .

15 Dico 5. : assensus revelationis non resolvitur ultimo in locutionem moraliter divinam , quæ consistat in locutione Parrochi prōponentis locutionem , quæ in re est di-

vina. Est contra nostrum Antonium Perez. Prob. : modus præbens fundatum hæreticis ad suos stabiendos errores nequit admitti à catholico ; sed talis est hic modus dicendi : ergo. Prob. min. : hic modus præbet fundatum hæreticis ad adstruendum proprium instinctum internum, sive spiritum privatum , quo dicunt, omnes debere duci in credendis , & agendis : quare negant necessitatem recursus ad Ecclesiastam declarantem mysteria; quia ex firmitate assensus , quam inducit spiritus privatus , agnoscunt moraliter , locutionem esse divinam ; sed totum hoc videtur sequi ex supraposito modo dicendi , secundum explicationem præfati authoris : ergo &c. Minor constabit, contemplando explicationem nostri Antonii Perez tom. 2. tract. 4. disp. 2.

16 Confirmatur : Hæreticus Doctus eamdem firmatatem inducit respectu sui subditi Rustici , ac Parrochus Catholicus respectu sui subditi Rustici ; sed in primo firmitas illa non facit propositionem Parrochi , ex terminis propositionis ipsius esse locutionem moraliter divinam : ergo nec in secundo. Mai. est certa; quia interque dicit , mysterium esse ex obligatione credendum : &

uterque Rusticus judicat esse firmiter credendum , & sic credit. Urgetur : supposita propositione Parrochi dicentis, locutionem esse moraliter divinam , adhuc ex terminis non est patens , & certum , talem propositionem esse divinam; esto in rei veritate sit talis : ergo assensus revelationis non resolvitur in locutionem moraliter divinam. Antec. constat experientia , qua videmus , quod in fidelibus dantur tentationes contra fidem , & saepe magno merito ipsos resistere.

17 Dico 6. : tale refutativum non est revelatio divina , quatenus conscipitur confirmata miraculis , & aliis signis extrinsecis , quibus redditur prudenter credibilis. Est contra Ripald. Prob. : vel assensus existentiae revelationis movetur partim ex signis extrinsecis , & partim ex ipsa revelatione: vel refunditur totaliter in ipsa signa extrinseca , aut in ipsam revelationem ? Si 1. : ergo talis actus credendi debet sic explicari : *credo revelationem existere* ; quia existit *revelatio* ; & quia signa externa suadent *revelationem existere* ; sed si credo *revelationem existere*, quia *revelatio existit* , iam non credo *existere revelationem*, quia signa externa hoc suadent : & si credo , *revelationem existere*,

quia

signa externa hoc suadent, non credo, revelationem existere, quia revelatio existit: ergo contradictione est, quod assensus existentiae revelationis moveatur partim ex signis extrinsecis, & partim ex ipsa revelatione.

18 Si autem 2., dicatur; scilicet, quod motivum assensus totaliter refundatur in ipsa revelationem, aut totaliter refundatur in ipsa signa extrinseca contra; quia si totaliter refundatur in revelationem, tunc talis actus sic debet explicari: credo existere revelationem, quia existit revelatio: vel credo, dari revelationem, quia datur revelatio: sed hic modus dicendi est nugatorius; ergo &c.. Si vero dicatur, quod totaliter refutatur in signa extrinseca, contra; quia tunc, motivum adaequatum talis assensus fidei supernae erit pure humanum, quod est implicitorum, & satis constat ex propositione 21. damnata ab Innocent. XI.: & amplius constabit ex immediate dicendis: ergo. Quare

19 Dico ultimò: motivum adaequatum ad assensum existentiae divinæ revelationis non est authoritas humana. Est contra N. Pontium afferentem per motiva credibilitatis posse cognosci cognitione moraliter

certa, quod detur revelatio divina de rebus crederidis: & cognitio ista sufficit, ut postea quis credat, existere revelationem, & mysterium reveatum. Probatur tamen 1. nostra conclusio: assensus existentiae divinæ revelationis debet esse infallibilis; sed non potest esse infallibilis, si motivum adaequatum talis existentiae sit authoritas humana: ergo &c. Mai. ultra hoc, quod sic Subt. Doct. in 3. dist. 23. §. ad quest. ubi docet, quod fidei assensus debet esse ita firmissimus, ut omnem formidinem, & dubitionem excludat; præterquamquod, inquam, est Doctoris, constabit infra, dum de infallibilitate actus fidei agamus.

20 Prob. 2. conclusio: ut assensus sit infallibilis infallibilitate fidei theologicæ, debet attingere mysterium, ut condignificatam divina authoritate; sed assensus non potest tendere in mysterium ut condignificatum divina authoritate, quia talis assensus attingat revelationem: ergo assensus fidei divinæ necessario ut attingit mysterium sic condignificatum, necessario debet tendere in ipsam revelationem; & conseqüenter sicut authoritas humana excluditur à ratione motivi assensus erga mysterium, ut tenet

ipsem Pontium, similiter excludi debet à ratione motivi assensus erga revelationem. Mai. discursus constat; quia si mysterium non attingeretur, ut condignum autoritate divina, non apræhenderetur ut infallibilis ejus existentia; cum omnis testificatio humana ex se fallibilis sit. Min. talis discursus etiam patet; quia mysterium concipiatur ut condignum divina autoritate; quæ condignificatio nequit concepi absque eo, quod divina revelationis concipiatur.

21 Pto. tandem conclusio: antequam detur fidei assensus, debet precedere apræhensio proponens ut infallibilem existentiam mysterii; sed nequit precedere talis apræhensio, si motivum existentie revelationis est tantum autoritas humana: ergo. Mai. est expressa Doct. in 3. dist. 33. §. ad quest; & patet etiam ratione; quia alias imprudenter procederet in tali assensu. Prob. min. nequit apræhendi ut infallibilior existentia mysterii, quam existentia revelationis, quia qui non apræhenderet revelationem ut existentem, non possit credere mysterium titulum revelationis; sed si motivum adæquate suadens existentiam revelationis est authori-

tas humana, existentia revelationis nequit apræhendi, ut infallibilis; cum prædicta autoritas de te fallibilis sit: ergo &c. Sic rejectis variis, & principalioribus modis dicendi, quorum ulterior impugnatio potest videri in N. Sendin cit.; nunc

Proponitur nostra conclusio.

22 Supposita fide acquisita de signis vera Ecclesia, assensus firmissimus circa existentiam revelationis fundatur tamquam in motivo adæquato in divina autoritate Dei revealantis ad quem titulo gubernatoris, & restissimi Provisoris Universi spectat, non permittente, quod aliqua revelatio falsa, & mendax proponatur ab Ecclesia Catholica tot, tantisque signis decorata, ut sola ipsa inter omnes appareat evidenter creditibilis: & cæteræ sectæ in comparatione ipsius videantur prorsus incredibilis, & falsæ. Quia hæc conclusio, ut jacet aliquibus nova apparebit, antequam probetur.

23 Notandum est ex postea dicendis, quod religio nostra est evidenter creditibilis

tam absolute, quam comparativè. Ratio est; quia ipsa sola est fulcita talibus fundamentis, & signis, ut cæteras religiones incredibiles reddat. Sed quia signa, quæ nostram Ecclesiam reddunt evidentè credibilem, quam plurima nobis evidenter non appareant, sed tantum constent ex testimonio humano, necesse est, quod voluntas imperet intellectui elicere assensus de existentia talium motivorum. Hoc assensu supposito (qui est assensus obscurus fidei humanæ acquisitus de existentia talium signorum) postea intellectus credit, existere revelationem. Ad hunc assensum non movetur ex signis, aut motivis extrinsecis, quibus Ecclesia catholica sit evidenter credibilis; sed movetur ab autoritate Dei revelantis, cui titulo Gouvernatoris, & rectissimi Provisoris competit, non permittere, quod nomine ejus proponatur aliquid falsum tamquam à se dictum, ita ut hoc reddatur credibile ex merito, & ratione fundamenti prædictorum motivorum; sic conclusione intellecta.

non 24 Prob. 1. ad autoritatem Dei titulo rectissimi Provisoris, & Gouvernatoris spectat, non permittere, quod ab Ecclesia Catholica tantis

signis condecorata, proponatur revelatum à Deo aliquid falsum: ergo assensus existentie revelationis resolvitur ultimate in divinam autoritatem sic explicatam. Prob. antec.: ad Dei providentiam spectat, quod in mundo sit vera doctrina, & religio, media qua homines instruamur, & ordinemur ad verum cultum ipsius Dei: ergo etiam pertinet ad ejus providentiam, quod à nobis sit invenibilis vera doctrina. Nunc sic; sed nullus est modus regularis inveniendi veram doctrinam, & religionem, nisi per signa evidenter credibilitatis: ergo ad Dei providentiam spectat, quod non proponatur toti Universo ab Ecclesia Catholica aliqua doctrina falsa, condecorata signis evidenter credibilitatis.

25 Prob. 2. conclusio ex illo Richardi à S. Victore lib. de Trinitat. Epist. 2. ubi propositis signis evidenter credibilitatis sic cum Deo affatur: Domine, si error est à te ipso decepti sunus. Et redens causalem ait; quia ipsa (id est, fidei catholice mysteria) tantis signis confirmata sunt, & prodigijs talibus, quæ non nisi per te fieri possunt: ergo signa prudentis, & evidenter credibilitatis, quibus nostra fides con-

decorata est, talia sunt, ut si eisdem signis proponeretur falsa doctrina sub obligatione credendi, nostra deceptio Deo tribueretur. Nunc sic; sed hoc repugnat Deo, ut ex professo videbimus 3. dist. huius: ergo assensus de existentia revelationis resolvitur in divinam authoritatem sub titulo Provisoris, & Guvernatoris universalis, suppositis praedictis signis à Deo factis in confirmationem talis doctrinæ.

26. Prob. 3. à paritate: ad authoritatem Principis humani spectat, non solum non asserere falsum, sed nec permettere, quod nuntius eius proponat aliquid falsum munitum signis, & instrumentis ipsius Principis, ita ut audientes prudenter credant, nuntium loqui nomine Principis; sed Deus signis, & prodigiis prudentis credibilitatis ostendit universo, quænam sit doctrina vera: ergo Deo sub titulo sue authoritatis ut Supremo Principi, & Guvernatori, incumbit non permettere, quod aliquis nomine eius proponit falsam doctrinam, sub eisdem signis, & prodigiis, quibus sua vera doctrina proponitur. Conseq. infertur; quia si indecorosum esset Principi humano, a fortiori & indecorosum esset Principi Supremo.

27. Prob. tandem conclusio ratione deducta ex S. Doct. in 3. dist. 25. quæst. 2. que sic proponitur: determinata voluntate ad fidem acquisitam de signis veræ Ecclesiæ, datur infallibilis connexionis inter propositionem Ecclesiæ, & existentiam revelationis proprie ab Ecclesia: ergo assensus existentiæ revelationis ultimo resolvitur &c. Prob. antec.: si hæc infallibilis connexionis non daretur inter propositionem Ecclesiæ, & existentiam revelationis adhuc supposito assensu fidei acquisitiæ de signis, & notis veræ Ecclesiæ ut intellectus assentiret, esset necessaria motiva posse voluntatis, & non sufficeret non contramotio; sed hoc est contra Doct. cit.: ergo &c. Prob. mai.: dum præmissæ non habent evidenter connexionem cum conclusione, sed tantum probabilem, adhuc supposito assensu præmissarum, requiritur motio positiva voluntatis, ut intellectus potius assentiat, quam dissentiat. Contra r̄es se habet, quando habent connexionem necessariam, & evidenter cum præmissis; nam tunc sufficit non contramotio voluntatis: ergo &c. De hoc amplius dist. 3. & 5. huius.

nego antec. & conseq. eisdem terminis dist. probat.

29 Non enim dicimus, opponi divinæ authoritati, permettere deceptionem huius, aut alterius credentis ; bene vero permettere deceptionem sub circumstantiis, quibus haec procedat, non ex ignorantia, vel inadvertentia credentis, ut esset in casu argumenti ; sed proveniat ex merito, & ratione intrinseca ipsis fundamenti ; nam tunc si motivum esset sufficiens, ut hic Rusticus judicaret existentiam talis revelationis esse evidenter credibilem, etiam foret sufficiens respectu totius Ecclesiae, & totius universi, ut de se constat ; cum tunc sufficiens haberet motivum ex sua ratione intrinseca : & hoc est, quod repugnat divinæ authoritati titulo Provisoris, & Guvernatoris Universi. Ad confirmationem omnissimo antec., distinguo conseq. : ergo Rustici non credunt existentiam revelationis propter divinam autoritatem, formaliter, translat consequens : non credunt virtualiter, & equivalenter, nego conseq.. Certum ergo est, Rusticos aliter credere Ministris Ecclesiae, prout docentibus mysteria fidei, quam dum alia narrant : ergo quia in primo

Solvuntur Argumenta.

28 Arguitur 1. : non repugnat authoritati Dei, ut Provisoris, & Guovernatoris permettere, ut aliquis error proponatur, ut evidenter credibilis : ergo ruit probatio conclusionis. Prob. antec. : non repugnat, Rusticum decipi a suo Parrocho proponente ei aliquem articulum falsum simul cum alijs veris, dum Rustico non appetat maior congruentia ad credendum unum potius, quam alium : ergo non repugnat authoritati Dei &c. Confirmatur : Deum non posse permettere, quod falsa doctrina proponatur evidenter credibilis ex signis, & notis veræ Ecclesiae, vix percipitur a Doctis, quanto minus a Rusticis : ergo Rustici non credunt existentiam revelationis propter autoritatem divinam modo dicto. Respondeo ad argumentum distinguendo antec. : non repugnat authoritati Dei permettere, quod aliquis error proponatur credibilis evidenter ex ignorantia, & inconsideratione proponentis, & credentis, conc. antec. : ex merito, & ratione ipsius motivi,

casu concipiunt, Ministrum dignificatum, & autorizatum divina auctoritate.

30 Arguitur 2: nequit auctoritas divina movere ad alienum existentiae revelationis, quin talis existentia proponatur, & reddatur evidentiter creditibilis: ergo fundamenta prudentis creditibilitatis, saltē inadæquatē, movent ad assensum existentiae revelationis; & consequenter predictus assensus ultimātē resolvitur in auctoritatem divinam, & in fundamenta fidei humanae. Prob. conseq.: assensus existentiae revelationis fundatur in his duobus principijs: divina auctoritati titulo Guvernatoris repugnat permettere quod aliqua falsa revelatio proponatur evidentiter creditibilis ex merito fundamenti; sed mysterium Incarnationis proponitur evidentiter creditibile ex merito fundamenti: ergo assensus præstitus revelationi talis mysterij movetur, & ex auctoritate divina, & ex fundamentis prudentis creditibilitatis, quæ sunt humana; & consequenter &c. Confirmat: fides de existentia revelationis resolvitur in hæc duo principia: *Deus non potest permettere, quod doctrina false proponatur, nisi evidenter creditibilis, & sub*

obligatione credendi. Doctrina Christiana sic proponitur creditibilis: Nunc sic; sed hoc ultimum est solum certum auctoritate humana: ergo in hanc saltē inadæquatē resolvitur assensus fidei de existentia revelationis

31 Respondeo, conces. antec., negando conseq. & disting. antec. probationis: assensus existentiae revelationis fundatur in his duobus principijs: divina auctoritati &c. *differenter, conc. antec. : parviter, nego antec. & conseq. illatam. Ad confirmat. dist. ant. ut supra, dist. consequens: ergo in auctoritate humana resolvitur assensus de existentia revelationis tamquam in conditione præviè requisita ad assensum fidei, conc. conseq. : tamquam in motivo sive totali sive partiali, nego conseq.. Explicatur: motiva prudentis creditibilitatis etiæ explicentur ut supra respectu assensus revelationis, tamen respectu huius assensus, si est fidei divina, non habent rationem motivi, sed tantum conditionis effectivæ essentialitè exigitæ à tali assensu.*

32 Duplex ergo datur assensus in credente existentiam revelationis mysterij fidei divina. Primus; quo ju-

dicat , existentiam revelationis esse evidenter credibilem: & **hic** assensus est pure fidei humanæ; sicut motiva prudentis credibilitatis, ut miracula, martyria , &c. Secundus est , quo creditur , revelationem existere , qui est actus fidei divinæ, & adæquate moveatur à divina autoritate. Hic ergo assensus essentialiter supponit primum assensum fidei humanæ, & ejus motiva , scilicet , fundamenta prudentis credibilitatis ; at vero non tamquam motivum sui ipsius , sed tamquam motivum actus prævij, & præsuppositi, scilicet, assensus humani.

33 Exemplificatur hoc: non solum exemplo actus naturalis erga divinam veracitatem , qui juxta dicta precedit ad actum fidei divinæ; sed etiam assensus fidei supernæ , quo eredimus , Clementem XIII. esse verum Pontificem. Hic ergo assensus præsupponit essentialiter alium, quo credimus fuisse rite electum , & hic assensus est fidei humanæ; cum adæquate moveamus ad illum ab autoritate humana Ecclesiæ illum acceptantis in verum Papam. Et tamen assensus fidei divinæ, quo credimus esse verum Pontificem , nec adæquate moveatur ab autho-

ritate humana , sed præcise à divina ; licet , ut hęc moveat, necessario exigat , quod authoritas humana moveat, ad actum prævium , quo hic creditur rite electus. Ex quo redditur intelligibilis solutio argumenti.

34 Sed nota obiter, quod frequenter assensus fidei divinæ est mixtus cum fide humana; quia in communiter creditibus judicium prudentis credibilitatis existentiæ revelationis sociat etiam ad assensum circa existentiam revelationis; cum ad ipsam simul inclinet habitus infussus, & moveat authoritas divina: & sic assensus elicetur secundum inclinationem utriusque fidei, humanæ, & Divinæ, ut docet Doctor quolibet. 14. §. de primo. Verumtamen estō authoritas humana possit movere ad assensum revelationis, talis assensus sub hoc motivo erit tantum fidei humanæ, & non divinæ; cum non habeat proximo authoritatem divinam.

35 Arguitur 3. inter authoritatem divinam , & existentiam revelationis sub signis credibilitatis non datur evidens conexio : ergo divina authoritas nequit movere ad assensum existentiæ revelationis. Prob. antec.: non defunt

Theo.

Theologi defensantes, Deum posse patrare miracula, ex quibus falsa doctrina reddetur evidenter credibilis; sed hoc probat, non dari evidenter connexionem inter autoritatem divinam, & existentiam revelationis, ut de se patet: ergo &c. De hoc argumento ad longum, dum de certitudine fidei, agamus, : ex quibus, negato primo antec. absolute, nego etiam mai. probationis absolute prolatam; nam absolute, & simpliciter nequit Deus permittere, proponi falsam revelationem, & Doctrinam ut evidenter credibilem ex omnibus signis & motivis, quibus doctrina Catholica redditur evidenter credibilis; cum evidens credibilitas huius reddat contrariam, & oppositam evidenter incredibilem.

36 Aurguitur 4.: si esset evidens, quod doctrina proposita, ut evidenter credibilis ex omnibus motivis, & signis prudentis credibilitatis, est revelatio, & doctrina Dei, sequeretur, esse evidens existere revelationem de mysterijs nostris fidei; sed hoc est falsum: ergo &c. Sequela maioris constat, nam mysteria nostrae fidei sic proponuntur revelata: ergo evidens est, existere reve-

lutionem de ipsis mysterijs. Resp. dist. sequel. maioris: sequeretur, evidens esse *evidentia morali*, existere revelacionem, conc. mi.: *evidentia physica*, aut *metaphysica*, nego mai.; & invertis terminis dist. min., nego conseq. Ad probat. dist. ant. : mysteria nostrae fidei sic proponuntur revelata, & hoc dependet a judicio obscuro, conc. antec. : & hoc ex terminis constat, nego antec., & dist. conseq. terminis distinctio- nis sequelae maioris. Solutio constabit ex dicendis disp. 5. de certitudine, & credibilitate mysteriorum nostrarum fidei.

37 Arguitur ultimo: estò falsa revelatio proponatur evidenter credibilis, ex hoc propositio revelata non elevatur ad rationem locutionis Dei; sed ad divinam authoritatem ut Guvernantem, tantum spectat impedire, quod revelatio falsa sit locutio Dei, & ut talis evidenter credibilis: ergo &c. Respond. dist. mai.: esto falsa revelatio proponatur evidenter credibilis, ex aliquo signo, & respectu aliquius particularis, ex hoc non elevatur &c., permitto mai.: evidenter credibilis ex omnibus signis, & respectu omnium, subdist. mai. non elevatur ad rationem locutionis Dei directe, conc.

concl. mai.: locutionis indirecta Dei, nego mai., & negata abso- lute min. nego conseq. Revelatio ergo falsa sic autorizata esset saltem locutio indirecta Dei, ut constat exemplo Legati Principis suprà posito num. 26.: & repugnat, quod Deus adhuc indirecte proponat, ut evidenter credibilem ratione motivorum, & signorum doctrinam in rei veritate falsam.

38 Ex omnibus oculis que dictis tam in hac, quam in praecedentibus questionibus constat, fidem nostram resolvi in has duas propositiones evidentes, & clarissimas. Prima est; Deus titulo, sue infinitae veritatis, & sapientiae, nequit fallere, nec falli. Secunda est; Deus titulo sue divinae authoritatis, ut supremi guver-

natoris universi, nequit permittere quod falsa doctrina, vel revelatio falsa proponatur evidenter credibilis ex omnibus signis, & motivis, ex quibus resultat evidens credibilitas. In prima propositione attingitur divina authoritas conflata ex sapientia, & veritate, quae est objectum formale ad credenda mysteria revelata. In secunda, continetur authoritas divina prout gubernatrix universi, que est motivum formale ad credendam existentiam revelationis de mysterijs nostræ fidei. Fateor sanè, quod omnia dicta in hac disp., ut pote metaphysica plene, plane obscura sunt: sed certè aliquomodo clarescent ex dicendis in disputationibus sequentibus.

D I S P. II.

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI DIVINÆ,

Postquam de objecto formalí fidei divinæ egimus, merito in præsenti de materiali objecto sermonem instituimus; ut sic totale objectum fidei explicatum maneat. Sunt ergo perdifficiles quæstiones in hac disp. res tractandæ; quasque brevi calamo tradere conabimur. Sit ergo.

QUÆST. I.

Quodnam sit objectum materiale fidei divinæ?

1. **N**oto 1. ex dictis in Logica, quod objectum aliud est *principalitatis*; aliud vero *adæquatum attributionis*. Primum est quod in aliqua scientia, vel cognitione est nobilius inter alia objecta particularia; & de hoc non est dubium in præsenti; nam certum est; quod

objectum materiale incomple-xum primum primitate principalitatis inter omnia objecta nostræ fidei est Deus ipse sive in symbolo Apostolico primus fidei articulus numeratur hic: *credo in Deum &c.* Secundum objectum, hoc est adæquatum attributionis est illud, ad quod aliquomodo reducuntur omnia, quæ sub habitu cognoscitivo comprehenduntur. De hoc ergo objecto procedit quæstio. Sed.

2. Nota, quod hoc objectum adhuc est duplex: aliud *imcomplexum*; & est ad quod alia aliquomodo reducuntur.

Aliud

Aliud vero *complexum*, & est quod complectitur omnia, quæ generaliter in tali facultate traduntur. Sic ergo nostro casu objectum adæquatum complexum nostræ fidei sunt generaliter omnia à Deo revelata: & aptitudinaliter sunt omnia revelabilia. An vero respectu nostræ fidei rigurose loquendo possit statui tale unum objectum complexum habens tantam unitatem ex objecto primo materiali sicut habent Scientiæ ab objecto causatæ, est difficultas inter Autores. Pars negativa, mihi probabilior videtur.

3 Ratio est; quia Deus non mouet in ratione objecti ad cognitionem omnium credibilium, nec in Deo sub ratione Deitatis continentur virtualiter omnia credibilia; ita ut ex illo deduci possint. Licet enim Deus sub ratione Deitatis contineat virtualiter omnia credibilia necessaria, ut Deum esse unum, & trinum: & ut volens omnia credibilia contingat; quia Deus vero clare non videtur à nobis, ideo nec omnia credibilia concipi mus in Deo, ut in objecto primo in particulari, licet contineat omnia, ut causa effectiva omnium. Quare Doct. id 3. dist. 23. quæst. unic. docet,

quod si aliqua unitas ex objecto materiali fidei concedenda sit, nequit in rigore sermonis concedi alia, nisi quæ desumitur ex unitate revelationis; cum omnia respiciantur à fide, ut revelata à Deo; & in hoc sensu ait Paul. ad Ephes. 4.: *unus Dñus, una fides &c.* Sed admisso pro nunc, quod ex pluribus objectis incomplexis fidei statui debeat unum completum, seu complexum attributionis; queritur quodnam hoc sit? Et quia in hoc puncto magna æquivalatio de nomine solet esse, ut notat N. Mastrius; ad hanc tollendam, difficultatem per diversas conclusiones resolvam. sit ergo.

Prima conclusio.

4 Objectum materiale, & incomplexum nostræ fidei est solus Deus. Est N. Doctoris cit.: Prob. ratione: illud est objectum adæquatum attributionis aliquius Scientiæ, vel habitus cognoscitivi, ad quod omnia alia objecta particula ria reducuntur, & ipsum ad nullum aliud; sed ad Deum reducuntur objecta omnia particula ria fidei nostræ: & ipse ad nullum aliud: ergo &c. Prob. min.: omnia, quæ per I. fi,

66 De objecto materiali Fidei Divinae.

fidem divinam creduntur, dicunt respectum ad Deum, vel cognoscendum, vel sperandum, vel amandum, vel possidendum: aut sunt Personæ divinæ, vel attributa divina, vel effectus bonitatis, aut justitiae Dei; quia ratione fides in Sac. Script. modo appellatur *fides Dei*: modo *fides ad Deum*; & aliquando *fides in Deum*: ergo ipse Deus est, ad quem reducuntur &c.

5 Dices 1.: quamplura traduntur in Scriptura Sac., quæ nullo modo reducuntur ad Deum, ut sunt peccata, & quod Tobit, canis blandiebatur cauda in ejas adventu; aut quod Saul querebat asinas; & alia huiusmodi, quæ in Scriptura traduntur fide divina: ergo non omnia, quæ sic creduntur, ad Deum reducuntur. Resp. negando mai.; nam omnia prædicta reduci possunt ad Deum, saltim *indirecte*; peccata scilicet, in quantum ab ipso nos avertunt, privant gratia, & gloria, & sunt materia doloris supernaturalis. Alia vero, & similia ad manifestationem tum divinæ providentiae, quæ nec in minimis deserit suos amicos; tum ad manifestandam divinam veritatem, sive in maximis, sive in minimis rebus.

6 Dices 2.: objectum

materiale fidei non solum est Deus sub ratione Deitatis, sed etiam ut Trinus: ergo &c. Prob. antec. ex symbolo Div. Athan. ubi dicitur: fides autem catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur: ergo &c. Confirmatur illud est objectum attributionis fidei, quod est finis illius; sed talis finis fidei est Christus: ergo &c. Prob. min.: ille est finis fidei, qui est fides totius legi Christianæ; sed finis legis Christianæ est Christus, juxta illud ad Rom. 10.: *finis legis Christus*: ergo &c. Resp. dicit antec.: objectum materiale fidei *complexum*, nendum est Deus &c., conc. antec.: objectum materiale *incomplexum*, nego antec. & conseq.. De incomplexo, ergo loquimur in praesenti: & de complexo, (non universaliter) loquuntur verba symboli. Ad confirm. dist. mai.: illud est objectum attributionis fidei, quod est finis illius *ultimus*, conc. mai.: finis *intermedius*, nego mai.; inversis terminis dist. min., & nego conseq.

7 Deces 3.: fides est simpliciter practica: ergo & ejus objectum debet esse practicum; cum debeant proportionari. Nunc sic; sed Deus sub ratione Deitatis non est quid

quid practicum, sed solum in ratione assequibilis medijs nostris operationibus moralibus: ergo nequit esse objectum attributionis fidei. Resp. concessio antec., distinguendo consequens: ergo ejus objectum debet esse quid practicum *quoad affectionem*, conc. conseq.: *quoad attributionem*, nego conseq.. Concedo subsum. & nego conseq.. Objectum enim fidei, quod est Deus, potest dupliciter considerari. Primo secundum se: & sic omnia, quæ in fide traduntur ad ipsum reducuntur. Secundo, ut est assequibile à nobis; & hoc modo, licet fides ordinetur ad illud non tamen ita ultimamente, quod hæc ratio non sit reducibilis ad aliás quin potius reducitur ad ipsum Deum secundum se.

8. Replicabis: ergo fides partim est speculativa, & partim practica. Prob. conseq. habitus habens objectum, partim speculativum, partim practicum, est practicus, & speculativus; sed juxta solutionem ita habet fides suum objectum: ergo &c. Resp. neg. conseq. Ad prob. dist. mai. habitus habens objectum *formale*, & *specificativum* partim &c. conc. mai. objectum solum *materiale*, nego maiorem: inversis terminis dist. min., & nego conse. Deus ergo

sub ratione Deitatis solum ponit ut objectum materiale fidei, à quo non specificatur; formale vero, est ipsa veritas Dei in *dicendo*, quæ est quid practicum; cum ordinetur per se ad opus, seu ad nostram salutem, quæ est finis *quo*, & non ultimus: Dens autem est finis *qui* ultimus ipsius fidei.

9. Dices ultimo: Deus est naturaliter cognoscibilis: ergo nequit esse objectum materiale fidei. Prob. conseq. fides per se ordinatur ad cognitionem supernaturalem ipsius Dei, & eorum, quæ ordinantur ad ipsum; sed hoc ipso ejus objectum debet esse supernaturale: ergo cum Deus sit naturaliter cognoscibilis, nequit &c. Resp. 1., negando antec.: quia Deus solum *naturaliter* potest cognosci secundum conceptus communes, & transcendentess; vel si potest cognosci secundum aliquem conceptum propium, non tamen sub ratione Deitatis, nisi mediante fidei. Resp. 2., Deum esse naturaliter cognoscibilem in quantum est participabilis à creaturis modo naturali, non autem modo supernaturali in ordine gratiæ, & gloriæ, secundum quod per se pertinet ad fidem, & est objectum attributionis ipsius.

Secunda conclusio.

10. Loquendo de objecto complexo, quod fides immediate credit, tot sunt objecta fidei nostræ, quot veritates catholicæ, quibus intellectus noster præbet assensum, vel componendo, vel dividendo. Et communis, & prob. nos non credimus per fidem, nisi per conceptus complexos, componendo, vel dividendo; sed haec complexiones sunt plures, & variae: ergo & objecta complexa fidei nostræ sunt plura, & varia. Mihi constat; quia cum homines non aliter recipiant objecta materialia credenda, quam per voces humanas, quæ repræsentant objecta complexa, componendo, & dividendo prædicatum cum subiecto, hinc est, quod objectum complexum materiale fidei sit complexum, tam ex parte rei creditæ, quam ex parte actus credendi. Min. etiam patet; quia prædictæ veritates aliæ sunt necessarie, & aliæ contingentes.

11. Dices: licet res fidei complexæ sint variae, & distinctæ, non tamen tot sunt objecta complexa, quot sunt veritates catholicæ: ergo &c. Prob. antec. omnes istæ veritates con-

veniunt in eadem re credibili; & sic ex omnibus integratur unum objectum: ergo &c. Resp. negando antec. ad probat dico, quod licet verum, sit quod omnes veritates catholicæ conveniant in eadem ratione formalis credendi; cum omnes propter autoritatem Dei revelantis credantur; falsum tamen est, quod conveniant in eadem re credibili; nam sicut sunt varia subiecta, & prædicata illarum complexionum, sic similiter sunt variae, & diversæ res credibiles. Ex argumento ergo solùm inferitur, quod fides sit una unitate objecti formalis sub quo omnia creduntur, & etiam quod sit una unitate objecti materialis incomplexi, quod est Deus; non vero una unitate objecti materialis complexi.

TERTIA CONCLUSIO.

12. Non quodcumque revelabile est objectum actualis materiale nostræ fidei. Prob. revelatio actualis actu facit materiam credibilem, supposita sufficienti propositione: ergo revelatio possibilis solum potest facere, materiam posse credi, casu, quo à Deo revelatur. Prob. conseq. fides nostra, & Divina revelatio semper concomitantur ergo si revelatio actualiter existens

tens facit materiam actu credibilem, revelatio tantum possibilis solum facit materiam possibiliter credibilem; quia si materia revelata est proxime credibilis, materia non revelata, sed revelabilis, solum remote, & potentialiter erit credibilis.

13 Dices r. plura, quæ sunt revelata in Sac. Script. nobis ignota, credimus implicite fide actuali; quia fide explicita credimus mysteria fidei, quæ sunt nobis nota: & implicite omnia alia, quæ in ipsis continentur, vel sunt à Deo revelata, licet nobis ignota: ergo si fide actuali credimus nota, & ignota, possumus fide actuali credere necum quæ sunt à Deo revelata, sed etiam ea, quæ sunt revelabilia in posteram. Resp. neg. conseq.; nam nota, & ignota contenta in Sac. Script. jam sunt actu revelata, & creduntur motivo actuali credendi. Unde fide implicita credimus mysteria revelata, & nobis ignota, dum explicite credimus, quidquid est à Deo revelatum. Quod autem actu non est à Deo revelatum, actu credi non potest; quia actu non est motivum credendi.

14 Replicabis: hic actus est veræ fidei actualis: credo, quidquid Deus revelatus est usque in finem mundi: ergo abique actuali revelatione datur fides actualis. Prob. antec.: hic actus est infidelitatis: non credo quidquid Deus potest revelare, vel revelatus est: ergo eius oppositus est actus veræ fidei actualis. Resp. omisso antec.; quia talis actus ad summum erit fidei genericus, neg. conseq., ad cuius probat. neg. ant.: nam non datur obligatio actu credendi, quando non datur motivum actu credendi, ut evenit, dum non datur actualis revelatio; unde dum dicitur: non credo quidquid Deus potest revelare, vel revelatus est, non negatur, quod Deus possit revelare aliquid, & quod hoc non sit credendum; dum actu revelatum fuerit; sed quod dum actu revelatum non est, actu non creditur.



Quæst.

QUÆST. II.

An omnia objecta credenda sufficienter contineantur in Symbolo fidei?

1 **N**ota 1., quod aliud est materia fidei; aliud vero articulus fidei. Materia fidei est omnis propositio revelata in Sac. Script., & definita à Conciliis generalibus a Pontifice approbatiss, de quo postea. Articulus fidei non est nisi aliquis ex quatuor decim numeratis ab Ecclesia, & contentis in symbolo Apollonorum, de quibus procedit præsens difficultas. Et hoc Verbum *symbolum* sicut antiquitus significabat aliquid signum datum militibus, ut se invicem agnoscerent, & ab hostibus discriminarent; sic nunc datur fidelibus symbolum hoc, ut se mutuo cognoscant, & distinguantur ab hereticis, Gentilibus, & aliis sectariis.

2 Nota 2., quod symbolum catholicorum est triplex: primum vocatur *Apostolicum*; quia ab Apostolis compositum est, antequam in varias Provincias profiscerentur, ut ait Seraph. Doct. in 3. dist. 25. articul. 1. quæst. 1.: ut maiorem haberent firmitatem in-

guit Apostoli possuerunt ibi suas partes, & omnes in simul singulas approbarunt; ut una Ecclesia, quæ super Apostolo fundari debebat, unam fidei credulitatem, & confessionem haberet; quæ quidem diceretur fides catholica, hoc est, universalis. Et licet hoc symbolum non sit in Sac. Script. ; quia retenus, & non scripto traditum ab Apostolis; tamen certissimum est, habere æqualem autoritatem cum Script. Sac. ; & nullo modo esse inferiorem.

3 Secundum symbolum dicitur Nisenum, sic dictum; quia maiori ex parte ordinatum fuit in Concilio Niseno: & est, quod dicitur in Missis. Hoc symbolum fuit ordinatum, non ut Apostolicum relinqueretur, sed ut magis explicitè profiterentur aliqua mysteria propter hæreses de novo ortas. Proptet Minichæos negantes, *Deum esse creatorum omnium additum est, factorem Cœli. & Terre, visibilium, & invisibilium &c.* Propter Arianos negantes, consubstantialitatem cum Patre, dictum fuit, & ex Patre natum ante omnia sæcula. Et ultra, per quem omnia facta sunt; nam negabant, eum omnia fecisse. Propter Nestorium, & alios ne-

negantes Spiritum Sánctum esse Deum, dictum fuit: *credo in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem.* Et proptet Græcos, qui dicebant, non procedere à Filio, sed à solo Patre, dictum est: *qui ex Patre, Filioque procedit.* Tandem, quia aliqui heretici asserebant, quod Prophetæ locuti sunt, spiritu phanatico, ac poetico, dictum fuit: *qui locutus est per Prophetas.* Videatur Seraphicus Doct. supra citat.

4 Tertium symbolum est Div. Athan. positum ab Ecclesia in officio divino diebus Dominicis. Sed nota, quod cum Sanetus iste non fuerit Pontifex, hinc non potuit auctoritate propria tradere Ecclesia hoc symbolum authenticum, & confirmatum ad credendum. At vero cum hoc symbolum iam sit ab Ecclesia Catholica omnino approbatum, meritò connumeratur inter symbola fidei, & est regula infallibilis, & formula nostræ fidei. In præsenti debum agitatur de symbolo Apostolorum; quia communissime recitatūr à Fidelibus, & ponitur in catheclismo, ut habeatur semper parata materia, quæ à fidelibus debet explicite credi. His notatis, sit

Conclusio.

5 Objecta credenda sufficienter continentur in symbolo Apostolorum quantum ad substantiam. Est communis. Prob. 1. auctoritate Magn. Pat. August. serm. 181. de tempore, ubi ait: *symbolum breve est Verbis, sed magnum in Sacramentis: quidquid enim de Deo, & Christo in Scripturis traditum est, in symbolo continetur.* Confirmatur: sicut in aliis scientijs omnia scibilia redaci possunt ad ista duo principia: *quodlibet est, vel non est; de quilibet est affirmatio, vel negatio: de nullo sunt ambo simul:* sic in fide omnia credenda reduci possunt ad duo, scilicet, ad Dei esse, & ejus remunerationem, juxta illud Apostoli ad Hebreos 12.: *accidentem ad Deum opportet credere, quia est, & inquirentibus se, remuneratur est;* sed hæc principia continentur in symbolo, ut ex se patet: ergo &c.

6 Prob. 2. conclusio: omnia credenda vel pertinent ad unitatem Dei, vel ad Trinitatem, vel ad creationem in ordine naturæ, vel ad reparationem nature lapsæ, vel tan-

dem ad remunerationem per gratiam, & justitiam; sed hæc omnia continentur in symbolo: ergo &c. Prob. min.: in primis, quæ pertinent ad unitatem Dei continentur ibi: *credo in unum Deum*: quæ ad Trinitatem, ibi: *Patrem omnipotentem*, & in Iesu Christum Filium Dei unigenitum, & in Spiritum Sanctum: similiter, quæ ad creationem in ordine naturæ, ibi: *creatorem cœli, & terre, visibilium, & invisibilium*. Et quæ ad reparationem naturæ lapæ, dum dicitur: *qui propter nos homines*. Et denique, quæ ad remunerationem per gratiam, & justitiam, dum dicitur: *remissionem peccatorum, vitam aeternam*: ergo omnia credenda sufficienter continentur in symbolo. Qui plura palabra circa hoc desideraverit legat N. Seraph. Doct. cit. in 3.

7 Dices 1.: summa credendorum maxime continetur in Dei existentia, & illius justitia per ordinem ad homines remunerandos juxta dictum Pauli cit.; sed hæc duo non continentur in symbolo Apostolorum: ergo &c. Confirmatur: in Sac. Script. prout continentur in Biblia, continentur solum virtualiter, & implicite omnia credenda: sed plura continent tota Sac. Scriptura, quæ

non continentur in symbolo: ergo non omnia credenda continentur in symbolo. Resp. negando min.: cuius falsitas satis constat ex dictis in probationibus. Ad confirm. potest negari mai.. Sed melius disting. min.; sed plura continentur in Sacra Scriptura, quæ non continentur formaliter, & explicitè in symbolo, conc. min.: quæ non continentur implicitè, & virtualiter, nego min. & conseq. Solutio satis clara est.

8 Dices 2. inter mysteria nostriæ fidei explicitè credenda, unus ex præcipuis est mysterium Eucharistiaæ, quod propriè dicitur *mysterium fidei*; sed hoc non continentur in symbolo Apostolorum, nec in aliis duobus: ergo &c. Resp. 1. neg. absolute mai.: nam articulus iste non est principalis, sed sub aliquo articulo continetur, sicut alia sacramenta. Revocari enim post ad articulum de unitate Ecclesiæ, & peccatorum remissione, ad quem & alia sacramenta reducuntur; in ipsis enim sacramentis sit peccatorum remissio, & attenditur unio totius Ecclesiæ. Ut nostra conclusio sit vera, non requiritur, quod in symbolo continentur omnia credenda explicitè, quodque de prædicto symbolo verificatur; quia

quia est compendium fidei, continens illos articulos, qui sunt fundamenta, & generalia principia nostræ fidei, ex quibus aliae veritates catholicæ elici possunt.

9. Resp. 2. disting.
mai. : inter mysteria nostræ fidei explicite credenda propter se, unum &c. nego mai. : explicite credenda propter præceptum summendi Eucharistiam, saltem in Paschate, conc.
mai. & omissa min., nego conseq.. Mysterium hoc non est positum in symbolo ; quia in eo continentur solum ea, quæ erant scienda necessariò ad fidem explicitam, pertinentem ad intellectum ; fides autem explicita Eucharistiae non est necessaria propter se, sed ad implendum digné præceptum sumendi Eucharistiam. Quare August. tract. II. in Joann. observat, quod catechumeni, qui erudiebantur in omnibus mysteriis credendis, prius quam susciperent Baptismum, nihil audiebant de Sacramento Eucharistie ; quia ejus fides explicita non exigitur ab eis, donec ipsum suscepturi sint.

10. Dubitabis hic: an, & quomodo fides successu temporis profectum, & augmentum suscepere? Pro solutione nota, quod fidei augmen-

tum potest tripliciter considerari. Primo quoad multitudinem credendorum ; ita ut objecta credenda sint plura, vel pauciora uno tempore, quam alio : vel ita, ut quæ implicite dumtaxat proponuntur uno tempore, possint alio propone ut credenda explicite, & distinctè. Secundo, quantum ad plenitudinem luminis ; hoc est, si quæ obscurè erant revelata uno tempore, possint pro alio revelari distinctius ; ita ut appareant per ubiorem illustrationem doctrinæ, minus obscura. Tertio, tandem, quantum ad certitudinem cognitionis ; quia cum fides possit comparari, vel ad veritatem dicantem, vel ad intellectum assentientem, poterit esse augmentum quantum ad certitudinem cognitionis. Et de omnibus his modis procedit difficultas.

11. Nota 2. ; quod juxta triplicem legem, scilicet, *nature*, *scriptæ*, & *gratia*, triplex distinguitur fidei status: status *naturæ* fuit ab Adamo, usque ad Moysem ; legis *scriptæ*, à Moysi usque ad Adventum Christi : & *gratia* ab ipsius Christi nativitate usque ad consummationem saeculi. Ultra nota, quod in singulis his statibus possunt homines distin-

gui in duas classes, scilicet, in illos, qui fuerunt Magistri, & Pastores aliorum; & in eos, qui instar ovium a maioribus Ecclesiæ reguntur, & fidei veritatis intruuntur. His notatis, quod dubitatur est, primo: utrum semper fuerit equalis fides Ecclesie in quovis legis statu tam implicita, quam explicita circa eadem objecta credenda? Secundo: an objecta credenda clarius apparuerint in uno tempore, quam in altero? Tertio tandem: utrum maiori, ac firmiori certitudine credita fuerint predicta fidei objecta uno tempore, quam alio? His dubijs per sequentes conclusiones breviter satisfaciem. Sit

Prima conclusio.

12 Fides quantum ad substantiam credibilium eadem fuit implicite in omnibus fidelibus cuiusvis status Ecclesiæ. Est communis. Probaturque 1. ex Div. August. tract. 45. in Joann. ubi ait: *tempora varia- ta sunt, non fides: mutatus est sonus verbi, veniet, aut venit,* (id est Christus); *eadem tamen fides utrosque conjanxit.* Et serm. 8. de tempore: *una est fides novi, & veteris testamen-*

ti. Deinde, prob. ex dictis conclus. antee; quia ad substantiam fidei ex Apostolo, solum est necesse credere, quia Deus est, & inquirentibus se, remunerator est; sed haec fides semper fuit; quia sine illa impossibile est, placere Deo; & alias de fide est, quod pluri- mi ex antiquis Deo fuerunt accepti, ut expresse continetur in Sac. Script. ergo quia fides quantum ad substantiam credibilium eadem fuit implicite in omnibus fidelibus cuiusvis status Ecclesiæ.

13 Hic advertite tam- men, quod consulto dicimus in conclusione, quod eadem fuit fides implicite in omnibus fidelibus cuiusvis status; nam si fiat sermo de fide explicita, non ita universaliter afterimus; nam sentimus, quod haec fides explicita non fuit in omnibus fidelibus veteris legis, ut expresse tradit Div. Gregorius homil. 16. in Ezechielém, ubi prope medium ait: *Det cognitio, que in Patribus spiritua- libus fuit, nota toti Populo Hebreorum non fuit.* Nam omnipotentem Deum, sanctam, vi- delicet, Trinitatem cum Pro- phetae predicarent, Populus ignorabat; solum Decalogum te- nebant in fide, legem Trinitati- tis nescientes: ergo non omnes

fideles veteris legis habuerunt fidem explicitam præcipuorum mysteriorum nostræ fidei.

14 Dices tamen contra hoc primò: tota fides Christi n*on* in lege nova continetur; sed lex nova tota contenta fuit in lege veteri: ergo fideles veteris legis magis apertam, & explicitam fidem habuerunt, quām fideles legis gratiæ. Resp: neg. conseq: ; quia ex quo novum testamentum in veteri lege implicitè claudatur, non sequitur, veteres fideles habuisse eandem explicitam fidem mysteriorum; omnia enim in figura contigebant illis. Fideles vero legis gratiæ clariorem notitiam habemus præcipuorum mysteriorum, ut ait Joann. Epist. I. cap. 5.: scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus.

15 Dices 2.: si aliquid credunt fideles legis gratiæ, quod à fidelibus legis nature, & scriptæ non fuit creditum, sequitur, quod fides fuit mutata; sed hoc est contra dicta in ipsam conclusione: ergo &c. Respondeo, dist. mai: si aliquid credant fideles legis gratiæ, quod à fidelibus legis nature, & scriptæ, vel implicitæ, vel explicitæ sequitur &c.

conc. mai: si non fuit creditum explicitè, bene vero implicitè, nego mai: & inversis terminis distincta min., nego consequentiam. Hoc amplius constabit ex conclusione sequenti.

Secunda conclusio.

16 Fides profectum habuit quantum ad augmentum luminis pro diversitate temporum. Est communis, & prob. ex illo Apostoli ad Ephes. 3. ubi ait: in alijs generationibus non est agnatum mysterium Christi, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, & Prophetis. Ubi notandum est, ly: sicut nunc. Non enim ait absolute, hoc mysterium non esse agnatum; nam semper fuit saltim implicitè; cum fides huius mysterii semper fuerit necessaria ad salutem: sed dicit, non esse agnatum, sicut nunc: ergo in lege gratiæ fuit magis agnatum: ergo fides crevit intensive quoad clariorem cognitionem, seu augmentum luminis. Confirmatur ex Div. Gregorio homil. 16. in Ezechiel. ubi ait: quod secundum incrementa temporum, credit scientia SS.: & quanto viciniores adventui Salvoris fuerunt,

tanto magis salutis sacramenta
perceperunt: ergo &c.

Tertia conclusio.

17 Fides divina quantum ad firmitatem assensus longe maior est in lege nova, quam in veteri. Est etiam communis. Prob. ; quia fides nunc magis radicata est in Ecclesia catholica, quam olim in Synagoga; & plus in ista, quam in lege naturae. Prob. antec. : fides in Ecclesia catholica nunquam deficiet, juxta illud : *ecce ego vobis secum sum usque ad consummationem seculi.* Et : *portare inferi non prævalebunt adversus eam;* sed a lege naturae, & Synagoga defecit fides; imo & ipsæ leges: cum iam sint evanescant: ergo &c. Etiam crevit quoad devotionem; nam plurimi sine comparatione in obsequium fidei sanguinem fuderunt post Christum, quam ante: & plures sunt Sancti in lege Evangelica; quam in alijs: ergo quia fides crevit, & quantum ad firmitatem assensus, & quantum ad devotionem. Videatur Div. Leo Pap. serm. 2. de ascens. Domini, ubi egregia de hoc tradit. Dicta sufficient.

*** *** ***

QUÆST. III.

An revelata propositione universali, singulares sub ipsa contente sint de fide divina; dum constat de certitudine continentia?

1 R Esolutio huius difficultatis quoad utramque partem valde conductit ad resolvendas, & intelligendas alias difficultates pertinentes ad præsentem disput. de objecto materiali fidei. Duo ergo querimus in præsenti. Primum est: an revelata propositione universalis, sint objecta materialia fidei divinæ singulares sub ipsa contentæ? Hoc est, an revelato v. g. *quod omnis homo est animal rationale,* sit de fide, quod hic, & hic, & ille homo sit animal rationale? Secundum, quod queritur, est: utrum ut particulares contentæ sub universalis sint de fide, debeat certo constare continentia singulatum sub universalis? quaque certitudine debeat hoc constare?

2 Certe maior difficultas stat in resolutione huius secundæ partis. Pro qua nota, quod quadrupliciter potest esse nobis notum, singulare conti-

neris sub universali, scilicet, certitudine physica, metaphysica, morali, & probabili. Certitudine physica est nobis notum, quando physice non potest esse falsum, quod enuntiatur. Certitudine metaphysica notum est, quod repugnat esse falsum. Certitudine morali, quando non nisi imprudenter, & absque fundamento negari potest continentia, et si contingere pos sit, quod illud singulare non continetur in universali. Certitudine probabili notum est, quando signa, & argumenta non faciunt moralem evidentiam, sed probabilitatem talis continentiae. Quae ergo ex his certitudinibus in praesenti requiratur, in conclusione secunda resolvetur. Nunc vero sit

Prima conclusio.

3. Revelata propositione universali, sunt immediate objecta materialia fidei divinae omnes propositiones particulares sub illa contentae. Est communis sententia theologorum contra Arriagam disp. 1. Prolog. Et partim contra Eminenssimum Lugo disp. 1. sect. 3. §. 34. Prob. conclusio ratione: revelata propositione universali, sunt immediate re-

velatae particulares sub illa contentae; sed hoc ipso sunt immediate objecta materialia fidei divinae: ergo &c. Min. constat. Prob. mai.: quando subjecta propositionum sunt prorsus indistincta ex parte objecti prout sunt subjecta enuntiationis, quidquid affirmatur de uno, affirmatur de alio; sed subjectum propositionis universalis, & subjectum particulare contentarum sub illa sunt prorsus indistincta, prout sunt subjecta enuntiationis: ergo &c. Mai. constat; quia de eodem subjecto nullo modo potest idem praedictum simul affirmari, & negari.

4. Prob. min.: propositione universalis, in qua praedictum affirmatur de subjecto cum hoc syncategoremate *omnis*, opponitur contradictoriæ propositioni particulari, in qua idem praedictum negatur de subjecto singulari contento sub universali: ergo subjectum utriusque propositionis est idem. Alias, si subjectum esset distinctum, non foret contradicatio; quia contradicatio est ejusdem. Confirmatur: negans particularem contentam sub universali revelata est hereticus: ergo quia revelata universali, particularis contenta sub illa est de fide; alias non esset he-
da nulli.

reticus ipsam negans. Prob. antec. : negans particularem contentam sub universalis revelata negat universalem revelatam; sed negans universalem revelatam est hereticus : ergo &c. Prob. mai. : dicens, *aliquem hominem non esse rationalem*, eo ipso negat, omnem hominem esse rationalem; quia duæ contradictiones non possunt ambæ esse simul verae, nec simul falsæ: ergo negans &c.

5 Arguitur 1.: propositio universalis distinguitur ab unaquaque singulari distinctione inadæquata; sed hæc distinctio sufficit, ut possit revelari universalis, & non particularis sub illa contenta: ergo &c. Prob. min. : totum metaphysicum solum distinguitur distinctione inadæquata à suis partibus; sed potest revelari totum metaphysicum, quin revelentur eorum partes: ergo &c. Resp. disting. mai. : propositio universalis distinguitur ab unaquaque singulari distinctione inadæquata, ut *includens ab inclusu*, conc. mai. : ut *inclusus ab includente*, nego mai., minorem, & conseq.. Ad probat. distincta mai. eadem distinctione, nego conseq.. Totum ergo metaphysicum non potest revelari, quin revelentur ejus partes: quia licet unaquaque ab illo distinguantur, & illud ab

unaquaque, hoc non sufficit, ut reveletur totum, quin revealentur partes; licet sufficiat, ut aliqua pars reveletur, quin reveletur totum.

6 Sic similiter distinctio inadæquata universalis à particulatis singulis, sufficit, ut una, & aliquæ particulares revelentur, quin universalis reveletur; nam una, & aliquæ particulares possunt esse verae, quin sit vera universalis; sed non potest esse vera universalis, quin omnes particulares verae sint; cum in veritate objectiva universalis sint formaliter inclusæ omnes, & singulæ particulares. Unde distinctum ab *aliо solūm inadæquatae*, & ut *includens ab inclusu* non potest revelari, quin omne formaliter inclusum reveletur; cum, prout *includens*, dicat in suo formali concepiū *omnia*, à quibus inadæquate distinguitur. Secundus vero distinctum inadæquate, ut *inclusum ab includente*; quia potest affirmari una pars, quin affirmetur alia, & etiam quin affirmetur totum *includens*; t. g. potest affirmari, quod *Petrus est albus*, quin affirmetur, quod *Paulus fit albus*; & consequenter, quin dicatur: *omnis homo est albus*.

7 Arguitur 2.: revelata propositione universalis, non da-

datur assensus particularis sub illa contentæ, nisi per discursum; sed talis assensus non est fidei, sed theologicus: ergo &c. Mai. constat; nam revelata ista universali; *omnis homo est rationalis*, non assentitur huic; Petrus est rationalis, nisi dilcurritur ita: *omnis homo est rationalis*; sed Petrus est homo: ergo Petrus est rationalis: ergo &c. Respond. pro nunc distingendo mai.: revelata propositione universalis, non datur assensus particularis sub illa contentæ, nisi per discursum, ut applicativum, & declarativum revelationis huius particularis: *Petrus est rationalis*, contentæ in universalis, & in illa confusæ revelatae, concedo mai.; nisi per discursum, ita ut hic sit ratio formalis assentiendi particulari jam declarata, nego mai.: & omnia minori nego conseq. De hac solutione erit longior sermo in sequentibus quæst., ubi & alia argumenta proponentur. Nunc vero sit

Secunda conclusio.

8. Ut particularis contenta sub universalis sit objectum materiale fidei divinae, necesse est, quod constet ejus

continentia certitudine metaphysica. Est contra Hurtado, & alios. Aliqui probare solent conclusionem ex damnatione propositionis 21. ab Ioh. c. XI., quæ sic dicebat: *assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus; & licet certum videatur in vi predictæ damnationis, quod ad assensum fidei requiratur omnimoda certitudo, tam de revelatione, quam de vero revelato; tamen, quia à censuris abstinere debemus; ideo alite.*

9. Prob. conclusio ratione: ut particularis contenta sub universalis revelata sit objectum materiale fidei, debet terminare assensum metaphysice certum; sed ad hoc est necessaria certitudo metaphysica talis continentia: ergo &c. Mai. est indubitate; prob. min.: particularis contenta sub universalis revelata solum ratione revelationis universalis potest terminare assensum metaphysice certum de ipsis veritate; sed non potest terminare assensum metaphysice certum de ipsis veritate, nisi sit certa metaphysice continentia ipsis sub universalis revelata: ergo. Prob. min.: nisi sit metaphys.

sicē certa continentia particularis sub universalī revelata, non est metaphysicē certum, illam particularem esse revelatam à Deo, etsi revelata sit universalis; sed si hoc non est metaphysicē certum, nequit talis particularis terminare assensum metaphysicē certum de ipsius veritate ratione revelationis propositionis universalis: ergo &c. Mai. constat; quia præsens difficultas est de propositione particulari non revelata specialiter, & in se, sed universaliter, seu in universalī.

10 Confirmatur: si solum moraliter certum est, aut etiam physicē, quod propositiō particularis est revelata, non vero metaphysicē, absolute, & simpliciter; contingere vallet, quod re vera revelata non sit; sed si hoc potest contingere absolute, & simpliciter, talis propositio particularis non potest esse objectum immediatum fidei: ergo ut sit, debet constare certo metaphysicē de revelatione ipsius; & consequenter de continentia ipsius in universalī revelata. Mai. constat ex dictis num. 2. huius: min. patet; quia si potest absolute, & simpliciter contingere, quod non sit revelata, assensus innitens revelationi non potest esse metaphysicē certus

de veritate propositionis revelatæ, quæ solum appetit vera per revelationem.

11 Arguitur 1.: ad actum fidei sufficit, quod existat revelatio de vero credendo, & quod sit evidētia, aut certitudo moralis de tali revelatione, nullum relinquendo prudentis fundamentum dubitandi de existentia revelationis; sed revelata universalī, & stante morali certitudine de continentia particularis in universalī revelata, est revelatio prædictæ particularis, & evidētia moralis revelationis: ergo cum morali certitudine continentiae particularis in universalī, hęc poterit esse objectum materiale fidei, & non requiritur certitudo metaphysica. Prob. mai.: existente revelatione, & morali certitudine continentia particularis in universalī, fides erga particularem debet exerceri absolute, & non conditionate: ergo ad actum fidei &c. Prob. antec.: in tali casu, si solum conditionate poneret assensum erga propositionem particularem, sorret hæreticus; nam dubitaret, vel formidaret de revelatione revera existente, & ratione certitudinis moralis excluderet dubium, aut prudentem formidinem: & sic dubitans de re-

velatione re vera existente, & ita evidenter moraliter nota, est hæreticus.

12 Hoc argumentum petit examen aliarum difficultatum pertinentium ad disputationes, tum de signis creditibilitatis nostræ fidei; tum de regula visibili ipsius. Et etiam ex parte solutum est ex dictis dist. antec. quest. 3. & 4. Quare pro nunc breviter respondeo, negando absolute mai., & antec. probationis, & probationem ipsius; quia ille, qui solum moraliter esset certus de revelatione particularis, & de continentia ipsius sub universalis immediate revelata, non foret formaliter hæreticus. Hæretici enim non sunt tales, nisi quia negant, revelationem propositam per Ecclesiam existere, & simul negant infallibilitatem Ecclesiæ in rebus fidei proponendis; quia haec est regula visibilis infallibilis fidei; quorum neutrum negaret, qui solum haberet certitudinem moralem, tum revelationis particularis, tum continentia ipsius in universalis; licet revera imprudens esset.

13 Arguitur 2.: si sola certitudo moralis continentia particularis in universalis non sufficeret, ut particularis sit objectum materiale fidei,

iequitor, quod in vi huius universalis revelatae; *omnis homo est risibilis*, non est de fide, quod *Petrus est risibilis*, sed hoc est absurdum; qui enim eas negaret propositiones hæreticus abs dubio esset: ergo &c. Mai. est certa; quia non est metaphysicè certum, quod *Petrus est homo*; quia potest apparere homo, quin sit vere talis, sed solum phantaesticus, ut Angelus comes Tobiae videbatur homo.

14 Respondeo ad argumentum, quod in vi revelationis universalis sunt de fide, & objecta materialia fidei omnes particulares sub illa contentæ; quia eo ipso sunt revelatae. Cæterum hoc est verum in se; at respectu nostri non est de fide aliqua determinata particularis, nisi certo nobis constet de continentia in universalis; quia aliter non constat de revelatione talis particularis confusè facta in universalis. Declaratur hoc: omnia, quæ continentur in Sacra Scriptura, sed nondum ab Ecclesia declarata sunt, sunt in se objecta fidei, seu sunt de fide; sed nobis ignorantibus continentiam, vel solum probabiliter eam noscentibus, de fide non sunt, donec ab Ecclesia declaratur. Ex quo nego abso-

lute min. : sicut in antecedenti argum. negavi. De hoc amplius in sequentibus questionibus erit sermo. Sit ergo

QUÆST. IV.

*An sit objectum materiale fidei
beæ propositio : Clemens
XIII. est verus Pontifex?*

1 **N**oto 1., quod in nobis lis cum hæreticis; nam cum isti sacrilegè afferant, Pontificem Romanum pro tempore existentem (etsi ut pote cœci de tempore varient) esse anti-Christum, non datur locus disputandi cum ipsis præsentem difficultatem; unde tota lis est inter AA. catholicos, qui in hoc punto sunt inter se divisi. Noto 2. quod quando in materia fidei reperitur discursus; vel virtualis, ut volunt Thomistæ; vel formalis, ut concedunt Scotistæ, tuac dupliciter potest considerari: primò, ut utraque præmissa influat in veritatem consequentis: & tunc conclusio non est immediate de fide, sed solum theologica, v. g.: *omnis homo est risibilis; Christus est homo; ergo est risibilis*: hoc consequens solum mediate est de fide. Secundo

potest considerari discursus, ita ut una sola præmissa influat in veritatem consequentis; alia vero solum sit mera explicatio, & applicatio prædicti maioris ad subiectum consequentie, v. g. *omnes homines peccaverunt in Adam; sed Div. Paulus fuit homo: ergo peccavit in Adam*: ubi minor nullatenus influit in veritatem consequentis, sed solum applicat prædicatum maioris subiecto consequentis, ut de se patet.

2 Noto 3., tria posse distingui tempora in hac difficultate. Primum est, quando electio canonica jam peracta est; & usque ad hoc instans nihil est certum de Pontificatu. Secundum est, quando Pontifex canonice electus proponitur universali Ecclesie, & ab ipsa agnoscitur pro vero successore Petri: Et usque ad hoc instans dicant aliqui, neminem teneri credere, Clementem XIII. v. g. aliunde canonice electum esse verum Papam. Tertium tempus est, quando sic electus exercet aliquos actus, qui non nisi à Pontifice possunt fieri, ut si definiret aliquid dogma fidel, sanctum aliquem canonizaret &c.: Et usque ad hoc tempus tenent plurimi, electum non esse habendum pro vero, & indubitate Pontificis. Quid

nobis circa hæc tempora ? ex dicendis patebit ; & ut melius intelligatur.

3 Noto 4., quod ad hoc , ut electio in illo principio tempore sit Canonica , necessario requiritur ex dispositione juris canonici , quod ex Cardinalibus eligentibus duas partes unanimiter conspirent in inferendis suis suffragiis in favorem electi ; ut si eligentes sunt triginta , viginti sunt proprio. Ultra requiritur , quod pro tunc nulla fiat reclamatio in oppositum , nec se offerat aliquod grave dubium de validitate electionis ; in hoc ergo casu nihil amplius desideratur , ut sic electus habeatur ab omnibus pro vero Papa ; nam ut videbimus , Papa , non ab hominibus , sed immediate a Deo recipit potestatem , quam habet. Quare lis in praesenti solum est de homine canonice electo in Papam ; non vero de ipsam et validitate electionis.

4 In qua difficultate sic explicata , duplex est sententia inter Theologos Catholicos. Prima afferit , hanc propositionem : Clementem XIII. canonice electum esse verum Papam , Vicarium Christi , & Successorem Petri , non esse immediate de fide , sed solum mediate per modum conclusionis theo-

logicæ. Sic Turre-cremata , Caietanus , & alij , quorum testimonia ad literam adducunt hic Salmaticenses. Secunda per oppositum docet , prædictam propositionem esse immediate de fide. Sic fere omnes moderni Thomistæ , Scotistæ , & Jesuitæ ; licet non omnes converniant in modo eam propugnandi , ut ex dicendis in discursu questionis patebit. Nunc vero sit

Nostra conclusio.

5 Est immediate de fide , Clementem XIII. (supposita ejus canonica electione) esse verum Papam. Hæc conclusio colligitur ex nostro Subt. Doct. quest. 2. prologi. Et in 4. dist. 6. quest. 8. , & expressius in 1. dist. 11. quest. 1. §. ad aliud ubi ait : dico , quod Christum descendisse ad Inferna , non docetur in Evangelio , & tamen tenendum est sicut Articulus fidei :: Item , multa alia , que non sunt expressa in Evangelio , de fide tenenda sunt , si universalis Ecclesia ita tenet. Hæc Scotus. Nunc sic ; sed universalis Ecclesia tenet , Clementem XIII. esse verum Papam : ergo , etsi hoc non sit expressum in Evangelio , tamen

84 De objecto materiali Fidei divinæ,

men de fide tenendum est.

6 Prob. 1. conclusio authoritate Concilij Florentini in literis sanctæ unionis , ubi dicitur : *definimus , Sanctam Apostolicam Sedem , & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum : & ipsum Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum , & verum Christi Vicarium , totiusque Ecclesiæ caput existere.* Hæc Concilium ; sed manifestum est omnibus , nullum alium existere Romanum Pontificem præter Clementem XIII. : ergo stando definitioni Florentini , dicendum est , esse de fide Clem. XIII. esse verum Pontificem. Hoc habetur in extravag. Bonifacij VIII. : *unam sanctam*: ubi dicit : *porrò subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus , dicimus , definimus , & pronuntiamus , omnino esse de necessitate salutis* ; sed evidens est omnibus , nullum alium præter Clem. XIII. esse Romanum Pontificem : ergo cum de necessitate salutis sit , credere ipsi subesse omnem humanam creaturam , consequenter de fide est , credere ipsum esse verum Pontificem.

7 Confirmatur hoc ex Conc. Constant. ubi Summas

Pontifex Mart. V. ses. 45. edit. diit quandam Bullam continentem errores Uvicleph, & Husitarum, in qua dispositus quasdam interrogationes fiendas hereticis , qui Ecclesiæ reconciliari volebant , inter quas hæc erat una : item , *credat , quod Papa canonice electus , qui pro tempore fuerit , ejus nomine proprio expresso sit Successor Beati Petri , habensque supremam auctoritatem in Ecclesia Dei* ; sed illud verbum , *credat , appellans supra Pontificem in particulari expresso ejus proprio nomine , signat actum credendi de fide divina ; alias frustra in instructione Martiniana proponeretur hereticis Ecclesiæ reconciliari volentibus* : ergo quilibet fidelis , si interrogetur , tenetur credere fide divina , Clementem XIII. pro tempore regnante esse verum Pontificem.

8 Prob. 2. conclusio ratione : hæc propositio : *omnis canonice electus in successorem Petri est verus Papa , est immediate de fide* : ergo hæc propositio : *Clemens XIII. canonice electus est verus Papa , est immediate de fide.* Ante . est omnium. Prob. conseq. implicat propositionem aliquam universalem esse immediate de fide , quin omnis particularis cer

certò contenta sub universalis sit etiam immediate de fide: ergo si illa universalis &c. Mai. constat ex dictis quest. antec. conclus. 1.. Et ultrà: quando aliqua subjecta ita inter se comparantur, ut ex parte subiecti nulla sit prorsus distinctio, nec ex natura rei, nec rationis cum fundamento, implicat, quod aliquod predicatum affirmetur de uno, quin affirmetur de alio; sed hoc subjectum: *omnis canonice electus*, æquivalet huic: *hic est canonice electus*, & ille est canonice electus &c.: ergo cum de isto subjecto, *omnis canonice electus*, verificetur per modum predicati, quod sit immediate de fide, hoc idem debet verificari de particularibus. Min. primi discursus etiam patet; quia quod Clemens XIII. sit canonice electus in successorem Petri, est res facti, & per se nota notorietate juris canonici: ergo est certò contenta sub predicta universalis.

9 Confirmatur hæc ratio: illa propositio est proxime, & immediate de fide, cuius opposita contradictionē est proxime, & immediate hæretica; sed propositio contradictionē opposita huic particulari: Clemens XIII. canonice electus in successorem Petri est verus Papa, est proxime, & imme-

diate hæretica: ergo talis propositio particularis est proxime, & immediate de fide. Maior patet. Et min. est evidens; nam propositio contradictionē opposita huic particulari est hæc: *nullus canonice electus in successorem Petri est verus Papa*; sed ista est formaliter hæretica; cum opponatur contradictionē huic universalis immediate de fide: *omnis canonice electus &c.*: ergo &c.

10 Prob. 3. conclus: immediate de fide est, hanc numero Ecclesiam Catholicam Romanam, in qua sumus, esse veram Christi Ecclesiam, habereque caput visibile in terris; sed supposita electione canonica Clementis, non esset immediate de fide hoc, si non esset immediate de fide Clementem XIII. esse verum Papam: ergo &c. Mai. est omnium Catholicorum contra hæreticos. Prob. min.: non est immediate de fide, esse veram Christi Ecclesiam, quæ non est immediate unita cum suo capite visibili in terris; sed si non esset de fide, quod Clemens XIII. est verus Papa, vera Christi Ecclesia non esset sic unita: ergo &c. Præmissæ constant, & conseq. infertur; & ultra probatur: eadem certitudine, qua constat de existentia

ria alicuius corporis integri, si-
ve physici, sive mystici, &
moralis, debet etiam constare
de existentia capit is talis cor-
poris; sed certitudine fidei con-
stat, hanc numero Ecclesiam,
qua est quodam corpus mysti-
cum, esse veram Ecclesiam: er-
go eadem certitudine &c.

11 Prob. tandem con-
clusio: omnino infallibile est,
electores non errare in illa elec-
tione, qua instinctu Spiritus
Sancti absolvitur, & consuma-
tur; sed omnino infallibile est,
quod electio Clem. XIII. abso-
luta, & consumata fuit instinctu
Spiritus Sancti: ergo &c.
Min. constat 1. ex traditione
perpetua Ecclesie. Secundo ex
constitutione 50. Sixti V., ubi
sic ex cathedra definit: *in illa
Sac. electione censendi sunt Car-
dinales veri Interpretes, atque
internuntij voluntatis divinae,
cuius spiritu, sicut universum
Ecclesie corpus sanctificatur, &
regitur, ita maxime hic totum
huius modi electionis opus ejus-
dem afflatu, & instinctu absolu-
ti, certissimum est, atque om-
nibus exploratum.* Nunc sic;
sed perpetua Ecclesie traditio
confirmata constitutione ponti-
ficia ex cathedra facit certitu-
dinem omnino infallibilem: er-
go omnino infallibile est, quod
electio Clem. XIII. fuit abso-

luta, & consumata afflatu, &
instinctu Spiritus Sancti; &
consequenter &c. Alias proba-
tiones dabimus, dum disp. ult-
ima huius agamus de regula
vissibili fidei. Nunc vero

Solvuntur argumenta.

12 Arguitur 1.: haec
propositio: *omnis canonice electus
in successorem Petri est verus
Papa, nullibi est expresse re-
velata, nec proleta à Christo
Domino: ergo fundamentum
nostræ conclusionis est nullum.*
Prob. antec.: talis propositio
tantum inferritur per consequen-
tias nostras ex verbis Christi
ad Petrum; sed propositio sic
illata non est expresse revelata;
cum fides non sit formaliter
discursiva: ergo &c. Respon-
deo distinguendo antec.: haec
propositio &c. non est revelata
*quoad formam literalem verbo-
rum, conc. antec.: quoad sen-
sum formalem eorum, nego
ant..* Talis ergo propositio re-
peritur tradita in Sac. Scriptu-
ra, quantum sufficit, ut sit im-
mediate de fide; nam revelatio
non tam sumitur ex cortice
verborum, quam ex sensu for-
malis eorum. Unde haec propo-
sitio: *omnis canonice electus &c.*
reperitur æquivalenter, & *quoad
sen-*

sensum formalem in verbis Christi ad Petrum: *tu es Petrus, & super hanc petram, edificabo Ecclesiam meam* :: *Porta inferi non prævalebunt adversus eam*: quæ propositio, juxta omnes Catholicos, æquivalet universali; cum Christus non solum locutus fuerit Petro, sed & omnibus ejus successoribus canonice intrantibus, & sic talis propositio est revelata.

13 Replicabis: in tantum predicta propositio esset revelata, & immediate de fide, in quantum faceret eundem sensum, ac ista: *tu es Petrus, & super &c.*; sed non facit: ergo &c. Prob. min.: ut facaret eundem sensum, illa verba *super hanc petram*, debent intelligi de Persona Petri, & consequenter de ejus successoribus; sed sic non intelliguntur: ergo &c. Prob. mis. ex Div. Aug. sermon. 13. de verbis Domini, dicente: *super hanc petram, quam confessus es, edificabo Ecclesiam meam*; sed petra, quam confessus est Petrus, est Christus Dominus, & non ipse Petrus: ergo talia verba non intelliguntur de Persona Petri. Hoc idem docet lib. 1. retractat. cap. 21. ubi manet problematicus, dicens: *hanc autem durarum sentiarum* (an, scilicet, per ly) *hanc petram* intelligendus sit

Christus, vel Petrus) quæ sit probabiliore eligat Lector.

14 Respondeo negando, quæ manent negata; & ad authoritatem August. dico, ipsum in pluribus locis fuisse dubium circa hanc rem, qui tamen, si hodie viveret, suam deponeret dubitatem de probabilitate comparativa utriusque sententiæ. Deinde standum est monitioni ipsius in prolog. retractat, quicumque ista lecturus sit, non me imitetur errantem, sed in melius proficiat. Quare dubitatio div. August. aliquomodo orta fuit ex inscienzia linguae hebreæ; Christus enim non dixit: *tu es Petrus*; sed *tu es Cepha*, & super hoc Cepha edificabo &c. Cepha autem Syriacè signant petram, hebreacè autem saxum, vel rupem. Unde periude fuit Christum Dñum. dixisse, *tu es Petrus*, ac si dixisset, *tu es Petra*. Ex quo infertur, Augustinum nihil docuisse contra conclusionem, sed ad summum permanisse dubium.

15 Arguitur 2. revelatio immediata alicuius propositionis universalis non est revelatio immediata particularis contentæ sub ipsa: ergo stat, hanc universalem: *omnis canonice &c.* esse immediate de fide, quin sit immediate de fide hæc: Clemens XIII. &c. Prob.

antec. si revelatio immediata universalis esset immediata particularis, stante revelatione Universalis, nulla alia revelatione posita, posset stare fides circa hanc, & particularem; sed hoc est falsum: ergo &c. Prob. min. hæc propositio: *quidquid Deus revelat, est verum:* est revelata in Scriptura; sed vi precissæ illius revelationis non potest credi, existere Mysterium Incarnationis absque revelatione particulari de existentia ipsius: ergo &c. Resp. dist. prim. im antec. Revelatio immediata propositionis universalis non est revelatio immediata particularis, nulla præsupposta conditione essentialiter requisita, conc. antec. ista præsupposita, nego antec. per quod patet ad reliqua.

16 Verum ergo est, quod propositio particularis non potest credi fide divina in vi præcissæ revelationis propositionis universalis; quia cum conditio sub qua revelationes particulares continentur in subiecto propositionis universalis, sit ipsa revelatio, (quæ ex dictis solum est conditio, & non ratio motiva credendi) implicat, quod creditur fide divina, nisi sint expresse, & particulariter revelatae. Sic pariter in præsenti: canonica electio est con-

ditio essentialis, ut hæc particularis, *Clemens XIII. est verus Papa,*, continetur sub hac universalis: *omnis canonice &c.* Unde non stante, nec præsupposita electio canonica, implicant fides supernaturalis circa particularem in vi præcisse revelationis universalis; quia deficit conditio essentialis, qua stante, stabit fides.

17 Arguitur 3. ad idem: stat, propositionem universalem, *omnis canonice &c.* esse immediate de fide, quin sit immediate de fide particularis: *Clemens XIII. &c.: ergo &c.* Prob. min.: qui negaret, predicatam particularem esse immediate de fide, non propter ea negaret, universalem esse immediate de fide: ergo stat &c. Prob. antec. ideo negans, particularem esse immediate de fide, negaret hoc, de universalis; quia particularis continetur adæquate sub universalis; sed sic non continetur: ergo &c. Prob. min. ut illa particularis contineretur adæquate sub universalis, opus erat, quod necdum pontificatus, sed etiam electio canonica Clementis XIII. contineretur sub universalis; sed talis electio non continetur; neque in communi, neque in particulari est revelata: ergo &c. Respondeo, negando quæ manent

ment negata, & distinguo mai. ultimi Syllogismi: ut illa particularis &c. opus erat, quod necdum pontificatus continetur vel directe, & formaliter, vel indirecte, & in obliquo iab universali, conc. mai.: directe, & formaliter praecesse, nego mai. inversis terminis dist. min. & nego conseq..

18 Dicimus ergo, non posse stare cum assentiu illius universalis, *omnis canonice &c.* disensem, immo nec dubium fundatum, ne electio Clementis XIII. non fuit canonica; nam licet, absolute loquendo, potuerit deficere in electione illius aliquid ex desideratis ad validitatem electionis, tamen de facto manifestum est, quod nullum defuit; cum ejus electione supponatur iam facta, & approbata ab universalis Ecclesia; de cuius veritate in approbando nullus catholicus dubitare potest; cum ipsa sit Columna, & firmamentum veritatis, qua numquam decepera fuit, nec decipi potest; alias Deus dicens: ecce ego vobis sum usque ad consumationem saeculi, nos deceperet. Unde si Clemens XIII. non esset canonice electus, tota Ecclesia errasset; dum dicit: ipsam errare non posse.

19 Nec nos premit illud de continentia electionis canonicae Clementis XIII. in illa universalis: *omnis canonice &c.*; nam licet talis electio non continetur directe, & in recto in universalis; cum hoc modo solum contencatur Papatus, qui est praedicatum enuntiatum in recto de subjecto ipsius; continetur ameri in directe, & in obliquo; hoc est, per modum conditionis indispensabilitatem requisię ex parte subjecti, quæ semel applicata subjecto propositionis universalis, dicit *improbabiliter* approbationem Ecclesie, qua reddimur omnino certi, etiam certitudine fidei, de eo, quod electio Clementis XIII. sit canonica. Vide dicta, quest. antea.

20 Arguitur & non est immediate de fide, quod in hac numero hostia consecrata sit corpus Christi: ergo nec est immediate de fide, quod Clemens XIII. &c. Prob. conseq. ideo prima non est de fide, quia dependet a multis contingentibus, ut si consecrata non habet intentionem, non est baptizatus, aut non valide ordinatus; sed etiam secunda dependet a multis contingentibus, ut si electus fuisset feminus, non baptizatus, aut haereticus, & sic de alijs: ergo &c. Hoc argumentum fuit ratio

tio , cur aliqui dicant , talem propositionem non esse immediate de fide , usque dum electus sit communiter receptus ab Ecclesia , vel exerceat aliquem actum jurisdictionis Papalis , ut definire aliquod dogma. Verum hac solutione in sua probabilitate omilla , pro nunc.

21 Respondeo concessso antec. negando conseq. ad probationem distinguo min. sed etiam secunda propositio dependet ex multis contingentibus , quorum nullum est timendum , conc. min. quorum aliquid est timendum , nego min. & conseq.. Itaque quod haec , vel illa hostia in particulari non continet corpus Christi propter rationes argumenti , nullam infert incommodum corpori Ecclesiae , in qua , secundum fidem , plures sunt hostiae consecratae , cum sit de fide dari in Ecclesia Sacerdotes , & Sacrificia. At vero , si Clemens XIII. non esset verus Papa , tot sequentur incomoda , quae numerari nequeunt ; ex hoc ergo unico principio penitus evertetur unitas Ecclesie , quae unice individuari potest per respectum ad unum num. Papam canonice electum , qui pro tempore fuerit. De hoc iterum in argum. sequent.

22 Arguitur 5. fundatum istius propositionis , est immediate immediate de fide , Clementem XIII. esse verum Papam , quia est canonica electio ipsius ; sed quod ejus electio fuit canonica non est de fide : ergo &c. Respond. neg. mai. ; quia fundamentum talis propositonis est summa Dei veracitas asserens , omnes canonice electi in successores Petri esse veros Papas ; canonica autem electio solum est quid essentialiter praerequisitum per modum conditionis sine qua non verificaretur Papatus de ipsis Unde non est necesse , quod electio sit certa certitudine fidei , sed sufficit , quod sit nobis certa certitudine excludente omnem formidinem , & dubitatem de parte opposita ; et si argumentum solum intendit , conditiones intrinsecas Pontificatus ; non vero divisive ab ipso , hoc libenter admittemus ; quia intali casu objectum terminans , assensum fidei erit Pootificatus , non vero ulla conditionum. Notetur hoc bene.

23 Replicabis. et si electio canonica Clementis XIII. non sit fundamentum Pontificatus , sed tantum conditio sine qua non , tamen ut quis per fidem credat , ipsum esse verum Papam , requiritur equalis certitudo de veritate electionis , ac de

veritate Papatus; nam alias non esset vera proposicio affirmans, ipsum esse verum Papam: ergo si hoc est de fide, est etiam de fide ejus canonica electio: vel contra. Resp. 1. negando antec. quia ad hoc sufficit summa certitudo infra fidem excludens omnem formidinem, & dubitatem de opposito. Vide dicta quæst. antec.

24 Resp. 2. conc. antec. & conseq. Non est enim inconveniens, quod credatur fide divina, electionem Clementis XIII. fuisse canonicam; nam omnis conditio intrinseca, & essentialis Pontifici, ut quod sit vir, baptizatus, & canonice electus, attingitur immediate per ipsum actum fidei, quo creddimus, Clementem XIII. esse verum Papam; non quidem præcisive à dignitate, antecedenter ad electionem, sed hoc supposito, & concretive ad ipsam dignitatem; sicut qui credit, Christum esse hominem, eodem actu credit, constare corpore, & anima; quia hoc est de ratione intrinseca hominis: sic in presente; quia Pontifici quatali, est quid intrinsecum, quod sit vir baptizatus, & canonice electus, totum hoc complexisse captum, & prout consernit dignitatem Pontificiam, est immediate de fide, & im-

plicite contentum in illa universalis: omnis canonice electus &c.

25 Replicabilis 2. nemo potest habere certitudinem summam infra fidem de electione canonica Clementis XIII. ergo &c. Prob. ant. ad hoc erat necessarium, quod esset talis certitudo de baptismo ipsius; sed non potest esse talis certitudo: ergo &c. Prob. min. si posset esse, talis certitudo etiam posset esse de eo, quod hic, & ille homo in particulari sit valide baptizatus: & sic hæc propositio: *bis infans baptizatus est in gratia*, esset de fide, quod est falsum. Deinde: et si quis interfueret baptismum Clementis XIII adhuc non haberet talem certitudinem de validitate baptismi, sicut qui videt Sacerdotem consecrante, non potest esse certus de eo, quod Corpus Christi continetur in tali hostia: ergo nemo potest esse certus de validitate talis baptismi.

26 Resp. neg. antec. ad probat. neg. min.; & paritatem de baptismo cuiuslibet; & de qualibet hostia consecrata; nam licet sit immediate de fide, quemlibet rite baptizatum justificari, & quamlibet hostiam rite consecratam continere Corpus Christi, non minus

ad est de fide, quod quilibet canonice electus est iverus Papa; non tamen est eadem ratio uti iusque; nam de illis particularibus, non est tanta certitudo, quod contineantur sub suis universalibus, ac de continentia electionis Clementis XIII. tub sua. Ratio est; nam ex eo, quod hic, vel ille homo non sit rite baptizatus; hæc vel illa hostia rite consecrata, nullum grave periculum erroris, aut ruinæ sequitur universalis Ecclesia; at vero, quod Clemens XIII. modo regnans non sit vetus Papa, secum fert indisponsabiliter totius Ecclesiæ ruinam; quantum Cardinales, qui quo ad electionem sunt representativæ Ecclesia, non eligerent in Caput visibile Ecclesiæ hominem baptizatum: & sic Ecclesia non haberet Caput visibile in terris, quod hereticum, & horrendum esset. Vide dicta num. 18. & 21. huius.

27. Replicabilis 3. ergo Clemens XIII. videns se electum in Pontificem, certò scit, se esse baptizatum: ergo potest cognoscere se esse in gratia, quod est contra Tridentinum. Prob. hæc conseq. potest naturaliter cognoscerere, se numquam peccasse moraliter: ergo &c. Resp. conc. prima conseq. negando secundam cum sua

probatione; nam licet formare posset judicium de eo, quod numquam lethaliter peccaverit, & tamen erit judicium ita certum, quod abique formidine posset affirmare, se esse in gratia, juxta dictum Tridentini: quilibet se ipsum suamq; infirmitatem, & insipositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest.

28. Replicabis tandem ut electio Clementis XIII. sit canonica, requiritur certitudo de validitate baptismi, nequid ipsius, sed & Cardinalium eligentium; sed de hac nequit esse certitudo: ergo &c. Respondeo dist. min.; sed de hac nequit esse certitudo, antequam acto eligant, conc. min.: de electione facta, subdist. min.: de baptismso illorum, qui suis suffragijs non concurrent in favorem electi, conc. min. illorum, qui concurrerunt, nego min. & conseq. Verum est est, quod ad valorem electionis canonicae requiritur & baptismus electi, & eligentium; alias electio ex terminis esset huila, ut pote facta ab hominibus, qui non essent membra Ecclesiæ; qua propter electione facta, & publicata, tam electus, quam eligentes essent omnino certi de validitate sui baptismi. Et casu dato, sed non concessio, quod aliquis

Car-

Cardinalis eligens non esset baptizatus, aut hereticus, sicut dicunt contrarij, quod casu quo Pontifex esset hereticus, Deus impediret, ne aliquod falsum provero dogmate definiret; sic & nos dicimus, quod impediret, ne talis Cardinalis ferret sum iusfragium in favorem electi.

29 Arguitur 6. si esset de fide Clementem XIII. esse verum Papam, Cardinales ipsum eligentes non possent credere fide divina ipsum esse verum Papam; sed hoc nequit dici; quia essent deteriorioris conditio[n]is, ac c[on]teri fideles: ergo &c. Prob. mai. quod est naturaliter cognitum, nequit credi fide divina; sed Cardinales eligentes cognoscerent naturaliter, Clementem XIII. esse verum Papam: ergo &c. Resp. dist. mai. Cardinales non possent credere fide divina ipsam esse verum Papam, veritate juris canonici, conc. mai. veritate juris divini, nego mai.: & dist. mai. probationis, quod est naturaliter notum, nequit credi ex eodem modo, & medio fide divina, conc. mai. ex alio modo, & medio distincto; neg. mai. & distinguo min. eisdem terminis, ac prima mai. fuit distincta

30 Itaque licet idem objectum nequeat esse simul naturaliter cognitum, & fide divina creditum ex eodem mo-

tivo; bene vero sub diverso Unde Cardinales eligentes Papam natataliter cognoscunt, ipsum esse verum Papam veritate juris canonici; nam ipsis, ut pote in tali jure bene versatis, est naturaliter notum, ipsos ex essentialiter requisitis ad validitatem electionis nihil praet mississe; attamen, quia electio Canonica non facit ipsum verum Papam veritate juris divini, sed solummodo declarat ipsum sic factum, & electum; ideo datur locus Cardinalibus, ut credant fide divina, ipsum esse verum Papam in vi illius universalis revelationis: omnes Canonice electi &c. sub qua continetur particularis Clemens XIII. & Quare Cardinales non sunt deterioris conditio[n]is in ordine ad meritum fidei talis propositionis, ac c[on]teri fideles.

31 Arguitur 7. non est de fide, prateritos Pontifices à Div. Petro usque nunc, fuisse veros Papas: ergo nec quod Clemens XIII. &c. Prob. antec. non est de fide Pontificatus illorum, quorum electio nobis non constat certitudine, ad minus humana exclude[n]te omnem formidinem, & dubitationem; sed electio Pontificum prateritorum sic nobis non constat; ergo &c. Prob. min. electio prædictorum Pontificum nobis solum constat ex historia Ecclesiastica huma-

manus; sed haec non facit tantam certitudinem: ergo. Respondeo 1. negando antea. & concessa mai., omitto min. Ad probat. distingo mai. electio prædicatorum solum nobis constat ex historia Ecclesiastica humana in omnibus, & ab omnibus recepera, & in omnibus, & cui nullus cum fundamento contradicit, conc. mai.: ex historia humana Ecclesiastica ab omnibus probata, cui aliquis cum fundamento contradicat, nego mai. & eisdem terminis distinct. min. nego conseq.

32 Itaque sicut est omnino certum, Clementem, XIII. esse canonice electum; ita est impossibile, quod tot historiarum absque ulla contradictione afferentes, quod Clemens VIII. v.g. fuit canonice electus, falsum loquantur. Unde sicut nunc est de fide, Clementem XIII. esse verum Papam, ita etiam est de fide, quemlibet suorum prædecessorum fuisse pro suo tempore verum Pontificem Ratio est; quia quelibet propositio de de fide eadem veritate gaudet, sive de præterito, sive de futuro, ac de presenti gaudebat pro suo tempore, ut patet in hac propositione: Clemens XIII. est verus Papa, quæ eamdem infallibilem veritatem habet nunc de præterito, ac

habuit de presenti, quando actu gubernabat. Veritas ergo propositionis numquam mutatur decursu temporis, cum solum mutetur status importatus per copulam, juxta dicta in suminulis. Ut hoc melius intelligatur.

33 Resp. 2. quod dum quis credit, Clementem VIII. v.g. fuisse verum Papam, attingit simul ejus Pontificatum tamquam rem de præterito revelatam, ejus canonicam electionem, ut universaliter approbatam ab Ecclesia; Personam vero tamquam subiectum, de quo verus Pontificatus revelatur. Unde, propositio quæ semel fuit veritatis infallibilis, semper manet talis; nam solummodo potest reddi falsa per mutationem copulae, affirmando de presenti prædicatum aliquod de subiecto præterito: ut si modo dicerem, *Div. Petrus est nunc actu Summus Pontifex*, falsum enuntiarem; at verum proferrem, si dicerem, *Div. Petrus fuit actu Summ. Pontifex*; nam veritas rei revelata non subjacet mutationibus temporis, bene tamen diversis verificationibus nostris, pro alia, & alia temporis differentia. Vide dicta in argumento 5. cū ejus replicis, & solutionibus.

34 Arguitur 8. non est

est de fide Seraphicum P. N. Franciscum v. g. esse in Gloria, seu esse Sanctum: ergo nec est immediate de fide, quod Clemens XIII. sit verus Papa. Conseq. constat; quia sicut Pontificatus Clementis XIII. continetur sub universali: *omnis canonice electus &c.*, sic sanctitas Div. Francisci clauditur sub sub universali: *omnis, qui sanctè, & laudabiliter vixit, usque ad ultimum instans suæ vite inclusi-ve, statim post mortem regnaturus est cum Christo:* ergo si hoc non obstante, particularis non est immediate de fide, nec hæc particularis erit: *Clemens XIII. &c.* Thomistæ certè laborare tenentur pro solutione huius argumenti; cum concedant ante. ipsius; nos vero ore retundo negamus; cuius falsitas apparet ex dicendis quæ ult. huius. Nuc vero.

35. Arguitur ultimo: si esset immediate de fide, quod Clem. XIII. est verus Papa, esset credibilis talis propositio fide divina supernaturali; sed non est: ergo &c. Prob. min.: nequit stare assensus fidei divinæ supernaturalis cum notitia tantum probabili de existentia revelationis, ut constat ex dictis quæst. 3. hujus num. 8. adducendo propositionem 21. damnatam ab Innocent. XI.

sed si talis propositio esset cre-dibilis fide divina supernatu-rali, jam talis assensus staret cum notitia tantum probabili de existentia revelationis talis propositionis: ergo Min. prob. quod talis propositio sit imme-diate revelata, solum est pro-babile; cum contraria impune defendatur à pluribus A. A. ca-tholicis: ergo &c. Certe nonna-lli Theologi succumbunt huic argumento gratis concedentes hanc propositionem, *Clementem XIII. esse verum Papam*, non esse credendam fide divina, & su-pernaturali prædictæ, & reflexè zè, sed solum *directè*; quia non est de fide, ipsam esse de fide. Sed quia hoc dictum specialiter reflexionem postulat; ideo.

36. Dubitabis: an sit de fide, quod hæc proposi-tio, *Clemens XIII. est verus Papa*, sit de fide? Certè peric-u-losum est de huiusmodi pro-positionibus reflexis instituere quæstiones, maximè in his tem-poribus. Nos ergo ab omni cen-sura abstinentes, quid sentia-mus, probabiliter dicemus. Di-co ergo probabiliter, quod est de fide, quod hæc propositio: *Clemens XIII. est verus Papa*, est de fide. Prob. 1. ex doctrin. contrariorum: talis propositio: *Clemens XIII. est verus Papa*, est de fide directè, juxta contrarios:

96 De Objecto materiali fidei divine.

ergo, & reflexè. Prob. conseq. ideo talis propositio est directè de fide; quia continetur sub ista universalii: omnis canonice electus &c. quæ est directe de fide, & cuius subiectum nullatenus objective distinguitur à subiecto alterius, ut iam diximus numero 8. huius; sed hæc universalis: omnis canonice electus est reflexè de fide ergo & hæc particularis, non solum directe, sed etiam reflexè est de fide. Præmissæ sunt evidentes, & conceduntur ab omnibus, qui nobiscam convenienter in principali conclusione.

37 Prob. conseq. si posset stare, universalem esse de fide reflexè, quin propositio particularis sit reflexè de fide, etiam poterit propositio universalis esse de fide directe, quin sit particularis directe de fide; hoc non concedunt contrarij: ergo &c. Prob. mai: ideo non stat, universalem esse de fide directe, quin etiam particularis sit de fide directe; quia veritas propositionis universalis est de fide reflexè, & non particularis; sed si universalis est de fide reflexè, & non particularis, iam veritas propositionis universalis erit objective distincta à veritate particularis, quod non concedunt: ergo à primo ad

ultimum debet concedi, quod hæc particularis, Clemens XIII. est verus Papa, est non solum directè, sed etiam reflexè de fide; & consequenter fide divina practicè credenda.

38 Probari potest 2. hæc pars in hunc modum: quod est satis probabile, & expresse definitum ab Ecclesia, est etiam probabile esse reflexè de fide, seu esse fide divina practicè credendum; sed est satis probabile, quod hæc propositio, Clemens XIII. est verus Papa, est definita ab Ecclesia: ergo &c. Mai. de se constat. Min. prob. cum contrarijs, tum ex Concil. Florent. in literis Sanctæ unionis. Tum ex extravag. Bonifacij VIII. unam sanctam. Tum ex Matt. V. in Conc. Constantiensi Sec. 45. Tum tandem ex Nro. Sixto V. constit. 50. Vide hæc num. 6. 7. & 11. huius. Hæc dixi probabilitet ad ostendendam probabilitatem huius sententiae. Quid vero positive tenendum judicio prudentiori relinquo.

39 Nunc vero deve niendo ad id, in quo vis argumenti consistit, scilicet A.A. catholicos quamplures impune defendere propositionem contradictionem nostræ conclusioni, quod sane non facerent, si

nōstra conclusio esset reflexē de fide; respondeo, quod omnes illi A. A. qui negant, esse de fide, *Papam pro tempore regnante esse verum Papam*, hoc ideo negant, quia existimant aliquam nullitatem posse intervenire in actuali electione, vel quia posset esse simoniaca, vel ex metu facta, vel quod electus non sit baptizatus &c. Quare ab omni censura liberandi sunt ex eo, quod negent nostram conclusionem esse immediate de fide; nam intelligendi, & interpretandi sunt de electione *in fieri*, in qua forte aliquis defectus potest repetiri; minime autem loquuntur de electione *in facto esse*; cum hac supposita, sit à Deo infallibilis, ac est infallibilis ipsamet Ecclesia tota acceptans in Papam Personam à Cardinalibus electam. De hoc reddibit sermo, Deo dante, disp. ultim. huius, agendo de regula visibili Ecclesiae. Pro nunc sufficiant dicta; & sit.

QUÆST. V.

An propositio, seu conclusio illata ex duabus præmissis de fide, vel ex una de fide & alia evidenter naturaliter, sit etiam de fide?

I **H**æc difficultas meo videri non parum habet de nomine.

Unde ne in æquivocum laboremus, & ab ea brevi negotio expediamur; notandum est 1. ex dictis notabili 2. quæst. antec., num. I., quod quando in materia fidei reperitur cursus, vel *virtualis*, ut volunt Thomistæ; vel *formalis*, ut concedunt aliqui Scotistæ; tunc dupliciter potest considerari. Primo, ita ut utraque præmissa influat in veritatem consequentis: & tunc conclusio non est immediate de fide, sed solum theologica. Secundo potest considerari discursus, ita ut una sola præmissa influat in veritatem consequentis; alia vero sola sit mera explicatio, & applicatio prædicti maioris ad subjectum consequentiæ. Vide exempla ibi posita.

2. Notò 2., quod proposita quæstio duas habet partes: ut ex ipso titulo constat. Prima est de conclusione illata ex præmissis de fide. v. g.: *omnes Apostoli acceperunt Spiritum; Stum. sed beatus Petrus fuit verus Apostolus: ergo accepit Sp. Stum.* In hoc discursu singulæ præmissæ sunt revelatae: & de conclusione ex illis illata evidenter, queritur; an sit de fide, vel solum theologica? Secunda pars questionis est de conclus. deducta ex una fide, & altera evidenter naturali, v. g. *omnis homo est ri-*

risibilis; sed *Christus est homo*: ergo *Christus est risibilis*; in quo syllogismo maior est naturaliter nota, min. vero de fide. Et sic de conclus. quæritur, an sit de fide vel solum theologica? Pro quarum clariori resolutione.

partes per duas conclusiones, breviter resolvam. Sit.

Prima conclusio.

3. Nota 3. quod difficultas procedit de propositione, & conclusione, quæ immediate inferuntur ex una præmissa revelata; nám quæ inferuntur remotè, & post longos discursus auxilio scientiarum naturalium, non sunt proprie de fide, neque de scientia, sed theologica, quæ de utraque participant; nam talis assensus non tam dicitur auctoritate revelationis divinae, quam lumine rationis naturalis: ut si probes v. g. quod *Deus est unus*, non immediate, quia *Deus est*, sed ex alijs principijs naturalibus, ut demonstrari solet; alias tota theologia esset habitus fidei quod nemo dicit. Loquitur ergo de propositionibus, quæ colliguntur immediate ex natura subjectorum revelatorum, quamvis deducantur ope alicuius scientiæ naturalis, quæ non est tam motuum assensus, quam conditio quædam applicans objectum credibile ad potentiam, quæ credere debet. His notatis, quæstignem secundum duas

4. Propositio, seu conclusio illa ex duabus præmissis revelatis, est objectum materiale fidei, seu de fide. Est contra aliquos Jesuitas cum Suarez disp. 6. de fide, sect. 4.; est tamen satis communis inter Scotist., & alios. Prob. 1.: ex Subt. Doct. in 3. dist. 35. quæst. unica, ubi docet, quod in scientijs, alia est evidentia, quam habent conclusiones ex se ipsis, & alia, quam habent præmissæ ex terminis suis: sed in creditis non assentimur propter evidenter crediti, sed propter veritatem revelationis, cui assentitur: & illa est eadem respectu primorum articulorum (qui explicite, & in se sunt revelati) & aliorum explicatorum ex illis; (ut conclusiones illatæ ex revealatis) & ideo non est aliis habitus unius, & alterius assensus; quia est idem objectum sub eadem ratione formalí, scilicet, revelationis. Hæc penè ad lit. Subt. Doct. ex quibus sic

5. Prob. conclusio: totum illud objectum est de fide, quod invenitur à Deo revelatum; sed objectum conclusionis de-

deductæ immediate ex duabus revelatis est à Deo revelatum: ergo est de fide. Mai. patet. Prob. min. hoc exemplo: *omnes Apostoli acceperunt Spiritum Sanctum; sed Petrus fuit unus ex Apostolis: ergo accepit Spiritum Sanctum.* Ubi Petrum accepisse Spiritum Sanctum idem realiter est, saltem inadæquatè, & ut pars, cum hoc, quod omnes Apostoli, quorum unus erat Petrus, acceperunt Spir. Sanctum; cum non posset aliquis affirmare totum, quin affirmet partes, ex quibus intrinsece constat illud totum: ergo objectum conclusionis deductæ &c. Confirmatur: singulæ propositiones particulares contentæ sub universalis, et si expli- centur per discursum, adhuc sunt objectum fidei, & creden- dæ eodem motivo, & habitu, quibus creditur universalis im- mediaète revelata: ergo conclu- sio deducta ex illis præmissis est objectum fidei; quia contine- tur, licet confusè, in præmissis immediate revelatis.

6. Prob. 2. conclusio: assensus conclusionis necessariò deductæ ex dupli præmissa re- velata nequit ad aliud termina- ri, nisi ad revelationem, sive ad veritatem, prout in præmis- sis revelata; sed hoc ipso est assensus fidei: ergo quia talis

conclusio est objectum fidei. Prob. mai.: assensus revelato- rum syllogisticè dispositorum, non præbent intellectui moti- vum efficiendi alium assensum deductum ex revelatis, nisi assensum objecti revelati: ergo &c. Prob. ant.: objectum opinabilium syllogisticè dispository, non præbet intellectui moti- vum efficiendi alium assensem ex opinabilibus deductum, ni- si assensum objecti opinabilis; sicut & objectum evidentiū syllogisticè dispository, efficit assensum scientificum, & evi- dentem: ergo à pari assensus objectorum revelatorum syllo- gisticè dispository præbet intellectui motivum ad assensum objecti revelati; & consequen- ter objecti fidei.

7. Arguitur 1.: assen- sus conclusionis ex præmissis revelatis, non nititur in reve- latione: ergo non est de fide. Prob. antec.: nititur in bonitate consequentie; quia si conse- quentia non esset bona, nega- retur conclusio, seu conse- quens: ergo. Resp. neg. antec., & disting. antec. probationis: nititur bonitate consequentie, ut conditione applicante objec- tum ut revelatum implicitè conc. antec.: ut motivo formalí af- sensus, nego antec. & conseq.. Itaque utimur discursu, ut

magis applicetur intellectui ratio assentiendi, quæ est revelatio, in quantum illud consequens continetur in revelatis: & ita assentimur illi propter revelationem præmissarum, in quibus continetur, & revelatur.

8 Arguitur 2.: conclusioni deductæ ex duplice præmissa revelata possum assentiri ex duplice motivo: primo propter identitatem ipsius cum præmissis revelatis: & secundo propter consequentiam; sed licet primum motivum faciat assensum fidei, secundus vero secundum: ergo totus ille assensus non est fidei paræ, sed theologiae; & consequenter talis conclusio non est objectum materiale fidei. Resp. neg. mai.; nam non debo assentiri conclusioni, nisi ex motivo, quo assentior præmissis; & cum ipsis assentiar solum propter revelationem, tantum propter istam debo assentiri conclusio- ni. Unde forma discursus non est, nisi quædam conditio applicativa, ut cognoscam, quomodo conclusio continetur, & sit revelata in præmissis.

9 Arguitur 3.: ex frequenti deductione conclusionum ex præmissis revelatis non acquiritur habitus fidei, sed habitus theologicus; ergo quia actus versantes erga con-

clusiones deductas ex præmis- sis revelatis non sunt actus fi- dei, sed theologiae; & conse- quenter tales conclusiones non sunt objectum materiale fidei. Antec. constat; quia habitus fidei est per se infusus, non ve- ro acquisitus. Resp. dist. antec.: ex frequenti &c. acquiritur ha- bitus theologicus, & in simul ha- bitus acquisitus fidei; conc. antec.: acquiritur praecesse ha- bitus theologicus, nego antec.. Vel aliter ipsum distinguo, non acquiritur habitus fidei theo- logiae propriæ, & strictè, conc. antec.: non acquiritur, hoc est non augetur à Deo, nego antec.. Per quod patet ad pro- bationem. Duplex ergo distin- guendus est habitus fidei, al- ter acquisitus, & infusus alter. Acquisitus augetur ex frequen- tatione deducendi conclusiones ex præmissis revelatis: & insi- mul augetur moraliter habitus infusus; quia Deus ipsum au- get. De hoc alias.

10 Arguitur denique: assensus erga conclusionem sic deductam aliquid habet distinc- tum à præmissis: ergo non est fidei. Prob. antec.: talis assen- sus habet esse formaliter deducum à præmissis per discur- sum: ergo assentes talium con- clusionum secundum formalita- tem veritatis illatae per discut- sum

sum non est actus fidei , quin potius conclusio theologica. Resp. omisso antec. negando conseq.. Ad probat. dist. antec. talis assensus habet esse formaliter deductum per discursum, tamquam per conditionem applicatam objecti ad actum fidei, conc. antec. tamquam per rationem motivam formalem ad talem actum , nego antec., & consequent. Solutio satis constat ex jam dictis. Deinde ; quilibet actus fidei aliquomodo nititur discursui ; nam infallibilitas cuiuslibet actus fidei deducitur ex divina veracitate , & testimonio divino ; unde quilibet actus fidei innititur aliquomodo discursui.

Secunda conclusio.

II Propositio , seu conclusio immediate , & necessario deducta ex una præmissa de fide , & altera evidenter naturaliter nota est objectum materiale fidei. Hæc conclusio est contra N. Mast. hic , disp. 6, quæst. 12.artic. 2., contra aliosque Scotistas. Prob. 1. ; dum conclusio aliqua deducitur immediate ex una præmissa revelata , & alia naturaliter evidenter nota , materia conclusionis est revelata in illa præmissa , quæ-

est in se immediatè revelata: ergo talis conclusio est de fide, sicut & præmissa immediatè revelata, cum omne revelatum sit objectum fidei. Prob. antec. his exemplis : in hoc syllogismo: *omnis homo est risibilis : sed Christus est homo : ergo Christus est risibilis*; hæc conclusio : ergo *Christus est risibilis* est revelata in hac minori : *Christus est homo*, licet maior non sit revelata ; sed naturaliter nota. Similiter in isto : *omnis homo peccavit in Adam : sed Petrus est homo: ergo Petrus peccavit in Adam*. Materia huius conclusionis continetur in majori , quæ est revelata : ergo &c. & consequenter assensus erga talem conclusionem est de fide.

12 Confirmatur hæc ratio : dum revelatur , Christum esse hominem, revelatur Christum esse hominem verum, physicum & realem: ergo revelatum est , Christum esse quidquid est homo verus , & realis ; sed evidens nobis est , hominem verum & realem constare corpore , & anima , esse animal rationale ; esse risibile &c. : ergo revelatum est , Christum esse animal rationale , constare corpore , & anima , & esse risibile. Ex quo infero : ergo in hoc syllogismo : *Christus est homo: sed homo est animal rationale, & ri-*
bi-

bile : ergo Christus est animal rationale, & risibile ; assensus conclusionis est actus fidei , & ipsa conclusio objectum materiale ipsius. Prob. conseq. : assensus de qualibet veritate revelata est actus fidei sed assensus conclusionis in tali syllogismo est de veritate revelata : ergo talis assensus conclusionis est actus fidei.

¹³ Prob. 2. conclusio: si conclusio deducta immediate, & per necessariam consequentiam ex una præmissa de fide non esset de fide , & objectum ipsius non potuisset Ecclesia scrutando scripturas definitre quam plura , quæ statuit ut credenda de fide ; sed contrarium est falsum , imo , & hereticum , ut patet ex anathematibus contra dissidentes pronuntiatis : ergo quia conclusio immediate deducta &c. Prob. mai.: quam plures veritates sic definitæ non continentur expresse, nec in terminis in scriptura , vel traditionibus , sed tantum implicitè; ita ut juxta documentum Innocentij I. canon. finali ; distint. 20. sit necesse , inquirere : an continentur in aliquo textu Sacrae Scripturæ : & per necessariam consequentiam ex illo deducantur ? Et invento , quod sic , pro greditur ad definitionem ipsarum : ergo quia ad hoc , ut ta-

les veritates proponantur ut de fide non officit , ut per necessariam consequentiam deducantur ex Scriptura : ergo nec deductio conclusionis immediata ex una præmissa revelata , & alia evidenter naturaliter nota officiet ad hoc , ut talis conclusio contenta in præmissa revelata , sit objectum materiale fidei.

¹⁴ Arguitur 1. : ex S. Doct. in 3. dist. 24. num. 16.: *in omni mixtione certitudo conclusionis est certitudo præmissæ minus certæ* , ut ex majori de „necessario, & minori de con „tingenti non sequitur conclu „sio de necessario , sed de con „tingenti : & ex præmissa de „Scriptura non fit evidens „(conclusio) sed credita. Hac Doct. ; ex quibus sic argumento: conclusio sequitur debiliorrem partem ex regulis summulaisticis : ergo conclusio deducta ex una præmissa de fide , & altera naturali debet esse naturalis ; & consequenter nequit esse de fide. Prob. conseq. : nam præmissa evidens naturaliter , ut pote naturalis , est debilior , & incertior præmissa revelata , ut pote supernaturalis , & de fide ergo conclusio ex ipsis deducta , ut pote evidens , &c.

¹⁵ Resp. 1. quod illa maxima debet intelligi de quantitate , aut qualitate conclusio-

nis, ita ut ex duplice præmissa, una affirmativa, & altera negativa; una universalis, & altera particulari, conclusio semper evadat negativa, & particularis. Resp. 2. admissa illo principio, negando consequent., & dist. ant. probationis: præmissa naturalis est debilior, præmissa revelata in linea effendi, conc. antec.: *in genere argumentandi*, nego antec. & seq. Argumentum potest instari in contrarios; nam assensus fidei ob inevidentiam objecti est debilior, quam assensus evidens: ergo conclusio ex his deducta erit fidei, ut pote obscurior, & inevidens. Solutio amplius constabit ex dicendis.

16 Arguitur 2.: si conclusio immediate deducta ex una revelata, & altera naturaliter nota esset de fidé, habitus, & actus theologiae, & fidei non distinguerentur; sed hoc est contra omnes: ergo &c. Prob. mai.: habitus theologicus versatur in deductionibus ex principiis revelatis cum auxilio principiorum naturalium: ergo si conclusio deducta ex una præmissa &c. Resp. neg. mai.: ad probat. dist. antec.: exercitium habitus theologici versatur in deductionibus *mediatis* ex principiis revelatis, conc. antec.: versatur in deductionibus im-

mediatis, nego antec. & consequent. Solutio constat ex dictis num. 3. huius, & amplius declaratur.

17 Intellexus noster non statim videt connexionem conclusionis remote contentæ in præmissa revelata cum tali præmissa, sed eget ulteriori discussione cum auxilio scientiarum, & principiorum distinctorum à fidei; unde cum conclusiones posteriores magis dependant à ratiocinationibus, & principiis naturalibus, quam à lumine fidei, & à motivo revelationis, hinc est, quod in his conclusionibus deducendis laborant Theologi, & exercetur habitus theologicus. At vero, cum conclusio immediate infertur ex præmissa revelata, statim intellectus convincitur, quod conclusio continetur in illa, & sic propter talim præmissam revelatam assentitur tali conclusiō: & pro tunc exercetur habitus fidei.

18 Arguitur 3.: conclusio deducta immediate ex una præmissa revelata, & alia naturaliter nota debet esse mixta: ergo non est purę fidei. Prob. antec.: præmissæ sunt mixtae, ita ut revelata sine naturali, nec naturalis sine revelata valeat inferre conclusionem: ergo &c. Respond. neg. antec.: ad probat. dist.

dist. ant. præmissæ sunt mixtae ita ut &c., & præmissa naturalis concurrit ut dispositio, declaratio, & applicatio præmissæ revelatae, conc. antec. ut motivum formale assensus conclusionis nego antec. & conseq. Itaque in hoc syllogismo: *omnis homo peccavit in Adam*; sed *Petrus est homo*: ergo *Petrus peccavit in Adam*: hæc minor: quæ est naturalis, tantum applicat illi individuo *Petro* veritatem revelatae de peccato omnium filiorum Adæ.

19 Qui plura circa hoc desideravit, legat N. Eminensissimum Laurea. Disp. 9. art. 14. à num. 402. etiam N. Arbiol in quest. selectis, tract. de fide disp. 6. art. 4. per totum. Ingenuè etiam fateor, quod conclusio nostræ opposita est sati probabilis, & conformis menti nostri Subt. Doct. cit. num. 14. huius. Pro ipsa tuenda videatur noster insign. Mast. in 3. disp. 6. q. 12. art. 2. per totum. Qui quamplura circa hoc, & alias difficultates propositis valide confines desideraverit, videat N. Complut. Sendin. tract. 7. controversial. 6. dub. 3. appendice. Quæ quidem plane, pleneque cum metaphysicalia sint, merito hic omittuntur; cum alia utiliora theologiae, & fidei nos inserviant.

QUÆST. VI. & ultima.

An canonizatio SS. sit obiectum materiale fidei?

1 **A** liis terminis proponitur hæc difficultas: an, scilicet, sit immediate de fide, *Sanctos canonizatos ab Ecclesia esse vere Sanctos*; vel an hoc solum pie debeat credi? Et non est difficultas de sanctis illis, quorum canonizatio est expressa in Sac. Scriptura, ut Abraham, Isac, Jacob, &c.; nam de ipsis nullum potest esse dubium. Difficultas ergo procedit de canonizatis à Romano Pontifice, cui unicè convenit canonizare servos Dei ex capite audivimus, de reliquis, & veneratione SS.. Quomodo hoc retro ante sæculis Episcopis concessum fuerit à Romano Pontifice, litigium est inter AA.; quod quia non ad præsens negotium attinet, hic omittimus. Sed pro clariori intelligentia.

2 Nota, quod canonizatio SS. est publicum Ecclesiæ „ judicium, aut testimonium de „ vera sanctitate, & gloria ali- „ cuius defuncti, qua propter in

„ in tota universali Ecclesia ori-
„ tur obligatio ipsum venerandi
„ speciali cultu ob illius Sancti-
tatem. Beatificatio autem est in-
dultum Apostolicum , ut quis
appellari posset sanctus , & cultu
sanctis debito *venerari intra ter-
minos alicuius civitatis , Provin-
cie, regni, vel Religionis.* Ex quo
constat , quod licet beatificatio
conveniat cum canonizatione in
eo , quod qui beatificatur , de-
claratur sanctus , & dignus cul-
tu ; differt tamen primo , quia
beatificatio est via ad canoniza-
tionem ; secundo , quia beatifi-
catio est pro determinato terri-
torio ; canonizatio vero pro uni-
versali Ecclesia. Tertio ex for-
mula beatificationis , in qua
Summ. Pontifex uititur his ver-
bis: *concedimus, indulgemus, im-
pertimur.* In canonizatione vero
utitur istis : *definimus, declara-
mus, mandamus.* Nunc ergo prin-
cipaliter querimus de canoni-
zatione , et si aliqua dicemus de
beatificatione.

3 Circa quam difficultatem est duplex sententia : pri-
ma ait , quod non est immediate de fide , SS. canonizatos esse
Sanctos , sed solum hoc pie cre-
dendum est ; quod & a fortiori
doct de Beatificatis. Sic com-
moniter Thomistae cum Joann.
a S. Thom. hic disp. 9. artic. 2.
ubi citat alios antiquiores. Sed

certe , si bene perpendatur An-
gelicus Doct. , quodlib. 9. quæst.
7. artic. 16. ubi ipsum citant
plus nobis , quam Thomistis fa-
vet &c. Secunda sententia tenet ,
esse immediate de fide SS. cano-
nizatos ab Ecclesia esse vere
Sanctos , imo & hoc idem assertit
de Beatificatis. Sic specialiter N.
Matthæuci controv. 7. cap. 5. à
num. 42. Cum hac sententia sit

Conclusio.

4 Immediate de fide
credendum est , SS. canonizatos
ab Ecclesia Cath. esse vere Sanc-
tos. Prob. 1. conclusio ex Tri-
dent. session. 25. in decreto de
veneracione Sanctorum , ubi sta-
tuit , ut dogma fidei , Sanctos ca-
nonizatos esse invocandos , & ve-
nerandos : & hoc contradicentes
puniebant ut haereticos , sed hoc
esset falsum , si non esset de fide ,
esse veros Sanctos : ergo &c.
Prob. min. : si hoc non est de
fide , non erit , esse de fide ipsos
invocandos , & venerandos ; nam
si dubito , vel possum dubitare ,
S. Franciscum non esse in cœlo ,
quomodo tenebor , ipsum invo-
care ut sanctum ? Similiter , quo-
modo puniar ut haereticus ; cum
solum ut talis puniri valeat , qui
negat aliquid , quod est imme-
diata de fide : ergo si juxta con-
ci.

cilium, ut haeretici puniendi sunt, qui negant SS. canonizatos esse in cœlo, est; quia hoc est de fide.

5 Prob. 2. conclusio ex constit. 89. Pij IV., in qua decernit, quod in professione fidei, quæ facienda est ab Episcopis, Prælatis, & Doctoribus, firmiter credendum est, SS. cum Christo regnantes esse venerandos. Ex quo sic fortatur ratio: quod pertinet, & ad professionem fidei catholicæ est immediate de fide; sed Sanctos ab Ecclesia canonizatos esse vere Sanctos pertinet ad professionem fidei: ergo. Prob. mai.: quod tantum est objectum pie credibilitatis nequit ad professionem fidei pertinere; alias conceptio Immaculata B. Virginis; revelationes, Sanctæ Birgitæ, Sanctæ Catharinae Senensi. &c. possent pertinere ad professionem fidei, quod nullus cordatus dicet: ergo &c.

6 Respondent communiter contrarij, Ecclesiam solum definitisse, SS. canonizatos esse invocandos, & colendos, & hoc est, quod pertinet ad professionem fidei; non vero definitisse esse Sanctos. Contra i.: Ecclesia definitivæ vocat eos Sanctos; & est omnino inseparabile esse colendos, & esse Sanctos; nam ratio præcissa, cur

debeant venerari, est; quia sunt Sancti, & cum Christo in gloria regnant: ergo nulla est solutio. Contra 2.; quia non solum est definitum, esse invocandos, sed etiam esse vere Sanctos: ergo &c. Probatur antec. ex Nicolo V. in Bulla Canoniz. S. Bernardini Senensi. constit. 3. §. 18. ubi ait: *de Omnipotentis misericordia*, qui non deserit Ecclesiæ suam, decernimus, & decernamus; Sanctum Bernardum, num inter Sanctos Dei, ab universa Ecclesia debere designari, & Sanctum haberi, & tamquam Sanctum honorari, & coli. Quo nihil clarius probatione antec.: ergo.

7 Prob. 3. conclusio: non solum pie, sed infallibiliter credendum est juxta omnes Catholicos, Ecclesiam non posse errare in definiendis rebus fidei: ergo nec in canonizatione Sanctorum. Prob. conseq.: ideo in rebus fidei nequit errare Ecclesia; quia de fide est, Spiritum Sanctum ei assistere speciali assistentia, ne erret; sed etiam est de fide, assistere Summo Pontifici in canonizatione Sanctorum: ergo. Prob. min. ex constitut. i. Cœlestini III. in Canoniz. S. Uvaldi, ubi ait: *opus istud potius est divini iudicij*, quam humani, cum ipse solus plene noverit, qui suut. ejus

,, ejus. Suspendimus desiderium
,, tuum aliquandiu , ut nobis , &
,, fratribus nostris , quid potius
,, agendum esset , Spiritus Sanctus
,, ti gratia revelaret. Idem ha-
bet Sixtus IV. in canonizat. S.
Bonaventuræ constit. 21. §. 19.
ubi ait : nos igitur Dei nutum , &
,, voluntatem sequentes , esse
,, Sanctum , & catalogo Sanctum
,, totum adscribendum : fidelis-
,, ter , firmiterque teneri debe-
,, re , decernimus. Idem passim
habent alij Pontifices: ergo quia
de fide est , Spiritus Sanctus as-
sistere speciali assistentia Summo
Pontifici in canonizatione
Sanctorum.

8. Prob. denique con-
clusio: ideo non esset de fide im-
mediate canonizatio SS. ; quia
haec dependet à multis conting-
entibus , ut informatione hu-
mana , quæ sit per testes solum
moraliter veridicos ; sed haec ra-
tio nihil probat: ergo &c. Prob.
min. electio Summ. Pontificis
dependet ex multis conting-
entibus , ut diximus quæst. 4. huius;
sed hoc non obstat , quin sit de
fide , Summ. Pontificem cano-
nico electum esse verum Papam:
ergo &c. Confirmatur : ideo est
de fide , Summ. Pontificem cano-
nico electum esse verum Pa-
pam , licet electio fiat depen-
denter à multis contingentibus;
quia haec sunt præviae disposi-

tiones , ut prudenter operetur;
& alias Spiritus Sanctus specia-
liter assistit , ex quo oritur , quod
talis canonica electio sit de fide;
sed etiam Spir. S. specialiter as-
sistit Summ. Pontifici in ca-
noniz. Sanctorum: ergo &c. Ex
hoc constat pro hac Conclusio-
ne probanda facere omnes ra-
tiones adductas quæst. antece-
denteribus.

Solvuntur Argumenta.

9. Arguitur 1. objectum
materiale fiduci divinæ solum po-
test esse illud , quod est à Deo
revelatum ; sed non est à Deo
revelatum , aliquem Sanctum
in particulari esse in gloria: er-
go non est de fide immediate
esse Sanctum Mai. constat; nam
solum illud in quo reperitor
motivum , vel ratio formalis mo-
tiva fidei , quæ est authoritas
Dei revelantis , potest esse tale
objectum. Prob. min.: post Pro-
phetas , & Apostolos non dantur
novæ revelationes ; alias esset
falsum , quod dixit Christus
Dominus Joann. 14. : ille vos
docebit omnia : ille docebit vos
omnem veritatem ; sed nec in
Prophetis , nec in Evangelij
est revelatum , S. Antonium v.
g. esse in gloria: ergo &c.

10 Respondeo dist. mai. objectum materiale fidei solum potest esse illud, quod est à Deo revelatum, vel *implicite*, vel *explicite*, conc. mai.: *explicite* prae*cisso*, subdist. mai.: *prae*cisso** per Prophetas, & Apostolos, nego mai. per Prophetas, & Apostolos, vel per aliud organum Spiritus Sancti, quale eit Summus Pontifex, conc. mai., & inversis terminis dist. min. & nego conseq.. Ad probat. min. dico, quod post Prophetas, & Apostolos non dantur novæ revelationes circa simpliciter necessaria ad salutem; bene vero circa plura alia particularia; nec oppositum convincitur ex textibus allegatis; nam ly, *omnia*, & *omnem* supponit pro *generibus singulorum*, non autem pro *singulis generum*. Vel potest dici, quod intelligitur de omnibus ad salutem necessarijs simpliciter, non vero de aliis.

11 Arguitur 2.: licet sit de fide, Sanctos cum Christo in Cœlo regnantes esse vetros Sanctos, non tamen est de fide, aliquem in particulari regnare cum Christo: ergo nec quod sit vere Sanctus. Probat. antec.: de fide est in Ecclesia Militanti, esse Sanctos in hac carne mortali, juxta illud symboli: *Sanctorum communionem*; sed licet hoc sit de fide, non

est de fide, aliquem in particuliari esse Sanctum, quamdiu vivit in hac vita mortali (excipe Eliam, & Enoch): ergo &c. Resp. neg. antec.. Ad probat., concetsis præmissis, nego conseq.. Ditparitas enim est manifesta. De nullo enim in particuliari est definitum ab Ecclesia, esse Sanctum, dum est in hac vita mortali; bene vero de Sancto Patre Nostro Francisco, & alijs pluribus; quare hoc creditur in particulari, & non illud.

12 Arguitur 3. S.P.N. Franciscum esse Sanctum non constat ex fide: ergo &c. Prob. antec. hoc solum constat ex fide humana, scilicet, ex processu canonizationis, depositione testium, & miraculis, quæ omnia naturaliter cognoscuntur, imo ex malitia, vel ignorantia potest esse falsus processus canonizationis in rei veritate, & verus juxta allegata, & probata, sicut evenit in alijs criminalibus, & civilibus; sed ex his non potest resultare objectum materiale fidei: ergo &c. Resp. negando antec.; & mai. probationis; quia hæc omnia solum sunt dispositiones præviae, & regulares ad canonizationem; neque ex his dicimus, Sanctum canonizatum esse Sanctum; sed ex definitione Summ. Pontificis facta ex speciali illustratione, & assistentia Spir. Sancti

Sancti. Unde si accideret, processum esse falsum ob aliquam rationem omnino Ecclesiam occultam, Deus etiam occulte disponeret, ut non canonizaretur.

13 Arguitur 4. ex quādā authoritate, quācē comunitē tribuitur Augustino, licet non reperiatur in illo, scilicet; multa corpora honorantur in terra, quorum anime torquentur in gehena: ergo non est de fide, aliquem Sanctum in particulari esse verum Sanctum. Resp. 1., quod cum talis authoritas non reperiatur in Augusto, non facit fidem; sed hoc omisso. Resp. 2. intelligendam esse, vel de honore humano, qui exhibetur à multis authoritate particulari, & privata apponēdo super s. pulchra Varia insignia, Epitaphia &c. Non vero de illis, qui definitiva authoritate Ecclesiae universalis venerantur;

14 Arguitur 5. licet Ecclesia Cathol. non possit errare in materia fidei, seu juris, potest in materia facti; sed canonizatio Sanctorum est huiusmodi; cum procedat ex informatione humana vitæ, mortis, & miraculorum illius, qui canonizatur: ergo &c. Prob. mai, in hac materia multoties errarunt multi Pontifices, ut ex historijs constat; ergo &c. Resp. disting.

mai. quoad 2. part. : potest errare in materia *facti* spectatis ad politica, vel criminalia, conc. mai.: in materia *facti*, quod reducitur ad fidem, & Religionem Catholicam, nego mai.: inversis terminis distinguo min.; & eisdem terminis disting. antec. probation. De hoc ultior erit sermo, disp. ultima huius. Pro nunc brevis ratio est: quia in alijs materijs non est promissa Div. Petro, nec successoribus eius infallibilitas; bene vero in ista de canonizatione ex speciali assistentia Spir. Sti. ut patet ex probationibus.


15 Arguitur deniquez si esset de fide, Sanctos canonizatos esse vere Sanctos, qui hoc negaret esset hereticus; sed hoc nequit dici; cum oppositum sit sententia quamplurium Theologorum Catholicorum: ergo &c. Huic argumento abunde satisfactum est quæst. 4. huius, argum. ult. à num. 35. vide ibi. Vindicatur est etiam argumētum 8. positum num. 34. cuius solutio constat ex dictis tota ista quæst.

16 Si autem Scire velletis, quid sentiam de Beatificatione S. S.? An, scilicet, sic objectum materiale fidei? Respondeo breviter affirmativè. Quod probari potest omnibus rationibus, quibus conclusio antec.; nam licet beatifi-

catio non sit ultimum judicium circa cultum, tamen est judicium de Sanctitate, & gloria ejus, cui conceditur cultus publicus pro aliquo regno, vel Provincia. Et certe non videtur possibile, Summ. Pontificem posse errare docendo Ecclesiam particularem alicuius Regni, Provinciæ, vel Religionis, quod eveniret, si beatificaret aliquem, & assereret, regnare cum Christo in gloria; cum ita non esset. Qui plura alia circa hoc desideraverit, legat N. Matheus citatum; nam res prorsus dogmatica est.

¹⁷ Pro chronide huius disp. Dubitabis: quænam universaliter pertineat ad objectum

materiale fidei? Resp. quod omnia, quæ continentur in Bibl. Sac. ; traditiones dominicæ Apostolicæ, & Ecclesiasticae, erga res fidei, & morum; decreta Summ. Pontificum in materia fidei, & morum; decreta Conciliorum legitimorum approbata à Summ. Pontifice, non vero quæ approbata non sunt: & tandem universalis consensus S. S. Patrum in credibilitate alicuius rei. Hæc omnia abunde explicata, & probata sunt tom. I. cursus huius aliae Provinc. disp. I. de processionalibus theologie quæst. 10. à sect. 2. Quare merito ab ulteriori explicatione abstineo.



DISP. III.

DE INFALLIBILITATE DIVINI TESTIMONIJ, Fideique Divinæ.

Divinum testimonium est Dei revelatio, media qua testificat contenta in Sac. Scriptura, & alia pro suo libito ; unde ex declaratione infallibilitatis div. testimonij amplius elucescent dicta in antecedentibus. Sit ergo

QUEST. I.

*An Deus posset fallere,
vel mentiri?*

1 **N**oto 1. : quod mentiri nihil aliud est, quam dicere aliquid scienter, aliter ac sentimus. Unde communiter, *mentiri est contra mentem ire*. Nota 2. quod licet in humanis posset aliquis dicere falsum, & non mentiri, ut dum profert, quod in re non est, existimans tamen verum esse: & similiter posset quis mentiri,

& non dicere falsum, ut in re dicit, quod verum est; judicans tamen in sua mente, esse falso; hoc tamen non habet locum in Deo; quia ob ejus infinitam sapientiam id, quod loquitur, cognoscit prout est in re. Quare apud Deum non habet locum divisio mendacij in materialem, & formalem, sicut apud homines. Ex quo sequitur idem omnino esse inquire: *Utrum Deus posset dicere falsum: ac utrum posset mentiri?*

2 Noto 3. quod ad mentiendum necessario requiritur animus fallendi. Hæc

Suppositio est Mag. Par. August. lib. de mendacio cap. 3. dicentis : *mendacium est falsa vocis significatio cum animo fallendi.* Et etsam N. Doct. ris in Q. dist. 38. q. unic. §. alicitar, ubi ait: *licet prolatio talium verborum possit esse sine peccato, tamen prolatio eorum cum conscientia opporti, & per consequens cum intentione fallendi, non potest esse sine peccato.* Unde qui narrat fabulam, si nullum intendat decipere, sed solum intendat narrare fabulam, ut fallam, non mentitur; si vero ita narraret fabulam, ut aliquem deciperet, tunc iam formaliter mentiretur. Hoc de natura mendacij notato, prout ad praesens attinet.

3 Noto tandem, quod tribus modis potest concipi, Deum posse per alium mentiri. Primo precipiendo alieni, ut suo nomine falsa pro veris annuntiet: secundo incitando, & stimulando ad hoc per modum aliquem interiorem, ut sua gratia præveniente nos excitat ad opera bona. Tertio producendo in eo, vel habitum mendacij, quo facilitetur ad dicendam falsa pro veris, vel producendo in ejus intellectu assensum falsum, intellectu mere passivè se habente, aut concurrente Deo cum intellectu speciali modo ad

productionem talis assertus, sicut causat gratias prævenientes, ac similes veras illustrationes. His ergo modis potest concipi, Deum posse per alium mentiri, & dicere falsum. Et hic non agimus contra blasfemos Priscilianistas dicentes, Deum de facto saepius dixisse falsum. Procedit ergo difficultas de potentia Dei absoluta. Pro cuius bieviore resolutione hic ad litteram legenda sunt, que traduntur tom. 5. tract. 13. disp. 2. q. 4. sect. 2. curius huius aliae Provinciae. His notatis, sit,

Conclusio.

4 Deus de potentia absoluta non potest dicere falsum, & consequenter nec per se, nec per alium mentiri. Conclusio est nostri Doct. cit. num. 2. & dist. 23. & 24. Estque communis inter A. A. Catholicos. Prob. que 1. ex illo. Numer. 23.: *non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec filius hominis ut mutetur: Dixit & non faciet?* Locutus est, & non impletbit? Ubi Sac. Scriptura equiparat impossibilitatem ad mentiendum cum impossibilitate ad mutari; sed adhuc de potentia absoluta impossibile est, Deum mutari: ergo & mentiri. Confirmatur hoc ex illo Luca 21.

& Math. 24. : *Cælum, & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt:* ergo verba divina, seu divinæ assertiones, & promissiones, nec de potentia abso-luta possunt transire, id est, falsificari.

5. Prob. 2. conclusio ex Div. Aug. in symb. cap. 1. sic conclusionem convincens: *Deus omnipotens est: & cum sit omnipotens mori non potest, falli non potest, mentiri non potest. Quam multa nō potest, & omnipotens est!* Et ideo omnipotens est, quia non potest; nam si mori posset, non esset omnipotens, si mentiri, si falli, iniquè agere, non esset omnipotens; quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus, qui esset omnipotens. Hec pulchre Mag. Par. Aug. Ex quibus clare convincitur, Deum per nullam potentiam posse falsum dicere, vel mentiri, sicut per nullam potentiam posse mori, aut fallere. Hoc idem docent alij S. S. P. P. expressè videndi apud nostrum Frasen.

6. Prob. 3. conclusio ratione: lumine naturali notum est, ponendam esse in Deo omnem perfectionem simpliciter simplicem, & hoc in summo gradu perfectionis excogitabilis; quia Deus est perfectissimum ens, & pelagus omnium perfectionum; sed veritas, & vera-

citas sunt perfectiones simpli-citer simplices in omnium sententia: ergo debent collocari in tali gradu. Hæc cetissima sunt, etiam apud Gentiles. Nunc sic; sed gradus perfectissimus veritatis, & veracitatis collocandus in Deo debet & excludere ab ipso omnimodam possibilitatem ad dicere falsum, vel mentiri tam per se, quam per alium: ergo &c. Mis. subsumpt. patet; quia alias posset ex cogitati perfec-tior gradus veritatis, & veraci-tatis, scilicet, qui talern possi-bilitatem formaliter à Deo ex-cluderet. Confirmari hoc potest paritate sanctitatis, & bonitatis divinæ, quæ nullatenus relin-quit in Deo potentiam peccandi, aut male agendi: ergo à pa-ti &c.

7. Prob. tandem conclusio: negari nequit absq; temeritate mendacium esse intrinsecè malum, & ita malū, ut nequeat à Deo ullo modo dispensari; sed juxta fidem catholicam repug-nat Deo aliquid ab intrinseco malum morale tam per se, quam per alium: ergo mendacium si-ve per se, siue per alium re-pugnat ab intrinseco bonitati di-vinæ per omnem potentiam. Maior discursus constat ex die-tis tom. 5. cursus huius Prov. jam cit. Et ultra expressè habe-tur ab Aug. st. lib. contra hære-ses.

ses 7. Et que communis inter omnes Theologos Catholicos. Ex his sufficienter constat, quod si Deus per se ipsum mentiri, aut filiate non potest, similiter nec per alios, qui ejus nomine loquuntur; sed quia in hoc potest esse aliqua difficultas, ideo specialiter.

8 Prob. mentiente Deo per alium, tamen malitia refudetur in Deo; sed hoc repugnat ab intentione Deo: ergo & quod possit mentiri per alium. Prob. mai. : creatura, per quam Deus loquitur, solum est Minister Dei, & ejus nuntius manifestans testimonium. Dei non vero aliquid a se dicit ergo si est falsum, quod creatura sic loquitur, creatura nullatenus peccat, sed ille, cuius nuntius est: & sic mendacijs malitia tribueretur Deo. Confirmatur incepitibili est, quod aliquis per aliud mentiatur, quin in simili per se, vel simul, vel antecedenter mentiatur, ut ex se constat: ergo si Deus per se mentiri nequit, per alium mentiri ostest.

Solvuntur argumenta.

9 Arguitur 1. ex variis Sac. textibus Sac. Scripturæ, in quibus dicitur quod Deus aliquos

in fraudem, & errorum induxit. Primo ex illo Job. 12. qui immutat cor Principum, & decipit eos, & errare facit eos, sicut abrius. Secundo ex 3. Regum 22. dedit Dominus Spiritum mendacij in ore omnium Prophatarum tuorum: decipies, & prevalebis egredere, & fac ita. Tertio ex Ezeciele Prophetæ 14. Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dñs decepit Prophetam illum. Et Jérémias 20. seduxisti me Domine, & seducisti sum. Denique Paul. ad Tesalonicens. 1. cap. 2. ait: ideo mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacij; ex his omnibus infertur, quod Deus per se, aut saltim per alium, possit decipere, & fallere: ergo &c.

10 Resp. cum communis Expositorum, quod verbum decipere, aut seducere in his omnibus locis non sumitur active, quasi Deus præcipiat mendacium, aut aliquem impellat, aut inducat in errorum, aut fallitatem. Sumitur passive, seu permissiva, quatenus Deus permittit, aliquem decipi in pœnam peccati, non impediendo eum, qui paratus est ad decipiendum. Mot enim scriptura est, quod permissio explicetur nomine præcepti. Nam cum Pharisai Marci 10. dixissent Christo Dño. Moy-

*fespermisit libellum repudij seri-
bere. Respondit Christus Domi-
nus: ad duritiam cordis, vestri
scripsit vobis preceptum istud. En-
quomodo praeceptum, & man-
datum pro eodem accipitur, ac
permisso. Quod autem in tali
permissione *deceptionis*, aut *se-
ductionis*, nulla sit indecentia,
aut inconveniens, omnes fate-
ri tenentur; quandoquidem po-
test sine indecentia permittere
malitiam formalem; imo absque
tali permissione peccati malitia
existere non potest.*

11 Arguitur 2. etiam ex varijs text. Sac. Script. ex quibus apparet, quod aliqui Patriarchæ, & Prophetæ aliquando mentiti sunt, loquentes nomine Dei ergo Deus potest mentiri per alium. Antec. constat; tum ex Genes. 22. loquendo de Abraham erga occisionem filii sui. Tum ex 27. ejusdem, dum Jacob dixit, te esse primogenitum, quod tamen sciebat esse falsum. Joseph Genes. 42. suos Fratres exploratores vocavit; cum sciret, opositum esse verum. Tandem Raab Josué 2.: Judith 10. Rachel Genes. 31. aliquae quamplures leguntur in Sac. Scriptura, qui mentiti fuere nomine Dei. Qui plura circa hoc valde pulchra, & subtilia scire desideraverit, consulat N. Subt. Doct. in 3. dist. 38. per totam,

principiæ à num. 12. ejusque expositorem Lichuetum. Ego autem breviter.

12 Resp. dissing. ant. aliqui Patriarchæ, verique Prophetæ aliquando mentiti sunt revera loquentes nomine Dei, nego antec. falsi Prophetæ loquentes spiritu proprio, & frangentes se loqui nomine Dei, aliquando mentiti sunt, conc. antec. & nego conseq. De his ergo falsis Prophetis dicit Deus: dicebant: *haec dicit Dominus, cum ego non sis locutus.* Quare ad aliquos textus Sac. Script. in quibus videtur, quod veri Prophetæ aliquando locuti sunt falsa, dicen, dum est, non fuisse mendacia, sed mysteria, aliquo proprio sensu vera. Quoad Patriarchas Abraham, & Jacob, aliosque, non dobitant aliqui Theologi concedere, ipsos mentitos fuisse; super quod videatur Subt. Doct. cit.: & ex hoc nihil sequitur contra nostram conclusionem.

13 Arguitur 3. similiter ex varijs textibus Sac. Script. in quibus proponantur multæ promissiones, & comminationes, Dei, quæ expieta non fuerunt; ut illa Iсаіе cap. 38. & Йоре Proph. super Ninivitas: ergo quia Deus in illis mentitus est. Resp. negando conseq. nam illæ comminationes non fuerunt absolutæ, sed conditionatæ; ut ap-

apparet de Iaia cit. li penitentiam egerit gens illa , agam & ego penitentiam super malo , quod ego cogitabam facere . Et hoc idem responderet Div . Basilius ad comminationem Ninivitarum . Deinde Propheth̄ communiter loquuntur secundum ordinem , & dispositionem causarum secundarum , nisi Deus aliter disponat de sua potentia . Sic Rex Ezechias de facto mortuus fuisset de sua infirmitate , nisi Deus aliter disposuisset .

14 Arguitur 4.: si quis ex ignorantia invincibili concipit se esse obligatum ad mentiendum , ut innocentem liberet à suplicio injusto : & ita concipiatur , quod si non mentiatur hic , & nunc , peccabit , hic tenetur mentiri ; & tunc tale mendacium erit meritorum vitæ æternæ , si adsint aliæ circumstantiæ requisiæ ad meritum ; sed hoc dato , Deus potest esse causa mendacij : ergo &c. Prob. min.: ut tale mendacium in casu posito sit meritorium vitæ æternæ , debet provenire ab auxilio superno Dei , maxime si homo ille pro tunc graviter tentaretur ad non mencendum) & etiam a gratia habituali ; sed hoc ipso tale mendacium est à Deo : ergo Deus posset mentiri .

15 Resp. ad argumentum , concessa mai. dist. min. :

sed hoc ipso Deus esset causa mendacij pro materiali , conc. min. sub ratione mendacij , nego min. & conseq. Ad probat. distinguo eisdem terminis min. & nego conseq. Itaque sicut tunc respectu mentientis , mendacium non qua mendacium , sed ex intentione recta (quamvis erronea invincibiliter) esset meritorium , & obligatorium ; sic auxilium supernum præstatum à Deo ad vincendam temptationem pro tunc , & ad hoc , ut esset meritorium , non datur à Deo ad mendacium sub ratione mendacij ; sed ad hoc , ut ille homo non peccaret , non mentiendo . De hoc in materia de peccatis , inquirendo ; quomodo Deus concurrat ad materiale peccati ?

16 Arguitur ultimo : Deus varijs in locis usus fuit æquivoca , & amphibologica locutione ; sed qui ita loquitur potest mentiri : ergo &c. Mai. constat 1. ex illo Marcij 13. ubi Christus dixit discipulis suis : de die illo , vel hora nemo scit , nec Angeli in Cœlo , nec Filius , sed solus Pater . Secundo ex illo Joann. 7. etiam ad Discipulos : vos ascendite ad diem festum : ego autem non ascendam . Et tamen certum est , quod ascendit post Fratres eius . Tertio , Archangelus Raphael usus fuit

feit amphibologia, dum dixit Tobi^s seniori : *ego sum Azarias Ananiae magni filius*. Et Juniori dixit : *se esse ex filiis Israel*. Min. argumenti patet ; quia æquivocatio est quedam species mendacij ; nam sicut mendacia ordinatur ad decipiens dum, sic & verba loquentis æquivocé, & amphibologice : ergo qui ita loquitur potest mentiri. Ratione huius argumenti.

17 Dubitabis hic : *an Deus posset uti amphibologica locutione?* Pro resolutione nota, quod locutio amphibologica alia est pure interna, & mentalis ; alia vero externa, vel mixta ex externa, & mentali. Prima fit, dum v. g. profero Verba, intendendo illis significare aliud sensum verum, diversum tamen ab eo, quem auditores hic, & nunc concipiunt, & significari putant; ita, quod nullæ adsint circumstantiaz, ex quibus audiens posset devenire in cognitionem significationis, vel sensus verborum à me intenti. Vel brevius, talis locutio amphibologica pure interna fit, quando verba secundum suum significatum externum determinata sunt ad unam significationem ; & per actum pure mentalem loquentis ex-

tenduntur ad aliam significacionem.

18 Secundalocutio amphibologica fit quando verba secundum se, aut ex se, vel consuetudine, vel ex alia circumstantia, vel ex signis extertis possunt habere plures significationes, & in aliquibus earum est vera propositio, & genuinus sensus, in quo a loquente profertur, potest ab audiente concipi, & maxime si hic sit vir prudens, & Sagax ; etò forte ob defectum attentionis ad verba loquentis, nec non & considerationis illatum circumstantiarum, audiens non percipiat mentem loquentis verbis æquivocis. Hæc explicatio familiaris est apud omnes Thom. & ipsa supposita ; ad dubium

19 Dico: Deus non potest uti locutione amphibologica pure mentali, & interna : bñè vero amphibologia mixta ex interna, & externa. Est communis. Prob. I. pars 3; vegetitas ex suo conceptu formaliter obligat ad confirmanda verba cum mente ; ita ut non appareat aliud in verbis ab eo, quod est in mente loquentis; sed utens amphibologia pure interna non sic loquitur ; cum nullum sit signum, medio quo

audiens posset in talē cognitionē devenire: ergo &c. Confirmatur: quod est illēcītū, & in honestū nullo modo dēbet tribui Deo; sed locutio amphibologica est illicita, & in honesta juxta omnes Summistas: ergo nullo modo dēbet tribui Deo. Hic prae oculis habenda est propositiō 26. damnata ab Iunoc. XI.

26. Prob. 2. pars conclusionis: locutio amphibologica mixta nec repugnat Deo, & ex alia parte potest esse ei valde conveniens: ergo Deus potest uti &c. Prob. ant. quoad primā partem: ideo repugnaret Deo, quia pugnaret cū veracitate loquentis; sed hoc est falsum; quia in extēna amphibologia verba habent verū sensū, ac verā significatiōnē per aliqūd externū, vel ipsi adjunctū, vel per se ipsa, si æquivoca sunt: ergo non repugnat &c. Prob. idem antec. quoad 2. partem; quia usus extēnae amphibologiæ in divinis locutionib⁹ potest esse conveniens, ne vilescat sacra doctrina apud imperitos: & ut alliciat audientes, & legentes ad attentius eam considerandam, eamque inquirendam à Prälatis, Magistris, & Doctoribus Ecclesiæ. Hec difficultas spectat totaliter ad Theologos Summis-

tas super 8. p̄ceptū Decalogi. Quare hic meritò ab ea supersedeo. Ex dictis vero faciliter respouetur ad argumentū distinguendo maiorem: Deus varijs in locis usus fuit amphibologica locutione mixta ex interā, & extēra; conc. mai.: pure internā, nego mai.: & inversis terminis distinguo min. & nego conseq. Ad probatiōnes maioris.

21. Respondeo ad 11. quod dum Christus dixit, se non scire diem iudicij, usus fuit amphibologia perceptibili ab Apostolis; nam sufficiēter poterant cognoscere, ex responsione ipsiusmet Christi, ut habetur 1. Actorum: *non est vestrum nosse tempora vel momenta, que tater possuit in sua potestate.* Ex quo inferre valebant, quod dum dixit, de die illo, vel hora &c. hoc non negavit abolute, sed noluit responsionem dare ad reprimendam eorum curiositatē in similibus interrogationib⁹. Ad 2. dico, quod dum Christus dixit *se non ascendere*, dixit: *se non ascendere palam, & publicè*, ut volebant Apostoli; sed protunc ascenſurum occulti; quia ut ipse ait: *tempus meum nondum advenit.*

22. Ad 3. respond.: Angelum Raphaēlem nullo modo men-

mentitum fuisse, dicendo, quod erat Azarias Anania Magni filius; aut quod erat ex Filiis Israël. Azarias enim significat auxilium Dei, quod in officio, & munere fuit Raphael respectu utriusque Tobiae, ut ex historia Sacra constat. Deinde annas, idem est, ac Dei gratia, aut misericordia quod conveniebat Raphaeli. Tandem iure optino dixit, se esse ex Filiis Israelis; omnes enim justi Israelitarum nomine vocantur, & gloriantur. Vide alia in nostro Arbiol. hic.

QUÆST. II.

An Deus possit infundere actum, vel habitum erroris?

I **N**oto i., quod error in communione nihil aliud est, quam disconformitas actus intellectus cum objecto. Hic autem error alius est *practicus*, alius *speculatorius*. Primus est actus judicantis homicidium, adulterium &c. esse honesta, & sic opponitur bonis moribus. Speculatorius est, qui versatur erga materiam indifferentem: ut asserta esse paria; Petrum curre-

re, vel non currere; & alia huiusmodi. Error *practicus* alius est *materialis*; & est quando est omnino involuntarius procedens ex conscientia erronea; alius *verto formalis*, & est, qui est voluntarius, & peccamipossum, ut error hereticorum in fide, & omnium illorum, qui volunt intelligere, ut bene agrat. In praesenti difficultate non agimus de errore hoc pratico; sed de speculatorivo.

2 Nota 2., quod dupliciter potest dici Deus *causa* alicuius actus, scilicet, *universalis*, vel *specialis*. Dicitur causa universalis, dum causat actum sub aliqua ratione communione, vel particulare, alia ab ipso causabili, quæ per aliam causam magis limitatur, & determinatur: sic dicitur, Deum causare entitatem peccati; quia illum causat sub ratione communione actus, non vero sub ratione specifica, & morali diffinitatis; nam hæc oritur a voluntate creata. Dicitur causa specialis actus, quando illum causat sub propria specifica, & individuali ratione. Ex his inferatur, quod non est idem, Deum esse causam per se aliquius actus, ac esse causam specialem, ad primum enim sufficit, quod non sit causa per accidens, sed ipsius per propriam virtutem.

in effectum, sive secundum rationem genericam, sive specificam. Ad 2. vero ultra requiritur, quod concursus, & influxus in talē actū, vel effectum sit sub propria specifica, & individuali ratione illius. Unde omnis causa specialis est causa per se: non vero omnis causa per se, est causa specialis.

3. Quare sensus præsentis difficultatis est: an Deus possit esse causa specialis actus erronei, non practici, & ad fidem & mores pertinentis; sed premissæ erroris speculativi, non utcumque, sed ita ut error, & deceptio speculativa sit à Deo intenta ut talis. In hac controversia pugnant inter se Scotistæ; scilicet quod Subr. Doct. videatur problematicus, ut postea videamus. Pontius, Sendin, Frassen, & alij tenent, Deum posse infundere errorem speculativum, dummodo non sit per accidens, qui sit locutio. Alii autem Scotistæ absolute tenent, *Deum non posse esse causam specialem actus, vel habitus erroris.* Sic etiam Thomistæ, & Jesuitæ. Cum quibus sit

Conclusio.

4. Deus nequit esse causa specialis actus erroris spe-

culativi, nec habitus positivè inclinantis ad ipsum. Hæc conclusio poterat probari ex SS. PP., qui quotiescumque in Scriptura legitur, Dum homines excasasse, & indurasse, hoc semper exponunt de pura permissione divina, & nullus eorum recurrat ad infusionem erroris: ergo quia in huiusmodi infusione agnoscabant aliquam repugnantiam. Sed hoc pro nunc omissio

5. Probatur 1. conclusio: repugnat, Deum mentiri ex dictis quest. antec.: ergo & errorem infundere. Prob. conseq.: ideo repugnat Deum mentiri; quia sicut Deus nequit falli, ita nec fallere, & decipere; sed si Deus infonderet errorem creature, ipsam falleret, & deciperet: ergo &c. Prob. min.: per errorem infusionem à Deo creatura intelligeret rem aliter ac est in se; sed hoc est, creaturam decipi, & falli à Deo: ergo &c. Confirmatur: falli in creatura necessario sequitur ad infusionem erroris: ergo Deus falleret creaturam. Prob. conseq. ex doctrina contrariorum: ideo, juxta ipsos, non repugnat, Deum non infundere errorem speculativum creature; quia Deus esse causam erroris nil aliud est, quam esse causam per se om-

niuum

nium principiorum determinantium ad positionem erroris; sed etiam in tali casu Deus esset per se causa omnium principiorum determinantium ad fallendum creaturam : ergo Deus per se falleret creaturam.

6 Respondent contrarij , Deum non posse fallere loquendo , sive dicendo objectum aliter ac est in se ; bene vero infundendo errorē per aliquam speciem , quæ non sit Dei locutio. Distinguunt enim inter decipere effectivē & fallere deceptivē ; si namque Deus falleret , loquendo oppositum veritati , sic falleret deceptivē ; sed infundendo errorē per actum , vel speciem , quæ non sit locutio , solum effectivē deciperet , quod non est inconveniens. Sed contra : non minus Deo repugnat unum , quam aliud : ergo nulla est solutio. Prob. antec. : ideo repugnat Deo fallere creaturam per infusionem actus , qui sit locutio ; quia hoc opponitur divinæ veracitati ; sed etiam opponitur fallere per actum , qui non sit locutio : ergo &c. Prob. min. : virtus veracitatis ex sua ratione formalis est perfectiva in ordine ad alterum , & per se tendit ad vitandam deceptionem alterius ; sed licet deceptio non esset per locu-

tionem , non vitaret deceptionem , sed potius induceret ipsam : ergo &c.

7 Contra 2. : mendacium non ideo est præcisse malum , quia importat disconformitatem verborum ad mentem ; sed potissimum , quia importat voluntatem fallendi alium ; sed licet Deus causando efficienter deceptionem , & errorē in creatura non incurrit disconformitatem suorum verborum cum mente , quia non loqueretur ; tamen incurrit voluntatem fallendi , & decipiendi : ergo &c. Mai. est Div. Aug. in 2. Soliloq. ubi ait : *mendaces in hoc à fallacibus differunt , quod omnis fallax appetit fallere ; sed non omnis vult fallere , qui mentitur.* Ex quo constat min. ; quia licet tunc casus Deus non haberet voluntatem mentiendi , quia non loquebatur ; haberet tamen voluntatem fallendi , quod est absurdum dicere de Deo.

8 Prob. 2. conclusio evertendo fundamentum contrariorum : ideo , juxta ipsos , talis error est causabilis a Deo ; quia est solum malum physicum creaturæ deceptæ ; sed haec ratio nulla est : ergo &c. Prob. min. error pure speculativus , qui causaretur media locutione ; non excederet limites mali physici

respectu creature decepta; quia esset illi involuntarius; sed hoc non obstante, juxta contrarios, neguit causari à Deo talis error media locutione; ergo nec alio actu. Confirmatur: et si talis error respectu creature decepta sit omnino malum physicum, tamen respectu Dei illum causantis esset malum turpe, & abominabile: ergo nequit ab ipso causari. Prob. antec.: ideo respectu creature est malum pure physicum; quia respectu ipsius est involuntarium; sed respectu Dei esset talis error omnino voluntarius: ergo &c., Huic rationi respondent contrarij eodem modo, ac antecedenti; sed eodem modo refellitur.

Prob. 3. conclusio ab inconvenientibus, quæ ex hoc modo dicendi, sequuntur; quia ex hoc sequeretur 1. quod Deus posset movere, tamquam specialis causa, creaturam sic à se effective deceptam, ut loqueretur illud, quod ex errore cognoscit; quia in hoc non esset peccatum in creature; cum (licet errore) conformaret verba cum mente: ergo Deus posset loqui falso sp̄eculativum per creaturam, quod nemo concedit. Sequetur 2., quod posset causare errorem practicum; quia talis error in

practicis esset pure immaterialis physicus, & inculpabilis respectu creature; sed hoc nullus concedit: ergo &c. Vide reliqua in N. Arbiol hi disp. 4. art. 2. Nunc vero,

Prob. 2. Pars conclusionis, scilicet, quod nec habitum erroneum possit infundere Deus. Si talem habitum infunderet, quidquid ab illo procederet, tribueretur Deo, quod nequit dici. Confirmatur: repugnat, Deum esse causam speciem vehementis temptationis, & inclinationis ad malum, juxta illud Jacobi, in sua canonica cap. 1: *nemo cum tentatur, dicat ignoriam à Deo tentatur, Deus enim temptator malorum est.* &c.; sed si infundaret habitum erronem esset huiusmodi causa; nam juxta Aug. in Enchirid. cap. 19. ait: *ipse per se ipsum error, sive parum in re parva, sive magnum in regnaga, semper tale malum est.* ergo &c.

Solvuntur argumenta.

11 Arguitur 1. ex varijs locis N. Subr. Doct.: cognitione representans objectum, ut praesens, dum praesens non est, est erranea; sed Deus potest esse specialis causa huius erroris:

ris : ergo &c. Prob. 1. ex Doct. in 1. dist. 3. q. 4. ubi docet, posse Deum conservare visionem intuitivam independenter à praesentia objecti. Secundo ; quia in via Doct. communiter defensatur, posse Deum conservare visionem representativam albedinis, huc destincta; sed in his casibus Deus esset causa specialis horum : ergo &c. Confirm. Doct. in 4. dist. 49. q. 15. in fine , ait : *poteſt Deus cauſare viſionem in oculo non beato per qualitatēm . que non eſt illius objecti : & ſic potuit cauſare viſionem in omniſ Discipulorum , ipſo exiſtente in claritate , & colore proprio : ex quo ſit : viſio repræſentativa Chriſti in forma Peregrini , dum erat gloriouſus , erat viſio erronea; ſed haec cauſata fuīt à Deo juxta Doct. : ergo &c. Hoc ſunt præcipua loca N. Doct. contra conſluſi*

12 Respondeo tamen, negando min. : ad 1. probat. nego mai. : Verba enim Doctoris ſunt haec : *in organo maxima illuſio videtur eſſe : puto, quando actus fit in organo ipſo , non ab objecto praefenti , qualis na- tus eſt fieri ab objecto praefenti: & ita potentia haberet actum ſuum , poſta tali illuſione. Hac Doct. , in quibus non docet , potentiam viſivam habere ve-*

ram viſionem intuitivam de ob- jecto non praefenti ; ſed quod in potentia fieret illuſio maxi- ma , vel ex concurrenſi nervorum cauſata, vel à propositione ſpe- ciei apparentis ; ut ibi optime declarat Doct.. Ex quibus ni- nime inferte licet , illuſionem potentia viſivę fieri à Deo.

13 Deinde : etſi in via Doct. poſſit viſio de potentia abſoluta conſervari indepen- denter à praefentia objecti ; hoc intelligendum eſt , vel ita; quod talis viſio, quaꝝ, praefente objec- to erat intuitiva , ipſo ablato, abſolute manaret ſine objecto, & ſic nūl per eam videretur: vel objecto ablato maneret cum ſpecie impreſa objecti : & tunc non erit viſio intuitiva , ſed abſtractiva terminata ad objec- tum praefens intentionaliter in ſpecie ; & conſequenter nulla erit deceptio potentia , per errorem iuſtuſum a Deo ; vel cauſatum ad ipſo ſpecialiter. Per hanc eandem doctrinam reſpon- detur ad 2. probationem.

14 Ad confirm. nego min. , cuius filſitas eſtenditur ex verbis ſequentiis Doctoris ad authoritatem allegatam. Ait enim : *nec tamen decipiebat Chriſtus ; quia deceptio non eſt niſi in via morum. Nec tamen etiam fuit illuſio quia cerii erant , quod ipſe fuerit talis in Perfo-*

124 De Infallibilitate Divini Testimonij

n^a. Offendit ergo se eis, ut crederent, quod talis erat in Persona: & melius hoc fuit, quam si vidissent eum in claritate Christi: solum enim eis intendebat offendere personam suam. Ex quo infertur, quod in illa apportione nullum errorem dectionem, aut illusionem intendebat Deus infundere; quia licet Deus causaret visionem illam per qualitatem, quae non erat illius objecti secundum statutum; tamen representabat Personam illam ex intentione divina, & hanc ipsam poterant cognoscere Discipuli, sicut de facto postea cognoverunt.

15 Arguitur 2. ex illo percelebri errore S. Augustini a se revelato in Enchir. de quo ait: *nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum, non in via morum.* Et relato errore sui itineris, prosequitur: *ita factum est: ut nos gratulemur errasse, atque deinde gratias ageremus Deo.* Et tandem concludit: *quoniam & est error banus, qui non solum nihil obfit, verum etiam profit aliquid: ergo* juxta Mag. Par. Aug. datur error bonus a Deo causatus non solum permissivè, sed positivè, approbativè, & electivè. Prob. haec conseq.: pro tali errore retulit Augustinus gratias Deo; sed pro sola divina

permissione non referuntur Deo gratiae; alias pro permissione peccati possemus Deo gratias agere: ergo &c. Varie respondent autores huic argumento. Tamen breviter

16 Respondeo: negando conseq. & ant. probationis; quia Div. Augustinus gratias egit Deo, non quia erravit in itinere, sed propter bonum, quod inde consecutus est, scilicet, liberari a morte: & in hoc sensu etiam possumus Deo gratias agere ex permissione peccati, quando ex hoc movemur ad detestandum ipsum; ad ingrediendum religionem; & huiusmodi. Unde, sicut hic Deo non aguntur gratiae propter ipsum peccatum, sed propter bonum ex illo secutum, sic in easu Div. Augustini.

17 Replicabis: juxta Div. Aug. aliter se habet Deus erga errorem practicum, seu *in via morum*, ac in speculativo, seu *in via pedum*; sed circa primum, Deus se habet permissivè: ergo circa speculativum se habet aliter, seu positive. Mai. patet ex authorit. Aug. citata, ajente: *nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum, non in via morum.* Respondeo, negando mai. quae non infertur ex authorit. Div. August.; sed solum, quod ali-

aliter nos habere debemus in ordine ad gratiarum actionem in predictis erroribus; nam cum unus sit peccaminosus, & non alius, hinc est, quod pro speculativo possumus Deo gratias agere, non per se, sed propter bonum inde secutum; minime vero pro errore practico.

Arguitur 3. Deus in Eucharistia conservat species sine substantia; sed intellectus judicat, visis accidentibus, ibi esse substantiam: ergo cum Deus sit specialis causa ablationis illius substantiarum, erit etiam specialis causa deceptionis intellectus. Resp. concessis praemissis, negando conseq.; nam Deus sufficienter nos admonet per fidem, ibi non esse talen substantiam, semel, quod sint consecratae; consequenterque non Deo, sed nobis errantibus talis error tribuendus est. Sed ut omnia alia argumenta, quae formari possunt ex apparitionibus, sive Dei, sive Angelorum, sive Christi in Eucharistia sub forma, quam in rei veritate non habent, solvantur;

19 Notate, quod in his casibus licet sensus falli possiat praeter intentionem Dei, corriganter per intellectum judicantem, tales apparitiones sub illis formis non esse ad decipendum, seu ut judicent homines

esse vere, & realiter in Deo, vel Angelis; sed ut modo magis proportionato possint intelligere, audire, vel videre id, ad quod, vel propter quod Deus; vel Angelus apparet sub illa forma; quae potius, ut mysteria veneranda sunt, quam judicanda, errores, & deceptions ex parte Dei; licet ex defectu creaturæ, aliter pro hoc statu percipere non potentis, judicentur tales; quia hoc est absque omni prorsus fundamento. Hoc patet in deceptione Isaac per Jacob, quando dixit: *Esse Esau primogenitum suum*; omnia potius pertinent ad quotidam amphibologiam externam, & mysteriosam, quam ad errorem; licet iste aliquando sequatur; nam hoc est praeter intentionem Dei.

Arguitur 4.: Deus potest esse specialis causa illius, quod ad summum est malum physicum creaturæ, non morale; sed talis est error speculativus: ergo Prob. ma.: Deus potest per se causare ignorantiam, hebetudinem, amentiam, cæcitatem &c. in creatura rationali: ergo etiam errorum speculativum. Prob. conseq. tum, quia, predicta non minus mala sunt creaturæ rationali, quam error pure speculativus; tum, quia ex illis plures sequuntur errores.

res; sed qui potest per te causare errorum, ex quo errores sequuntur, potest causare ipsum errorum: ergo &c. Resp. i. omisso mai., negando antec. probatio-
nis; quia Deus non est propriæ causa efficiens amentię; igno-
rantię; &c. nam cum formam
liter dicant privationem; &
privationes non habeant per se
causas efficientes, sed deficien-
tes, ideo: Deus non potest di-
ciri per se causa illorum, licet
sit per se causa formatum, ad
quas necessario consequuntur.
Hoc patet in peccato, in quo li-
cet Deus sit proprie causa enti-
tatis illius, non est causa per se
deformitatis, licet hanc necessa-
rio sequatur ad positionem enti-
tatis, maxime in peccatis, qua-
sunt intrinsece mala.

21 Resp. 2. disting. mai.:
Deus potest esse causa respectu
illius &c. si nullam indecentiam,
& imperfectionem arguant ex par-
te Dei, conc. mai.: si dicant ipsam,
nego maiorem: Inversis
terminis disting. min. et nego
conseq. nam ex eo, quod Deus
causet, eo modo, quo dicta
causabilia sunt; non sequitur,
Deum esse deceptorem, sicut
ex errore: & licet eque, vel magis
mala sint ipsi creaturæ, non
ex hoc probamus repugnantiam,
vel non repugnantiam, ut Deus
sit causa illorum; sed solum,

quia ex eorum causatione non
sequuntur inconvenientia ex
parte Dei causantiis, quæ sequun-
tur ex causatione terroris. Nec
oppositum concluditur ex eo,
quod ex hebetudine, ignoran-
tia, amentia &c. sequuntur er-
rores; nam hi potius tribuendi
sunt causis deficientibus, quam
efficientibus: & cum Deus non
sit causa deficiens, ipsi non sunt
tribuendi.

22 Arguitur 5. Deus
potest esse causa specialis cog-
nitionis supernaturalis, qua ho-
mo cognosceret per revelatio-
nem, se esse in gratia: & tunc
cognitionia esset vera; sed posset
Deus pro sua voluntate auferre
gratiam in instanti sequenti à
tali homine, quin hoc ei reve-
laret: ergo Deus esset causa
per se specialis illius cognitio-
nis pro instanti sequenti jam
falsa. Conseq. constat tum, quia
eadem cognitione potest transire
de vera in falsam. Tum, quia
conservaret talem cognitionem
pro instanti sequenti, & con-
servatio est continuata produc-
tio: ergo Deus erit causa con-
servativa cognitionis falsæ.

23 Resp. 1. concec.
mai. neg. min.; nam hoc potius
esset velleitas, & quasi ludus,
quam absoluta potestas, quæ in
Deo est ordinatissima; & con-
sequenter, si pro suo velle au-
fer-

ferret gratiam, sicut te velavit esse in gratia, ita eam revelaret, non esse; unde non est credendum, quod Deus hoc faceret, nisi illud revellando; ne ut fallax notaretur ab hominibus. Resp. 2. concil. mai. & min. negando conseq.; nam Deus solem esset causa specialis illius actus propter subjacebat revelationi; non vero postea; nec illa cognitio esset eadem formaliter prout subjacebat divina revelationi, ac postea; sed ad summum materialiter; quare solum esset causa conservativa ejusdem cognitionis materialiter sumpta, non vero formaliter captae.

24. Arguitur 6.: Deus est causa specialis actus, ad quem confert auxilium supernaturale; sed hoc confert ad actum erroneum: ergo Prob. min.

1. idem quis adorat hostiam non consecratam existimans per conscientiam erroneam consecratam esse; talis adoratio posset esse supernaturalis, & meritoria. 2. existimans se esse in lethali, in quo se reuerteret non est; posset elicerre actum contritionis; vela trittonis supernaturalis. 3. qui ex errore cōciperet, se cras moriturū, posset ex hoc errore agere penitentiam, & ad Deum vere converti, & sic in alijs varijs exemplis; sed in his, alijs que casibus hi actus erronei, procede-

rent à gratia Desiderata, scilicet: ergo Deus ipsam confert ad actum erroneum.

25. Resp. concil. mai, dist. min. 3 sed ad actum erroneum, ut honestum, & ut venam practicatione conscientiae, Deus confert auxilium, concil. min. ad actum erroneum ut erroneous, nego min. & conseq. Quia distinctione explicantur probationes. Itaque Deus non concurrit tali auxilio ad existimationem erroneam; hæc enim solum oritur à propria ignorantia: ergo concurrit ad hoc, ut supposita talia existimatione falla, eliciat actum adorationis, attritionis, vel contritionis, qui versatur circa materiam veram practice, & moraliter, licet speculative falsam. De hoc amplius quæst. sequenti.

26. Arguitur ulti nō contra p. part. conclusionis, scilicet, quod Deus possit esse causa specialis habitus erronei: ideo Deus non posset esse talis causa; quia cum per se habitus inclinet ad errorem, ibueretur Deo talis errori; sed hoc est falsum: ergo &c. Prob. min. 1. appetitus sensitivus etiam inclinat per se ad peccatum: 2. potentia peccandi dicit ordinem ad peccatum; sed hoc non obstante productur a. Duo: ergo &c. Resp. concil. mai. negando min. &

dif-

distinguo priuatis probationem minoris : appetitus sensitibus prout dicit somitem peccati, inclinat per se ad peccatum, conc. mai.: prout praecesse est appetitus sensitivus, nego mai.: eisdem terminis distinguitur 2. probatio, & distinguo min.; sed hoc non obstante vere, & proprie producuntur à Deo in 2. sensu, conc. min.: in 1. sensu, nego min. Solutio satis, obvia, & clara est ex dictis in materia de peccatis.

QUÆST. III.

An fides divina possit subesse falso per se, vel per accidens?

1. Prima pars tituli propositi sufficienter resolvitur ex dictis in duabus quæstion. antecedentibus; nam cum Deus nec per se, nec per alium mentiri possit; nec uti amphibologia pure mentali, nec infundere acutum, vel habitum erroris; hinc constat, fidem aut divinam revelationem non posse subesse falso per se, hoc est, ex parte Dei. Quare difficultas hic est de fide divina, aut revelatione ex parte credentis: an, sci-

licet, possit esse de objecto falso præ-concepto à credente, ut vero? Explicatur hoc: proponitur Rustico sub obligatione credendi à suo Parroco aliqua revelatio, tamquam divina, quæ revera talis non esset: an tunc casus ille Rusticus teneretur credere fide divina; fidelque divina inclinaret ad credendum illud objectum existimatū ut revelatiū, quod revera tale nō esset?

2. In hoc igitur sensu procedit quæstio, circa quam omnes A.A. affirmantes 1. veritatem testificantem esse objectum formale quo fidei divinæ, ex consequenti tenent, fidem nullo modo posse subesse falso adhuc per accidens; & etiam docent, revelationem existimatam divinam, quæ re ipsa divina non est, nullatenus sufficere ad fidem divinam. Hæc est communis inter Theologos resolutio. Non desunt aliqui falsò citantes N. Subr. Doct. pro opposita sententia, seu ut verius loquar pro errore; sed quam falsò hoc faciant, statim videbimus. Sit ergo

Conclusio.

3 Fides divina, nec adhuc per accidens potest subesse falso; & cōsequenter revelatio existimata, ut divina, quæ revera divina non est,

est, non sufficit ad fidem divinam. Prob. 1. conclusio ex Doct. quolib. 14. §. 1. ubi postquam posuit aliquas differentias inter fidem infusam, & humanam addit: *alia differentia est, quod fides infusa non potest inclinare in aliquod falsum; inclinat autem virtute luminis divini, cuius est participatio.* & ita, non nisi ad illud, quod est conforme illi lumini divino :: ad quod, cumque inclinat lumen fidei, illud est determinate verum. Idem docet, quodlibet. 17. §. *Contra.* Ex quibus sic: juxta Scotum, habitus fidei infusæ est specialis participatio divini luminis, & ideo præcisæ inclinat in id, quod est ipsi conforme; sed si fides infusa posset subesse falso, ita ut revelatio mere existimata ut divina esset sufficiens ad fidem divinam, jam esset de re non conformi, immo opposita lumini divino: ergo juxta Scotum ab intrinseco repugnat revelationem mere existimatam sufficere ad actum fidei divinæ.

4. Prob. 2. conclusio ratione: si fides infusa posset subesse falso adhuc per accidens, esset, vel quia nobis potest proponi aliqua revelatio tamquam divina, quæ revera talis non sit; & ad ipsam credendam fides divina non minus

inclinaret, ac si vere divina esset: vel quia fides divina inclinaret ad assensum prævium conclusioni illatae ex duabus præmissis, quarum una esset revelata, alia vero naturalis, & falsa, existimata tamen ut vera; sed in neutro casu fides infusa inclinaret ad talem assensum, nec actus esset supernaturalis fidei divinæ ergo &c. Maior attingit utramque viam, qua fides posset subesse falso saltim per accidens. Probatur min.: habitus fidei supernaturalis, & infusus, requirit inclinare, neque concurrere ad assensum falso, & erronem; sed in utroque casu assensus esset falso, & erroneus, & de objecto materiali falso, ut supponitur: ergo &c.

5. Maior est Doct. cit. rum. antec. & ultra probat. ex Scriptura; nam adloc. 26. diciuntur: *Secundum certissimam secundam nostræ religionis.* Et 2. ad Thimoth. 1.: *scia, cui credidi,* & *certus sum.* Et Trident. Ses. 6. cap. 9. ait: *quilibet, dum se ipsum, suaque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, timere potest;* cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falso, se gratiam Dei esse consecutum: ergo juxta Script., & Concil. cum omnis

actus fidei divinae sit cognitio certa, immo & certissima, ac proinde vera, nequit habitus fidei concurrere, & inclinare ad assensum falsum, & erroneum. Hoc idem docent SS. P. P. vindicandi hic apud N. Faslen.

6 Prob. 3. conclusio: vera, ac perfecta virtus non potest inclinare in id, quod per se malum est; sed assensus erroneous, & falsus est per se malus: ergo fides infusa nullo modo potest ad eum inclinare. Mai. paret, tum ex Div. Aug. lib. 2. de libero arbitrio cap. 19.: *virtus est bona qualitas, qua nemo male utitur.* Tum ex Philos. aient: *omnis virtus disponit potentiam ad optimum; nam perficit in ordine ad suum objectum:* unde sicut virtus moralis, qua est in voluntate, seu appetitu, ipsum perficit ad bonum, quod est optimum ipsius appetitus; sic virtus intellectualis debet perficere intellectum ad verum, quod est optimum potentiae intellectivae: ergo cum fides infusa ex sua essentia sit virtus intellectualis, ita necessario debet inclinare, & concurrere ad actus veros, ut omnino ei repugnet inclinatio, & concursus ad falsos; alias neque disponeret ad optimum, neque ut bona qualitas foret immutabis ut nemo ea male eretur.

7 Confirmatur: habitus virtutis theologice est quasi proprietas gratiae sanctificantis perficiens hominis facultates, dum per eam est constitutus in statu filij Dei adoptivi; unde habitus theologici non dantur, nisi ad actus, quibus homo possit promereri aeternam beatitudinem: & sic habitus fidei infunditur, ut sit initium primum, & necessarium totius meriti. Haec omnia certissima sunt apud Catholicos. Nunc sic; sed habitus fidei infusa non esset talis, si possit inclinare in assensum falsum: ergo &c. Prob. min.: si sic possit inclinare in assensum falsum, posset etiam per istum actum esset principium primum, seu initium actus supernaturalis, qui esset meritorius vitae aeternae; sed hoc repugnat, cum actus ille esset falsus, & naturalis non procedit ex Dei vera revelatione: ergo &c.

8 Prob. tandem conclusio: si fides infusa inclinaret in revelationem falsam existimatam ut veram, tota certitudo fidei divinae corrueret: ergo &c. Prob. antec.: quoties quis eliceret assensum fidei, possit prudenter dubitare: an hic, & nunc ejus fides fundetur in revelatione apparenti, vel divina; Et si in priori fundetur, non poterit talis assensus esse firmus;

cum

cum sit falsus. Si dubitat de seconde; iam fides divina erit dubia; sed illicitum est dubitare ad vertenter in credendis necessario de fide: ergo rueret tota certitudo fidei divinæ, quod nefas est dicere; cum involvat maximam indecentiam contra Deum; cum in ejus indefectibi i authorite semper fundetur fides divina. Potes etiam probari hæc conclusio omnibus rationibus quæstionum anteced.; qua si fides divina posset per accidens subesse fallo, Deus posset mentiri per alium, esseque causa habitus, & actus earonci.

Solvuntur argumenta.

9 Arguitur 1.: habitus aliarum virtutum supernaturalium, & moralium, licet exerceantur per se circa sua objecta vera, tamen per accidens possunt versari erga objecta falsa existimata, ut vera: ergo hoc idem dicendum est de fide infusa. Antec. patet his exemplis: existimans prudentem, hanc hostiam esse consecratam, cum consecrata non sit; ipsam adorando, elicit actum veræ religiosis. Porrigen s alicui patiperi ficto elemosynam judicans esse verem Pauperem, elicit actum proprium

misericordie: vident actus extermos Satæ titatis in aliquo hypocrita, elicit actum charitatis: ergo à pari, assentiens alicui objecto existimato, ut revelato, cum revera revelationi non sit, elicit verum actum fidei; & consequenter hæc per accidens potest subesse falso.

10 Respondeo conces. antec. negando consequentiam, & paritates. Ratio est; quia cæteræ virtutes regulantur à prudentia, & non versantur circa objecta, ut sunt in se, sed ut à prudentia representantur; eorum enim perfectio consistit in confirmitate cum objecto, non prout est à parte rei, sed prout proponitur per dictamen rationis; ac proinde potest exerceri actus misericordiæ circa pauperem fictum, actus charitatis erga hypochritem, & actus regiorum circa hostiam consecratam pure existimative: virtus vero supernaturalis fiduci infusa non tendit circa verum existimatum, sed circa verem in se tale, nec regulatur à prudentia fallibili, sed à revelatione infallibilis Dei.

11 Replicabis 1.: virtus supernaturalis prudentiæ potest dictare, hostiam non consecratam esse verè consecratam, & consequenter

132 De Infallibilitate Divini Testimonij,

adorandam ; sed hoc , quod est vere consecrata , est falsum , & alias in adoratione hostiæ includitur actus fidei supernæ : ergo non tenet solutio . Resp. negando 1. patt. maioris . Ratio est ; quia ibi duplex propositio reperitur : prima , *hæc hostia est rite consecrata* . Secunda : *hæc hostia est adoranda* . Prima propositio potest esse falsa ; sed non procedit à virtute supernaturali prudentiæ ; cum hæc non sit speculativa , sed practica . Secunda est vera , estò talis hostia forte non sit consecrata ; quia ut sit adoranda , sufficit , quod prudenter judicetur , ut consecrata : imo stante tali judicio debet adorari absolute , & non sub conditione , scilicet si est consecrata . In tali vero adoratione non exercetur actus fidei supernaturalis ; quia in case , quod non sit consecrata , assensus de existentia Christi Dñi . sub illa non esset fidei supernaturalis , sed tautum naturalis , & apparentis .

12 Replicabis 2. : actus adorationis erga talem hostiam foret meritorius ; sed non alter adoratur , nisi quia creditur Christum Dominum ibi contineri : ergo & actus fidei foret meritorius , & supernaturalis . Resp. dist. min. : sed adoratur , quatenus creditur , fide

humana , vel infusa , Chrismum Dominum ibi contineri , conc. min. : fide *infusa præcisæ* , nego n̄in . & conseq . Itaque , ut hostia illa adoretur , sufficit , quod rationabiliter proponatur , ut consecrata ex dictamine judicantis prudenter practicè debere adorari ; ex quo oritur , quod actus adorationis mediante auxilio divino sit meritorius , & supernaturalis .

13 Replicabis 3. : ille primus actus : *hæc hostia est consecrata* , non est , nec potest esse supernaturalis ; quia falsus ; nec potest esse prudentiæ ; quia speculativus : ergo neque secundus actus , *hæc hostia est adoranda* , potest esse supernaturalis , quia falsus ; nec prudentiæ , licet sic practicus . Resp. negando conseq . & supositorum causalis illius , scilicet , talem actum regulatum à prudentia esse fallum ; quia prudentia non curat de realitate , aut vero speculativo , sed de vero practico , aut regulatione operationum , juxta prudentiale dictamen rationis , secundum quod hostia illa est adoranda ; quia prudentia aliter judicatur consecrata ; & alias fides docet , omnem hostiam rite consecratam esse adorandam .

14 Unde optime stat , quod prudentia quoad illum actum fallum non sit supernatu-

ralis, licet actualis adoratio fidelium supernaturalis, & meritaria sit. Ratio est; nam, qui ex ignorantia invincibili judicat se obligatum ad mentendum pro tuenda vita innocentis, judicium falsum, qua falsum, non est superaturale, sed tamen exercitium mentiendi regulatum à tali judicio falso invincibili, est opus meritorium, & supernaturale modo dicto in r. quæst. huius disp. Igitur componi potest, quod prudenter dictans talem hostiam esse adorandam, non sit supernaturalis, ut pote fundata in errore invincibili, & tamen adoratio esset exercite supernaturalis, & meritaria. Vide aliam replicam contra hoc quæst. 4. disp. antec. argum. 4. num. 20.

15 Arguitur 2. assensus habens pro motivo, & objecto formaliter, quod est motivum, & objectum formale fidei supernaturalis, est assensus fidei supernaturalis; sed potest dari assensus habens tale motivum, & objectum, & quod sit erga aliquod mysterium non revelatum à Deo, existimatum tamen ut revelatum: ergo erit assensus fidei supernaturalis. Prob. min.: potest contingere, quod Parrochus, aut Episcopus vel ex ignorantia, vel

ex malitia, proponat pleb. libi commissæ aliquid tamquam fidei divina credendum, quod tamen tale non sit; sed in eo casu plebs rudis revera illud crederet propter divinam authoritatem, seu quia Deus dixit: ergo talis assensus esset fidei divinæ. Hæc est præcipua difficultas. Respond. dist. mai. assensus habens &c. si simul habeat alias circumstantias ad actum, vel assensum fidei supernaturalis necessarias, conc. mai.: si eas non habeat, nego mai.; inversis terminis disting. min. & nego conseq.

16 Itaque licet divina authoritas se sola sit motivum, & objectum formale fidei supernaturalis, requirit aliquas necessarias, & substantiales circumstantias, ut actu moveat, & specificet assensum fidei divinæ, scilicet, quod mysterium sit revelatum vere à Deo, & ex parte potentiae detur habitus infusus fidei, sine quibus non potest dari assensus fidei supernæ. Ex quo ad probat. nego conseq., scilicet, quod assensus ille esset fidei infusa. vel ipsum distinguo: assensus ille esset fidei divinæ objective tantum, conc. conseq. tam objective, quam ex parte principij, nego conseq. Itaque plebs illa crederet; quia Deus dicit, prout

à Parrocho proponitur ; quod autem assensus ille procedat, vel non ab habitu fidei superno, resolvitur in eo, quod mysterium creditum sit, vel non sit in re verum, & à Deo revelatum. Unde assensus ille procederet à fide humana.

17 Replicabis 1. : posset Parrochus proponere illud mysterium falsum inter plura vera à Deo revelata ; sed Rusticus tunc omnia simul crederet ex eodem motivo, scilicet, quia Deus dixit: ergo omnibus assentiret assensu fidei supernaturalis. Resp. dicit. min., sed Rusticus omnia simul crederet *ex eodem motivo, & eodem modo circumstantionato*, nego min. diverso modo circumstantionato, conc. min., & nego conseq. Itaque mysteria vera crederet, quia à Deo revelata ; aliud vero cum solum sit existimativè revelatum, non crederet propter revelationem divinam in re, nisi prout à Parrocho fallo propositam. Unde habitus fidei infusæ non concurreret ad ipsum credendum.

18 Replicabis 2.: Rusticus ille eam facilitatem experitetur, cum prebet assensum objecto falso à Parrocho propo-

sito, ac in credendis articulis veris ab eodem Parrocho propositis ; sed hoc ita non esset, nisi tenderet per eundem habitum fidei infusæ erga omnia mysteria, tam vera, quam falsa : ergo &c. Resp. negando min. 1. illa ergo facilitas provenit ab habitu fidei acquisitiæ, non vero infusæ; nam hic non confert facilitatem potentia, sed virtutem. Unde tota facilitas, quam experimus in credendis objectis propositis, provenit ab habitu fidei acquisitiæ, quo unusquisq; inclinatur ad aliciēdos assensus circa objectum propositum, ut à Deo revelatum : & hoc etsi revera revelatum non sit.

19 Replicabis ultimo: hic, & nunc instat Rustico præceptum credendi fide divina, & volens implere præceptum, credit mysterium, quod falso à suo Parrocho proponitur. Inquiero, an adimpleat præceptum, vel non? Hoc secundum dici nequit; quia iste homo fecit, quantum potuit. Si primum: ergo adimpleat per actum fidei infusæ; cum de tali actu sit præceptum. Respondeo, quod, causa dato, homo ille non implet præceptum; nec similiter peccat; quia excusat ex manifesta ignorantia invincibili. Sicut ille quis

quis existimans invincibiliter præceptum jejuniij impleri tribus comeditionibus , & ter comederet , nec servaret jejunium , nec peccaret.

20 Arguitur 3. : aliqua præmissa fidei supernaturalis potest concurrere ad conclusionem falsam : ergo & fides supernaturalis in assensum falsum. Prob. antec. : in hoc syllogismo : *Christus est homo ; sed homo est irrationalis* : ergo *Christus est irrationalis*; conclusio est falsa ; sed intellectus movet ad assensum conclusionis ex utraque præmissa , quarum maior est fidei supernaturalis : ergo &c. Resp. negando antec. , & min. probationis. Præmissa vera ex se non movet cum præmissa falsa ; sed hæc est quæ movet ex confortio præmissæ veræ voluntarié adjunctæ ab intellectu ; nam , juxta regulas Dialecticæ , præmissa non aliter infert , & determinat intellectum ad assensum conclusionis , nisi quia hæc continetur in illa. Unde cum conclusio falsa nullatenus continetur in præmissa vera , hæc nec infert , nec determinat intellectum ad assensum illius.

21 Arguitur ultimò : ante Nativitatem Christi credebatur fide divina infusa , Christum nascitum : ergo &

hoc credebatur post Nativitatem , usque dum hæc promulgata fuit. Sed tunc fides superat falso , saltim per accidens : ergo &c. Resp. negando i. conseq. ; quia actus ille , quo fidelis credebat , Christum nascitum , in instanti immediato ad nativitatem , transit in actum fidei humanæ. Ratio est ; quia revelatione de Christo nascituro solum duravit ex intentione Dei usque ad instans nativitatis ; quapropter in omni instanti sequenti fides de Christo nascituro jam erat contra revelationem Dei. Non enim peccaret fidelis sic credendo propter ignorantiam invincibilem ; quia lex evangelica pro tunc non erat promulgata sufficierter.

QUÆST. QUARTA, & ultima.

An Deus valeat facere miracula in confirmationem doctrinæ fasæ?

I Duplici occasione possunt à Deo miracula fieri. Prima , intali crisi , ut ex merito fundamenti , & ex circumstan-

tis

occurrentibus inspectis , miraculum sit confirmatio falsæ doctrine , & hæc evidenter credibilis fiat. Secunda , dum Deus miraculum facit ob alios fines ; sed homo tunit occasionem ex tali miraculo ad sua dogmata confirmanda ; certum omnino est , Deum non posse patrare miracula in prima occasione , nec ex intentione , quod ex merito fundamenti confirmetur doctrina falsa. Hoc satis constat ex dictis duabus primis quæstionibus huius disputationis ; quia Deus non potest mentiri , nec infundere errorem ; sed miracula sunt locutio Dei , qua affirmat doctrinam , in cuius confirmationem illa facit , ut constat ex pluribus locis Sac. Scripturæ ; ergo &c.

2. Difficultas ergo est , an , scilicet , Deus possit patrare miracula in circumstantijs , quibus falsa doctrina fiat evidenter credibiliis non ex intentione Dei , & ex merito fundamenti , sed ex abusa creaturæ , sic ut falsa doctrina redditur euidenter credibilis per illa miracula ? Aliqui A.A. cit. à Patre Martin hic tenent partem affirmativam. Communior , & senior Theologorum pars partem negativam sustinet. Cum hac sententia , sit

Nostra conclusio.

3 Repugnat , Deum posse facere miracula vera in circumstantijs , in quibus confirmetur doctrina falsa : seu in circumstantijs , in quibus non possit prudenter dubitari , quod miraculum fiat ex alio fine , aut intentione. Est N. Doct. quæst. 2. Prolog. §. de octavo. Et in 3. dist. 23. quæst. unic. §. de Primo Prob. 1. conclusio repugnat , quod Deus sit testis alicuius falsitatis ; sed si faceret miracula in circumstantijs appositis in conclusione esset testis falsitatis : ergo &c. Tonus discursus est nostri Doct. cit. quæst. 2. Prolog. ubi num. 10. ait: *Deus non potest esse testis falsus: sed Deus invocatus à Predicante Scripturam , ut ostenderet doctrinam ejus esse veram fecit aliquod opus sibi proprium , ut pote miracula , ac per hoc testificatus est illud esse verum , quod iste predicavit.* Et in 3. dist. 26. §. de Primo ait : rationem naturalem dictare , quod Deus non assistit falsitati alicuius operando miracula ad falsa alicuius praedicata , vel dicta. Hoc & habet Angelicus præceptor super Epistolam 2. ad Tesalonicens. cap. 2.

Prob.

4 Prob. 2. conclusio
ratio: Deus de potentia ab-
soluta nequit mentiri; sed si
faceret miracula in talibus cir-
cumstantijs mentiretur; ergo &c.
Prob. 3m.: qui proficeret ver-
ba non habentia aliam vini-
gnificandi rem; nisi denotando
illam esse de mente loquentis; &
in circumstantijs, in quibus per-
se denotatio apponit ad significan-
tiam aliquid falsum; ita lo-
quareretur; & mentiretur; sed
Deus ficeret miracula; qua-
non habent aliam vini sig-
nificantem; nisi denotando illam
esse de mente loquentis; & in
circumstantijs, in quibus per se
denotatur apponit ad significan-
dum aliquid falsum: ergo men-
tiretur. Mai. est certa; quia hec
est deceptio activa; ex qua se-
quuntur eadem incommoda, ac
ex mendacio formalis. Min. etiam
patet; quia miracula confirmant
doctrinam per modum locutio-
nis.

ratione miraculi? ergo illud
miraculum sufficienter erit lo-
cutor Dei. Prob. mai.. audiens
doctrinam, quam Apostoli
miraculis consumabant, pru-
denter credebat ratione mira-
culi, doctrinam esse Dei, &
miraculum, ut contestationem
Dei agnoscerebant: ergo &c.

5 Prob. 3. conclusio:
si miracula ex sua natura non
contestarentur; doctrinam ipsis
confirmaram esse verbum Dei,
in sufficien-
tia proponeretur religio catholica per miracula à
Predicatore patata; sed hoc
est fallitum. Ergo &c. Mai. patet;
quia videlicet talia miracula posset
respondere, quod talia miracu-
la fierent a Christo. Min. etiam
patet; quia Christus Dominus
per sepe miraculis suam doctri-
nam confirmavit; Joann. 5.
dicitur in opera, quae ego facti
testimonium perhibent de me.
Et Iuc. 5., ut ostenderet se ve-
rum Deum, & potestatem ha-
bere dimittendi peccata, ait
Paralytico: ubi dico: surge,
tolle lectum tuum, & vade in
domum tuam. Hoc etiam feci-
runt & Apostoli; nam Mar-
ci ultimo legitur: ille autem
profecti predicatorum ubique;
Domino cooperante, & sermo-
nem confirmante sequentibus sig-
natis: ergo quia miracula ex sua
natura sunt signa contestantia

veritatem doctrinæ : ergo quia Deus nequit ea patrare in confirmationem doctrinæ falsæ. De hoc amplius disp. 5. dum de credibilitate mysteriorum nostræ fiduci agamus.

Solvuntur argumenta.

7. Arguitur 1. : potest Deus ob altos fines suæ providentie conferre alicui creaturæ gratiam miraculorum ; sed creatura tali gratia decorata posset peccando patrare miracula in confirmationem doctrinæ falsæ : ergo &c. Prob. min. : illa creatura per talam gratiam non fieret impeccabilis : ergo posset uti male ipsa. Resp. neg. min. & concess. antec. disting. conseq. ergo maneret cum liberate ad male utendum tali gratia in circumstantijs , in quibus ratione miraculi prudenter suaderetur, doctrinam illam esse de mente Dei, nego conseq. aliter conc. conseq.

8. Replicabis in casu proposito deceptio hominum non tribueretur Deo , sed ipsi homines a se deciperentur: ergo. Prob. antec. : si quis accipiat Epistolam regio sigillo munitam , & ipsam apertus inveniat continere materiam indignam autoritate regia , deberet credere , talem Episto-

lam non esse Regis; et si crederet , deceptio sibi imputaretur: ergo à pari , si non constaret de honestate doctrinæ , quamvis videatur miraculis confirmata , deceptio debet tribui levitati credentium , & non Deo. Resp. neg. 1. antec. , et consequent. probationis. Ratio est: quia accipiens Epistolam regio sigillo munitam , & videns indignitatem materiae prudenter posset , & deberet suspicari , vel talem Epistolam fuisse scriptam inscio rege , & ignoranter , cōtenta in ea fuisse signata ; vel quod Rex humanus potest fallere , & falli. At de Deo nequit nec suspicari ignorantia , nec quod possit fallere , aut falli. Unde casu , quo absolutam gratiam miraculorum alicui conferret , necessario sciret , bene usurum tali gratia.

9. Arguitur 2. : Deus non tenetur impedire , ne fiant miracula falsa , & apparentia in confirmationem falsæ doctrinæ : ergo nec tenetur impedire , ut fiant vera miracula in confirmationem falsæ doctrinæ. Antec. constat , tum in miraculis Magnorum Pharaonis ; tum in miraculis , quæ fient ab Anti-Christo. Prob. conseq. ideo Deus non tenetur ad 1. ; quia sufficit presumere homines doctrinis solidis , ne decipientur ex mi-

raculis apparentibus: ergo & sufficiet præmunitre homines, ne decipientur miraculis veris. Relpondeo 1. neg. 1. conseq. si ad eūus probationem concess. antec., nego conseq. & paritatem. Ratio est; quia in omni eventu deceptio subsecuta ex miraculis falsis, & apparentibus posset superari per miracula vera. *quia veritas vincit;* deceptio vero subsecuta per miracula vera, in circumstantijs, in quibus dubitari non posset, illa esse facta obalium finem; per quæ alia miracula posset superari?

10. Resp. 2. disting. 1.

antec.: Deus non tenetur impeditre miracula falsa, quando ex ipsis redditur credibilis per accidens doctrina falsa, hoc est, respectu huīis, vel illius, quibus ex ignorantia, vel inadvertentia fit prudenter credibile, absolute simpliciter, & ex merito fundamenti credibile non est, transcat antec.; quando ex illis falsa doctrina reddetur prudenter credibilitate absolute, & simpliciter, & ex merito fundamenti, nego antec.: Eadem distinctione potest distingui conseq. sed, meo videri melius est negare conseq., & stare prima solutioni.

11. Arguitur 3., & potest esse replica: doctrina falsa potest reddi ita prudenter cre-

dibilis per ficta miracula, ut prudenter credatur, esse vera miracula; imo gives A. A. decent, futura esse aliqua miracula Antī-Christi: ergo falsa doctrina potest reddi prudenter credibilis veris miraculis. Prob. conseq.: eatenus vera miracula in nostro casu essent locutiones divinæ; quia sese proderent est tales; sed hæc ratio nulla est; quia ficta miracula in casu Antī-Christi sese proderent ut revelationes, divinæ, & tamen non forent: ergo nec vera miracula in nostro casu essent locutiones divinæ.

12. Resp. negando antec. & imbibitam probat., loquendo saltem de credibilitate universalis; nam Deus teneretur manifestare illa miracula, que sunt similia, veris esse ficta; ut docuit in Deuter. cap. 13. dicens, *si insurrexerit in medio tui Prophetas, aut quasi somnum vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum, & eveniret, quod locutus est, & dixerit tibi: eamus, & persequamur Deos alienos, non audias verba Prophetæ. illius.* Deinde, per miracula falsa non loqueretur Deus, sicut si Dœmon loqueretur per verba similia verbis Dei, non loqueretur Deus per illa verba, ad modum, quo Rex ponat sigillaret, quæ per sigillum

fictum Regis, vigilantur. Nec Deus permittere potest, quod per miracula falsa, falsa doctrina reddatur universaliter credibilis; ut fatis constat ex dictis quæst. I. huius.

13 Arguitur 4.: ex dictis quæst. I. huius a num.
19. Deus potest uti amphibologia ad minus externa: ergo & potest facere miracula æquivalentia locutioni amphibologicae in confirmationem doctrinæ falsæ. Prob. conseq.: ponamus casum, quod verus Minister promittat suscitationem mortui craftinam in confirmationem vere doctrinæ: & hoc scilicet Propheta fatus, promittat quæ: tales suscitationem in confirmationem suæ falsæ doctrinæ, tunc Deus posset facere illud miraculum; sed tale miraculum tunc æque suaderet unam, & aliam doctrinam; quia sicut locutio amphibologica habet duplarem sensum, verum, & falsum; sic tales miracula haberent duplarem significatiouem, veram, & falsam; veram ex intentione Dei; falsam ex applicacione hominum: ergo potest facere miracula æquivalentia locutioni amphibologicae.

14 Respondeo ex loc. cit. quod Deus potest uti locutione amphibologica per positionem alicuius sigui sensibilis,

aut alicuius circumstantiæ, ratione cuius non decipientur audientes ex intentione Dei; sed ad summum ex eorum ignorantia, aut inadvertentia. Unde in calu posito in argum., dico, quod Deus tunc casus non posset facere miraculum resurrectionis, nili vel privando Ministrum falsum spiritu propheticō, vel præbendo signa sensibiliā, & exteriora, quibus videntes miraculum talis intelligente possent, non esse factum in confirmationem doctrinæ false; quod, si his non obitantibus, aliquis deciperetur, hoc proveniret ex ejus culpa, vel inadvertentia.

15 Arguitur 5.: et si Rex sciret, sicut Minister sigillare aliquod testimonium contra voluntatem, Rex non loqueretur virtualiter per illud sigillum: ergo idem accideret in Deo respectu Ministri, cui tradidit facultatem sigillandi doctrinam per vera miracula, et si sigillet falsam. Respondeo distinguendo antec.; et si Rex &c. non loqueretur virtualiter, si non posset facile vitare tale sigillatione, aut ostendere, se non sigillare, trahat antec.: si hoc posset de facili, nego antec. & conseq. Unde, cum Deus facile posset vitare in his circumstantijs tale miraculum, vel saltē ostendere, se non sigillare, talem doc-

trinam per tale miraculum; hinc est, quod si non faceret, virtualiter loqueretur.

16 Arguitur 6. : si miracula ex se forent vera locutiones Dei, connecterentur in infallibilitate cum veritate doctrinæ, quam affirmant; sed hoc est falsum: ergo &c. Prob. min. Dæmones viderunt miracula Christi; sed ex eis non novabant divinitatem: ergo &c. Resp. negando min.; & distinguo min. probationis; sed ex eis non novelarent Christi Divinitatem, quia Dæmones non cognoscebant evidenter metaphysice miracula, aut non cognoscebant evidenter fieri in confirmationem huius mysterij, conc. min.: non verunt Divinitatem Christi; quia non potuerunt eam noscere ex miraculis, nego min. ut docet Doct. quæst. 4. Prolog. Deinde, ut dicit Aug. 9. de Civit. Dei cap. 21.: *Christus tantum innotuit Dæmonibus, quantum voluit, tantum autem voluit, quantum opportuit.* Unde non mirum, quod eis celaret cognitionem suæ divinitatis, adhuc superpositis miraculis.


17 Arguitur ultimo: ideo Deus non posset facere mi-

racula in dictis circumstantijs; quia cooperaretur abusui Ministri offerentis talia miracula ad constitutandam doctrinam falsam; sed hoc est falsum: ergo &c Prob. min. : potest Minister abutti potestate consecrandi, & gratia sanitatis ex fine vanegloriarum; sed tunc licet Deus esset causa per se consecrationis, & sanitatis, non vero abusus Ministri, sed ad summum meritus permisso: ergo pariter &c. Ut solutio capiatur, nota, quod duplex abusus distinguitur in Ministro offerente miracula in confirmationem doctrinæ falso: unus consistit in eius mala intentione; & in hunc non influeret Deus per se, & si miraculum faceret. Alter est deceptio illorum, interposita autoritate Dei; & in hanc influeret Deus per se; quia idem est facete miraculum in illis circumstantijs, & nolle ostendere fieri ex alio fine, ac virtualiter dicere, illam doctrinam esse de sua mente. Hoc notato

18 Resp. ad argumentum negando min., & concessis præmissis probationis, nego conseq. Disp. pa-

paritas est ; quia in abuso potestatis consecrandi , & lanandi , non est alius abusus , quam mala intentio Ministri , in quam non influit Deus per se ; consecratio vero , & sanitas per se sunt bonæ , & à solo Deo phisice elicite , nec vitiantur respectu Dei ex mala intentione Ministri ; quia Deus non vult illas , ut intentas , à Ministro , sed secundum se . Unde non implicat , Deum posse illas causare per se ,

quoniam per se cooperetur abusus Ministri . In alio ve-
ro casu datur duplex abusus , uterque malus ; &
quamvis Deus non esset causa per se malæ intentionis Ministri ; esset tamen causa per se deceptionis , interposita authoritate Dei , &
Deus non vellet manifestare , miraculum fieri ex alio fine . Contra istam conclusio-
nem faciunt omnia argumen-
ta proposita , quest. 1.
& 2. huius.



DIS

DISP. IV.

DE OBSCURITATE FIDEI : EIUSQUE certitudine.

Tamquam quid certum supponitur apud Theologos , obscuritatem prærequiri ad fidem : an tamquam essentia , & ratio formalis : an vero solum ut proprietas ? inter se discrepant. Hæc vero obscuritas ex dupli- ci cap. oriri valet : primo ex parte rei reve- lantis, quando non constat evidenter , revela- tionem esse à Deo. Secundò ex parte rei re- velatæ, scilicet , quando objectum revelatum non est evidens respectu illius , cui revelatur. Ex utroque cap. in præsenti disp. videbimus, an obscuritas sit de essentia fidei? Sit ergo

QUÆST. I.

*An cum evidentia in attestante
possit stare fides meritoria,
& obsequiosa?*

*N*O TO r. quod aliquid
potest tripliciter
evidenter cognosci. Primo per

evidentiam rei in se ipsa , ut quando cognoscitur per pro- prias species proportionatè cau- satas , sive species sin intui- tivæ , sive abstractivæ. Hæc evi- dentia dicitur metaphysica; sed melius sic explicatur , est quan- do

do aliqua extrema ita inter se
identificantur , & connectun-
tur , ut impossibile sit per om-
nem potentiam aliter se habe-
re. Secundo aliquid evidenter
cognoscitur , quando extrema ita
inter se connectuntur , ut im-
possibile sit unum esse , aut
cognosci subiecta ratione quæ con-
nectuntur , sine alio. Sic te ha-
bet omnis causa physica respec-
tu sui effectus , aut ē contra ; et
hæc dicitur evidētia physica.
Tertio evidenter aliquid cognos-
citur , quādō ita connectitur , cum
aliо , ut licet ex natura rei , & abso-
lute loquēdo possit aliter se habe-
re , tamē atētis circūlātis , & mo-
tivis inducentibus ad assensum
juxta prudentiam existimatio-
nem , aliter non possit se habe-
re . & hæc dicitur evidētia moralis

2 Ex his sequitur quod
evidētia solum moralis potest
physice , & metaphysice habuisse
falso. Evidētia physica solum
divinitus. Metaphysica vero
nec de potentia absoluta po-
test habere falsitati. Quare nō
cet omnes hæc evidētia in hoc
conveniant , quod necessitent in-
tellectum ad assensum objecti
evidētis in sua linea; differunt
vero , quod Metaphysica con-
notat in suo motivo conexio-
nem metaphysicam ; physica
connexionem physicam ; & Mo-
ralis moralē. Unde eviden-

tia phisica datur , dum clar-
itas rationis suadentis fundat ne-
cessitatem physicam assertus , &
consequenter impotentiam p̄ hy-
p̄ fisicam dissestus. Evidētia mora-
lis dabitur , dum claritas rationis
suadentis fundat necessitatem
moralement assertus . & cōsequēter
impotētia mōrē dīsētus. Et
tandem evidētia met. physica ,
dum claritas rationis suadentis
fundat necessitatem metaphy-
sicam assertus , & consequenter
omniū mōrē in potentia dis-
sestus.

3 Per oppositum ex-
plicari debet obliterat̄s , & in-
evidētia aet̄ sit , quando nullo
modo ex relatis habet evidē-
tiā , tñq̄ potius inducit obs-
curitatē oppositam. Cūcūm-
que evidētia ita ut nec per
propriam speciem , nec ex sola
tertiori um apprehensione , nec
per intrinsecam aliquam con-
ditionem cum altero existat no-
rum , sed tantum per aliquid
extrinsecum , quale est testi-
monium testificabilis illud , quod
comuniter dicitur principium
extrinsecum , & probatio per
extrinseca. In presenti ergo quest-
dum querimus , an cum evi-
dētia in attestante possit stare
fides ? Non loquimur nec de
evidētia mōrē , nec de evi-
dētia physica (quæ tandem in
presenti numquam reperitur)
sed tantum de evidētia meta-
phy-

physica. Pro cuius clariori resolutione.

4 Noto 2. quod hæc evidētia metaphysica attestatiōis potest adhuc duplīciter contigere : primò , ita ut ipsa attestatio , seu revelatio sit mihi evidens , non tamen sensus , in quo mihi loquitur attestans ; & hæc dicitur evidētia incompleta ; & de hac non est dubium , quod cum ipsa possit stare fides. Secundo , ita , ut non solum ipsa attestatio , & revelatio sit evidens , sed etiam sensus determinatus , in quo loquitur : & ultra , quod sit ipse Deus , qui loquitur , & quod non potest fallere , nec falli , & haec est attestatio , seu revelatio completa , de qua disputamus in præsenti : id est , an cum evidētia aequalita in attestante , quando constat evidenter , Deum revelare ; non posse fallere , nec falli ; & etiā sensus , in quo illud revelat , possit esse fides circa mysteriū reuelatum , ita ut mysterium reuelatum habeat sufficientem obscuritatē , ut possit terminare actum fidei propriæ , & osequiosæ

5 Circa quam difficultatem duplex est sententia : Prima est negativa , quam docent Suarez , disp. 3. sect. 8. Illmo. Pallanco disp. 4. q. 5. cum aliis Thomistis , & R. P. societatis.

Aliqui Scotistæ , ut Pontius in 3. dist. 24. num. 34. Noster Sennin tract. 7. centrov. 8. sect. 2. & novissime Math. Gonz. tract. 2. disp. 4. quæst. 2. tenent , quod cum tali evidētia in attestante potest stare fides lata ; non vero stricta , & obsequiosa. Secunda sententia est affirmativa ; estque communior inter Theologos , sic N. Mastr. disp. 6. de fide quæst. 3. art. 2. Cum quaque sit.

CONCLUSIO.

Cum evidētia completa in attestante potest stare fides theologica propria , & obsequiosa. Hanc conclusionem probant Thomistæ cum Angelico Precept. 2a. 2æ. quæst. 5. art. 2. Et quidem satis evidenter. Prob. vero 1. ex N. Doct. in 3. dist. 24. vers. sed si loquamur , num. 17. ubi ait : tales (scilicet , Prophetæ , & alii Canonici scriptores , habuerunt habitum prebentem magnum assensum , ita quod illo stante non potuerunt non assentire veritati ; illa tamen certitudo non fuit evidens ex evidētia rei ; quia tunc contradic̄tio esset , quod hujusmodi notitia , & fides simul statet ; fuit tamen certitudo illa firma sicut est scientialis &c. : ergo

T

jux

146 De obscuritate fidei, ejusque certitudine.

juxta Subt. Mag. Prophetae, & alii Canonici Scriptores habuerunt evidentiam, quod Deus erat, qui eis loquebatur, & dictabat scripturas sacras, & tamen de mysteriis, quae prophetabant, vel scribebant, non habuerunt evidentiam, sed fidem strictam, hoc est magnum assensum.

7 Prob. 2. conclusio ex ipsam scriptura: *Abraham credit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*, ut patet ex Genet. 15. Beata Virgo Maria habuit evidentiā de verbo Dei, quod sibi dictum fuit: *ecce concipies, & paries Filium*; sed haec omnia credidunt fide obsequiosa, & meritoria: ergo cum evidentiā revelationis &c. Min. constat respectu Abrahā ex illis verbis: *& reputatum est ei ad iustitiam*: respectu Iacob. Virginis etiam ex illis: *beata que credidisti*. Confirmatur: aliter se habuit Beatissima V. Maria erga ea, que sibi evidenter sunt revelata, & non vidit: ac circa ea, quae ei sunt revelata, & vidit, ut Crucifixionem, & Resurrectionē Christi Dñi. sed Beatissima V. Maria, & Apostoli non habuerunt fidem circa ea, quae viderunt, nisi ad summum in habitu, ut docet N. Doct. cit. § ad 1. principale: ergo habuerunt fidem circa ea, que non

viderunt, & sibi immediate à Deo, vel à Christo sunt revelata.

8 Prob. 3. conclusio; a sensu praestitus objecto revelato, stante evidentiā revelationis modo explicato, non fundatur in principiis intrinsecis ipsius objecti, nec in effectibus ab eo procedentibus, nec in aliqua naturali specie ejus, sed solum in testimonio extrinseco rem ipsam testificante: ergo quamvis revelatio, & autoritas revelantis evidenter cognoscatur, objectum revelatum manet in se obscurum, & sic credi potest fide divina. Prob. conseq.: de essentia fidei tantum est quod nitatur autoritate dicentis, sive evidenter constet de dicente, sive non; sed tunc causus assensus praestitus objecto revelato unice niteretur in autoritate Dei revelantis, & ejus testimonio extrinseco: ergo quamvis &c. Mai. const.; quia objectum formale fidei, scilicet autoritas Dei, est ratio propter quam attingitur objectum materiale, quod semper manet obscurum in se, sive evidenter constet de dicente, sive non.

9 Prob. min.: ut detur evidentiā alicujus propositionis in se, requiritur evidens notitia ejus terminorum; sed hæc unicæ habetur per proprias species

intelligibiles evidenter repræsentativas terminorum propositio-
nis, non vero per evidentiam in
attestante: ergo ista stante, ad-
huc propositio in se est inevi-
dens, & obscura: ergo &c.
Confirmatur: cum evidentia,
quod Deus revelavit hoc myste-
rium, se esse Trinum, & Unum;
non ob hoc habens talem eviden-
tiam haberet species intelligibi-
les, vel acquilitas ab ipsis objec-
tis, vel à Deo infusitas talis mys-
terii: ergo &c. Prob. antec. quo
ad 2. partem: testimonium, & id
de quo est testimonium, sunt res
distinctæ, & repræsentantur dis-
tinctis speciebus: ergo species
unius potest infundi absque spe-
cie alterius: ergo Dens dans
evidentiam de suo testimonio,
non necessario infunderet speciem
repræsentativam evidenter, &
quiditativer rei testatae.

10 Prob. 2. idem antec. quoad 2.
part.: evidencia testimonii idcir-
co datur, ut adhibetur certis-
sima, & magna fides rei, quā
Deus testatur; sed hæc fides
superflua esset, imo impossibilis,
stante evidentiā ratiā supernatu-
rali ejusdem objecti per speciem
ejus infusam: ergo Deus dans
evidentiam sui testimonii, non
congruenter daret simul eviden-
tiā objecti relati infundendo
eius speciem. Mai. cum conseq.
tenent; quia naturalis certitudo

per evidentiā est major supernatu-
rali certitudine per fidē; & ita cū
illa consistere non poterit. Minor
supraposita quoad primam par-
tem, scilicet, quod habens evi-
dentiā in attestante de myste-
rio Trinitatis non ob hoc habe-
ret species intelligibiles acquisi-
tas talis objecti, est evidens; quia
istae non sunt acquisibiles ab ip-
sis objectis: quia cum sint effec-
tus ad extra, libere producun-
tur à Deo.

11 Prob. 4. conclusio: si cum
evidentia completa in attestan-
te non posset esse fides obsequio-
sa, & meritoria, Angelus in pri-
mo instanti, dnm erat in via, non
potuisse habere fidem obsequio-
sam, & meritoriam; sed eam ha-
buit, & in simul evidentiā
completam revelationis: ergo,
&c., Min. quoad 1. part. const.
quia Angeli non fuerunt creati
in Glorio, sed in statu illam pro-
merendi; ad quod requirebatur
talis fides supernaturalis. Prob.
eadem min. quoad 2. partem:
Angelus tunc cognovit eviden-
ter, quod Deus sibi loquebatur;
sed cognita revelatione sibi à
Deo immediate facta, si tunc
credidit, debuit judicare in illo
trnc, quod Deus non poterat
fallere, nec falli: ergo cum hoc
judicium de iustificitate Dei
fauerit tunc evidens in Angelo,
& simultaneum cum evidentiā

testimonii Dei, Angelus in illo tunc habuit evidentiā tam diuinā revelationis, quām infallibilitatis primā veritatis; & consequenter evidentiā completam.

12 Respondent aliqui, quod fides, quae pro tunc fuit in Angelis, si fuit cum evidētia explicata, non fuit stricta, & obsequiosa, in qua captivatur intellectus reverendo authoritatē dicentis; sed fuit lata; quia fuit assensus necessarius propter infallibilem testimonium, & propter Dei infallibilem authoritatem in revelando. Sed contra 1. quia, ut constat ex probatione, fides, quę fuit in Angelis in illo illo instanti, fuit libera, & meritaria. Contra 2. : stante evidētia in attestante tam quoad revelationem, quam quoad infallibilitatem ejus, res attestata manet in se obscura, ac non necessitat intellectum ad assensum præbendum: ergo manet liber ad assentiendum: ergo talis assensus est fidei diuinę stricte talis, liber, & obsequiosus.

13 Respondent alii, quod Angelī in 1. instanti non haberunt evidentiā completam in attestante; vel quia non cogitabant, aut attendebant, quod Deus qui est 1. veritas, nec poterat fallere, nec falli: Vel quia Deus non revelavit Angelo ev.

denter sensum determinatum, in quo loquebatur; sed locutus est cum aliquo mysterio modo, quo in Sac. Scriptura multa mysteria recondita, quorum nec ipsi Prophetæ ea scribentes, & loquentes, determinatum, ac genuinum sensum cognoscebant. Unde non mirum, quod sic loqueretur cum Angelis in primo instanti.

14 Sed contra; quia absque fundamento recurritur ad inadvertentiam, per quam Angelī in primō instanti non adverterint, quod, Deus, qui est prima veritas, non potest fallere, nec falli; sed non mihius absque fundamento recurritur ad revelationem ex parte Dei, non revelando determinatum sensum: ergo nulla est responsio. Prob. mai. Angelus, qui tunc credit, fide divina credidit: ergo debuit judicare ante elicientiam actus, quod Deus, qui mysteria immediate revelabat, non poterat fallere, nec falli, nam cum alicui proponitur credenda difficultis, & supernaturalis veritas, debet attendere ad authoritatem dicentis, ex qua debet moveri ad credendum, ut constat in omnibus, quibus proponitur fides divina: ergo Angelus in 1. instanti, dum credidit, debuit sic attendere ad infallibilitatem Dei.

15 Prob. eadem min. quoad 2. part. nec probabile, nec verosimile videtur, quod mysteria fidei nobis proposita sine ambiguitate, ut mysterium Trinitatis, Incarnationis, Dei ut Remuneratoris, & alia huiusmodi proposita fuerunt Angelis obscure, & ambiguè : ergo, &c. Prob. antec.; quia Angelus credidit in sensu determinato : ergo cognovit sensum determinatum Dei loquentis. Deinde ad dignitatem Dei, & conditionem Angeli in illo i. instanti decebat, quod Deus sic loqueretur indeterminato sensu; cum nō haberet talium Magistrum, a quo edoceretur.

16 Prob. uultimo conclusio : cum evidentia credibilitatis mysteriorum fidei compatitur assensus fidei infusa strictè, & obsequiosè: ergo & cum evidentia in attestante. Antec. est omnium. Prob. conseq.: non minus inducit ad credendum evidentia credibilitatis mysteriorum, quam evidentia completa in attestante; & aliunde, ita extrinseca est revelatio infallibilis mysterio revelato, ac credibilitas formalis; imo hæc aliquo modo intrinseca videtur; quia respicit, & connectitur cum intrinseca credibilitate mysterij credendi: ergo si cum evidenti credibilitate mysteriorum compatitur fides strictè,

ta, etiam cum evidentia completa in attestante.

Solvuntur argumenta.

17 Arguitur 1.: fides stricta, & obsequiosa requirit necessario obscuritatem objecti materialis; sed hæc obscuritas nequit stare cum evidentia completa in attestante : ergo &c. Mai. constat; prob. min.: per evidentiā completā in attestante mysterium testificatum sit clarum, & evidens intellectui, necdum extrinsece, sed in se: ergo &c. Prob. antec. 2 evidentiā completa in attestante consistit in his duabus præmissis evidenter cognitis: quidquid Deus revelat, est verum; sed Deus revelavit se esse Trinum, & unum: nunc sic; sed iste duæ præmissæ evidenter cognitæ faciunt clarum, & evidens intellectui, quod Deus est Trinus, & Unus in se: ergo per evidentiā completā in attestante &c. Prob. min.: præmissæ evidentes evidenter, & per veram formam syllogisticam inferentes aliquam conclusionem faciunt ipsam evidenter intellectui; sed huiusmodi sunt propositæ præmissæ, ut supponiatur: ergo prædictæ præmissæ

150 De obscuritate fidei: eiusque certitudine

ut evidenter, cognitæ, faciunt claram, & evidens, quod Deus est Trinus, & Unus.

18 Noster Abiel distinguit maiorem, sic: quidquid Deus revelat est verū, hoc est, *credimus esse verum*, conc. maiorem; scimus *esse verum*, nego mai.; & concessa min. distinguit consequens illatum: ergo Deus est *Trinus, & Unus*, & hoc creditur, concedit conseq.: Et hoc *scitur* neg. conseq. Ex vi ergo revelationis nullam scientiam habemus de veritate intrinseca mysterij in semetipso, posita adhuc quacumque evidentia in attestante; nec aliter creditur mysterium, nisi quia dictum est à Deo, qui nec falli, nec fallere potest. Unde consequentia predicti syllogismi, quæ à contrarijs vocatur demonstratio, potius explicari debet per verbum *credo*, quam per verbum *scio*; cum notiria de mysterio non fundetur in cognitione mysterij in semetipso, sed in autoritate revealantis.

19 Noster Mastrins respondet negata min., & min. probationis, negando quod consequens deductum recte deducatur; nam deducendum erat: ergo evidens est, *testimonium Dei de Trinitate esse verum*; quia cum in maiori præmissa immedia te attingatur, vel explicitur evi-

dentia infallibilitatis divinæ revelationis; non vero eviden tia intrinseca objecti, hinc sensus illius propositionis debet esse hic: *evidens est, omnem Dei revelationem esse veram*. Ex qua, & ex min. polita in argumento inferatur solum hoc consequens: ergo evidens est, *revelationem seu testimonium Dei de Trinitate esse veram*; & sic præfatus syllogismus solum probat, evidentiā extrinsecam derivari in hanc propositionem: *Deus est Trinus, & unus ex testimonio Dei ex trinsecō*; nō autem probat evidentiā intrinsecā ex medio intrinseco causatā, & fundatā in intrinseca natura rei. Unde cū objectum maneat inevidens, sufficit ad fundandum assensum obscurum fidei; quia talis inevidentia numquam tollitur per evidētiām divinæ attestantis; cum inter rem attestatam secundum se, & attestationem divinam nulla sit intrinseca connexio, sed solum ex infallibili Dei veritate. Optima solutiones. Sed ad tollendas varias replicas, quæ potius obscuritatem, quam veritatem continent;

20 Respondeo, negando min.: & distinguo antec. probat: per evidētiām completam in attestante mysterium testificatum sit clarum, & evidens intellectui in se, *quoad an est*, transeat antec.: *quoad quid*

quid est, nego antec. Eisdem terminis distinguitur minor praefati syllogismi. Et mai. probatio. nis. Ex evidenti ergo cognitione divine attestationis completa solum infertur cognitio mysterij revelati quoad *an est*, hoc est, cognoscitur, quod existat; non vero cognoscitur *quoad quid est*, hoc est, non cognoscitur quidditas, & intrinseca natura ipsius mysterij. Parificatur hoc ex his, quae communiter docentur in tractat. de *visione beata*. Ex evidenti enim cognitione visionis beatificae non infertur evidens cognitio objecti beatifici in sejūde si Angelus naturaliter illam cognosceret, ut existē tem in Petro; non ob hoc naturaliter cognosceret essentiam divinam, quae est objectum specifativum illius. Sic ergo in praesenti, ex cognitione evidenti revelationis infallibilis Dei non sequitur cognitio clara objecti revelati in se, sed ad summum cognitio *quoad an est*, quae relinquit locum fidei insulæ.

21 Replicabis tamen argenter ex N. Sendin, & Palanco: ergo est evidenter mysterium revelatum *quoad an est*, licet non *quoad quid est*. Nunc sic sed cum evidenti existentia *quid an est* non stat fides stricta respectu talis rei: ergo &c. Prob. subsumpta multipliciter,

Primò; quia fides numquam per venit ad rē *quoad quid est*. Secundò; quia cognitio objecti *quoad an est*, excludit fidē de tali objecto *quoad an est*, ut patet in evidentiā, qua à posteriori cognoscimus existentiam Dei solum *quoad an est*, quae excludit fidem de ipsa Dei existentia. Tertiō; quia si ex evidentiā revelationis infertur mysterium *quoad an est*, inferretur eo modo, quo ex evidentiā causa infertur effectus; nam hic unice inferatur *quod an est*; ex evidentiā enim ignis non infertur evidenter quiditas fumi, nec ex evidentiā fumi infertur quidditas ignis; sed existentia ignis; ergo cum evidentiā ex revelatione existentiā mysterij *quoad an est*, non stat fides stricta, & obsequiosa.

22 Respond. dist. primum conseq. replicaz: ergo ex evidentiā revelationis infertur evidenter mysterium revelatum *quoad an est* evidentiā *extrinseca*, & in esse revelati tantum, conc. conseq: evidentiā *intrinseca*, & in se, nego conseq. Et dist. min. subsumpt: sed cum evidentiā *intrinseca* rei *quoad an est*, non stat &c. omittedo min.: cum evidentiā mere *extrinseca*, nego min.: ad pri-
mam probationem minoris, omittedo antecedens, vel abso-

152 *De obscuritate fidei : eiusque certitudine*

lute nego illud ; quia nos de facto non solum credimus existentiam Incarnationis, sed etiam quidditatem ejus , & sic de alijs mysterijs ; non enim video , cur credi non possit fide divina, & obsequiosa, *quid sit mysterium?* Ad 2. probationem dicit. antec. eadem distinctione ; & hoc est, quod probat exemplum de evidencia, qua à posteriori ex effectibus cognoscimus existētiā Dei.

23 Ad ultim. probat. nego absolute maiorem ; diverso enim modo se habet evidētia causæ ad inferendum effectum , licet solum *quoad an est*, ac se habet evidētia revelationis ad inferendum mysterium revelatum *quoad an est*. Effectus enim infertur ex evidētia causa, (idem, licet diverso modo, dicendum est, de illatione causa ex evidētia effectus) per viam intrinsecam ; vel ut ait N. Subt. Doct. , ex principijs notis ex evidētia terminorum ; & sic hæc evidētia obviat fidei. Evidētia autem existentiæ mysterij revelati solum infertur ex vi revelationis , & consequenter evidētia extrinseca ; & cum ex vi revelationis præcisè objectum maneat obscurum, seu nō sit evidētia terminorū, hinc est, quod potest terminare fidē. De hoc ultra in sequētibus.

24 Arguiunt 2., & pos-

test esse replica : posito assensu evidētii utriusque præmissæ, & habita evidētia de bonitate illationis , veritas conclusionis non manet obscura : ergo Prob. antec. : illis positis, licet veritas conclusionis non appareat in se ipsa , appetet tamen in veritate principiorum ; sed hoc non sufficit ad obscuritatem: ergo &c. Prob. min. : omnes conclusiones scientificæ sive à priori , sive à posteriori, non apparent in se ipsis , sed in medijs demonstrativis ; sed nihilominus sunt evidentes, & non obscuræ: ergo &c. Confirmatur : sicut ex vero non potest sequi , nisi verum, sic ex evidētibus non potest necessario sequi , nisi aliquod evidens; alias cogeretur intellectus ad fatendum præmissas nō esse evidentes: ergo si præmissa sunt evidentes, conclusio evidens erit.

25 Resp. dist. antec. posito assensu &c., & habita evidētia de bonitate illationis per principia scientia, conc. antec. per principia unice evidētia via revelationis , nego antec. & conseq. Ad probat. nego min. & maiorem probationis : ex medio ergo scientifico habente intrinsecam, & necessariam connexionem cum conclusione, hæc appetet non solum in veritate principiorum, sed in se ipsa; quia ex

ex vi connexionis medij cum extremitatibus in præmissis, istæ connectuntur immediate in conclusione inter se. At ex medio extrinseco , quale est revelatio respectu rei revelatae, non apparet veritas huius in se ; vel ad summum apparet *quoad aet*; sed tantum apparet in illo medio : & sic assensus fidei manet semper obscuras. Ad confirm. concedo tecum syllogismum ; ex quo nihil contra nos, ut patet ex jani dictis in primo argumento.

26 Arguitur 3. : assensus erga mysterium fundatus in visione revelationis, & evidētia veritatis non potest esse fidei : ergo &c. Prob. antec : prædictus assensus, ut sic consideratus est formaliter intuitio, sive scientia: ergo &c. Prob. antec.: prædictus assensus est evidenter illatus ex præmissis evidentiis , & præter hunc conceptum non habet ullum aliud: ergo &c. Respondeo negando ant. ; quia talis naturæ , & speciei est assensus , qualis est ratio formalis ipsius ; cum ratio hæc sit , quæ tribuit naturam, & speciem actui. Ratio autem, propter quā talis assensus elicetur est ipsa ratio formalis fidei, hoc est, autho ritas Dei, aut Dei testimonium, quod per evidētiā in attestan-

te non annuit suam rationem formalem, quæ est, quia Dei, & primæ veritatis est.

27 Evidētia vero scientiæ ex N. D. Et. cum Philos. I. Posterior. cap. 3. habetur ex proprio testimonio nostri intellectus, medio aliquo habente intrinsecam connexionem cum re ipsa à priori per causam vel à posteriori per effectum. Unde medium scientiæ est intrinsecum rei, vel in essendo , ut in demonstratione potissima, in qua medium est definitio subjecti. Vel in cognoscendo, ut est effectus respectu causæ in demostratione à posteriori , qui estò sit extrinsecus causæ in essendo , est tamen intrinsecus illi in cognoscendo ; quia cognitus manifestat evidenter perfectionem causæ in se. Quare assensus scientiæ fundari debet , vel in principijs extrinsecis rei, vel in effectibus ab ipsa procedentibus, vel in aliqua naturalis specie, seu similiudine ejus. Urde dum res non cogi oicitur in aliquo ex ipsis , semper manet obscura , & objectum fidei.

28 Arguitur 4. : fides nostra fundatur in revelatiōne Dei : ergo si revelatio est evidens, fundatur in medio evidenti: ergo non esset essentialiter obscura. Resp. concessio ant., disting. 1. conseq. : ergo , si reve-

154 De obscuritate fidei, ejusque certitudine.

latio est evidens, fundatur in medio extrinseco evidenti non habete ex natura rei intrinsecam connexionem cum re revelata, conc. conseq.: habente talem connexionem intrinsecam, nego coeq. & inde illatam; quia, ut manet dictum, illa evidentia stante, res attestata, adhuc remaneret invidens inevidentia sufficienti ad fundandum assensum obscurum fidei.

29 Arguitur 5.: assensus fidei nostræ est liber, & pendens à voluntate, juxta illud ad Roman. 10. non omnes obediunt evangelio; sed si esset evidentia completa in attestante, intellectus per huiusmodi evidentiā convinceretur ad præbendum assensum absque imperio voluntatis: ergo non est assensus liber. Prob. min.: omnis evidētia in attestante necessitat intellectum ad assensum; sed si assensus est necessarius, nequit esse liber: ergo repugnat assensus obsequiosus cum evidētia in attestante. Hoc argumentum est fundamentum eximij Doct. cui respondet Mastrius. Sed ejus responsione omisſa,

30 Respondeo, negando min. & maiorem probationis; quia evidētia in attestante tantum necessitat, & determinat intellectum quoad specificationem, hoc est, ne disseniat; non vero quod exercitium,

id est, non necessitat, nec determinat intellectum ad necessario assentiendum objecto revelato; quæque libertas exercicij, seu contradictionis sufficit ad fidem obsequiosam, & meritioriam, dummodo aliae adsint conditiones, ut communiter docetur a Nostratisbus in tract. de merito, & à nobis dictum fuit tract. de merito Christi tom. antec.

31 Arguitur 6.: juxta Subt. Doct. cit. num. 6. huins, Prophetæ, stante evidētia in attestante, habuerunt habitum magnum assensum præbentem, ita quod illo stante, non potuerunt non assentiri veritati. Et postea docet, quod stante illa evidētia fuit illa certitudo firma, sicut est certitudo scientialis & fuit maior certitudo, quam certitudo fidei; quia fides non excludit omnem dubitationem; sed aliqua dubitatio potest stare cum fide. Hæc Subt. Doct., in cuius primis verbis constat, quod, stante evidētia in attestante, intellectus manet 'necessitatus quoad exercitum ad præbendum assensum veritati revelata; quod est contra solutionem datam argumento antec. Ex secundis vero verbis deducitur, quod stante tali evidētia, ita certissima manet veritas revelata, quod nulla dubitatio possit impedire firmissimum assensum; sed hoc

ipso nullus locus manet fidei obsequiosæ , juxta Scotum : ergo &c.

32 Aliqui respondent, Subt. Doct. posse interpretari de assensu , qui nunc etiam à nobis viatoribus exhibetur circa revelationem ; non enim mysterio assentimus , quin & revelationi assentiamur ; Unde dum ait, assensum illum esse suprà certitudinem fidei , intelligendum est suprà certitudinem fidei , quam nunc habemus , ita ut excessus sit intra fidem ; cum fides nostra dubitare possit de revelante , secus illa Prophetarum . Nostra ex objecto credendo , & ex revelante est obscura illa autem Prophetarum , et si sit obscura ex objecto revelato ; tamen est evidens ex revealiante . Unde bene ait Subtil. Doct. quod assensus Prophetarum , & aliorum habentium evidentiā completam in attestante , fuit magnus , & certissimus comparativē ad assensum , quem nos in via prestamus objecto revelato ; cum in nobis sit obscurus tam ex parte rei revelatae , quam revelantis . Optima solutio . Sed aliter .

33 Respondeo , quod et si Prophetæ , supposita tali evidētia , fuerint necessitati , ita ut non potuerunt non assentiri veritati ; semper tamen in illis salvatur fides obsequiosa de tali objecto . Quod salvetur fides patet ;

tum quia talis assensus unicè fundatur in autoritate Dei revelantis , aut testimonio Dei extrinsecō ; tum , quia ipse Scotus ibi negat , prædictum assensum forte talem ex natura terminorem ; quod vero sit fides obsequiosa etiam constat ; quia cum evidētia revelationis unice evidens faciat objectum quoad an est extrinsecē , aut per viam clare revelantis ; non vero intrinsecē , & per principia scientialis certitudinis , locum relinquit fidei obsequiosæ ; cum objectum aliqualiter maneat obscurum .

34 Arguitur ultimo : si assensus praeditus rei revelatae cum evidētia revelationis esset fidei , vel esset ejusdem speciei cum nostro assensu erga talem rem , vel diversa ; sed neutrum dici potest : ergo nec quod sit fidei . Prób. min. quoad 1. part. hoc est , quod non esset idem in specie : fides nostra non solum habet obscuritatem objecti materialis , sed etiam formalis ; cum non solum feratur in objectum materiale obscure propositum , verum etiam in formale obscure applicatum . Ille vero assensus in casu posito solum haberet obscuritatem objecti materialis cum evidētia objecti formalis : ergo non esset idem specificē . Quod non esset diversos , probatur ; quia cum fides infusa nitatur loquaciter testimonio divino , & hoc inquam-

quavis fide iussu sit unum in specie, hinc est, quod actus in ipsam tendens debet esse unus specificus. De hoc argumento fusius agemus disp. 5. huius agendo de unitate fidei nostræ: Et tract. de charitate, agendo de distinct. specifica actus charitatis viæ, & patræ. Pro nunc tamen breviter.

35 Respondeo ex N. Doct. in 3. dist. 31. quæst. unica, quod tales assenius differant in specie; ratio est; quia diversa applicatio objecti formalis ad potentiam sufficit, ut actus specie differant, ut patet exemplis; quia ignis magis, vel minus approximatur passo, est causa, cur producat ignem, vel solum calorem in passo. Calor per chrystillum collectas, aut transiens, causat ignem, & sine illo solum causat calorem. Unde diversa applicatio objecti formalis ad potentiam sufficit, ut actus specie differant. In casu ergo proposto de evidentiâ in attestante, & de fide nostra, foret diversa applicatio objecti formalis fidei ad intellectum; nam in illo casu divina authoritas, aut testimonium Dei applicaretur per cognitionem claram divinæ authoritatis, & revelationis; at in fide nostra applicatur per cognitionem obscuram. Unde non mirum, quod tales actus essent specie diversi.

QUÆST. II.

An obscuritas rei revelata spectet ad rationem formalem fidei?

I **O**MNES Doctores Catholicæ conspirant contra Manichæos, & Calvinistas in hoc, quod ies revelata, seu objectum materiale fidei debet esse obscurum, cum per hoc differat ab objecto scientifico. Differunt vero in hoc, quomodo haec obscuritas se habeat in objecto fidei? An ut ratio formalis integrans, & complens illud, an vero tantum ut concommitans, & ut pura conditio intrinseca, & essentialiter requisita ad actum fidei? Pro cujus brevi resolutione fit

Conclusio.

2. Obscuritas objecti materialis, seu rei revelata non pertinet ad rationem formalem fidei: sed est pura conditio essentialiter prærequisita ad ipsam. Est Doctoris in 3. dist. 31. quæst.

unica §. ad 2. Prob. 1. ex ipso; id pertinet ad rationem formalem objecti, quod essentialiter integrat rationem formalem assentiendi; sed obscuritas objecti materialis fidei non est hujusmodi: erg. &c. Mai. patet ex ipsa definitione rationis formalis objectivæ. Prob. min. obscuritas objecti materialis fidei (admissò quod sit quid positivum) potius retardat, quam conduceat ad veritatem objecti revelati: ergo non integrat rationem formalem assentiendi. Prob. antec. obscuritas, esto quid positivum sit, dicit necessario negationem claritatis veritatis objecti materialis; sed negatio claritatis veritatis objecti materialis potius retardat, quam conduceat ad percipiendam veritatem objecti revelati: ergo

3 Confirmatur, & simul preoccupatur adversariorum responsio: perfectio positiva obscuritatis *objectiva* non potest moveare intellectum ad assensum fidei, nisi concepta, ut potens fundare negationem claritatis; sed pro ut sic concepta obscuritas objecti materialis potest moveare intellectum ad assensum fidei: ergo nullo modo est ratio motiva. Mai. patet; quia nihil objectum movet intellectum, nisi ab ipso præconceptum. Prob. min. obscuritas sic concepta po-

tius obstat, quam conduceat ad manifestandam veritatem objecti revelati; cum neget claritatem fundamentalem, quæ ad hoc conduceit; quia nemo elicitus actum fidei respicit ad objectum ut potest causare negationem claritatis; sed ad ipsum, ut attestatum à prima veritate, quæ nec falli, nec fallere potest: ergo &c.

4 Confirmatur 2. id tantum potest intellectui esse ratio formalis assentiendi, quod potest esse causa veritatis objecti revelati; sed ad hanc causandam non conduceit, quod objectum sit formaliter obscurum, vel potens causare negationem formalem claritatis, sed uice, quod sit à Deo testatum; ex hoc enim præcise habet, ut non possit non esse *verum*: ergo nihil aliud præter Dei veracitatem attestantis spectat ad rationem formalem objecti fidei; cum hæc sola conduceat ad veritatem objecti revelati. Mater patet; quia proprium munus objecti formalis fidei est reddere intellectum certum de veritate objecti materialis.

5 Arguitur 1. talis obscuritas est necessario annexa cùns objecto fidei, ut tali, ita ut ab ipso separari non possit: ergo pertinet ad rationem formalem assentiendi. Respondeo, negan-

158 De obscuritate fidei: eiusque certitudine

do conseq. quia non omne quod re ipsa conjunctum est cum objecto, integrat rationem formalem assentiendi, ut patet in cognitione respectu objecti voluntatis, & in aliis. Sed solum id, quod per se objective movet intellectum ad assensum præbendum objecto revelato, & quod per se est medium persuadendi veritatem talis objecti; quod, ut dictum est, est sola divina authoritas, ut revelans; quare ex hoc quod non possit separari obscuritas ab objecto formalis fidei, ut tali, non recte inseritur, quod spectet ad ejus rationem formalem.

6 Arguitur 2. ideo obscuritas non spectat ad rationem formalem fidei, quia potius retardat, quam moveat assensum; sed hæc ratio nihil probat: ergo &c. Prob. min. licet obscuritas retardet assensum, non tamen fidem; quinimo ablata obscuritate, impossibilis redderetur assensus: ergo ratio illa non obest; ut obscuritas spectet formaliter ad rationem formalem fidei. Respondeo negando min. & distinguo antec. probationis: licet &c. non tamen retardat fidem, quatenus est conditio necessaria & indispensabiliter requisita, ut fides existat, conc. antec. quate-

nus est ratio formalis movens intellectum ad assensum fidei, negotiantur. & conseq. Explicatur hoc in *absentia* respectu actus spei. Non minus spes requirit bonum absens, quam fides verum obscurum: & sicut bonitas pro sperandis habet extra motivum formale *absentiam*; quia juxta Doct. in 3. dist. 26. quest. 1. §. prima circumstantia, secundum eamdem rationem formalem respicit objectum spes, ac tentio, & solum sub diversa conditione, scilicet, spes, ut absens, tentio, ut presens; ita ut ipsa sola bonitas sit sola ratio formalis actus spei, licet impossibilis sit sine *absentia*: sic similiter, veracitas pro credendis est unice ratio formalis, esto exigat concommitari obscuritate, taliter, quod ista ablata, sit impossibilis fides.

8 Arguitur 3. fides ex Apost ad Hœbr. 11. est argumentum non apparentium; ideoque August. trat. 40. sic fidem definit: quid est fides? credere, quod non vides; sed in his obscuritas, & inevitabilitas ponitur in definitione fidei: ergo, Resp. quod omnes haec authoritates intelliguntur de obscuritate concommitante, & per modum conditionis essentialiter requisita ad objectum materiale

fidei; sic enim salvatur, quod fides sit argumentum non apparentium; nec obstat, quod praedicta obscuritas ponatur in definitione fidei tradita ab Apostolo; nam juxta quamplures talis definitio potius est descriptio data per conditionem essentialiter requisitam, quam vera definitio; cum in ea non ponatur, quod est in fide potissimum, scilicet, authoritas Dei, tamquam formale motivum.

¶ 9 Arguitur 4. claritas, & evidenter pertinet ad rationem formalem obiecti scientiae: ergo per oppositum, obscuritas, & in-evidenter spectabit ad rationem formalem obiecti fidei; quia si-
cūt obiectum cognoscibile per rationem intrinsecam est esse es-
sentialiter clarum; sic obiectum
cognoscibile per rationem ex-
trinsecam erit motivum essentiali-
tē ad obscuram sui notitiam.
Resp. neg. conseq. & paritatem;
quia non est eadem ratio de evi-
denter, ac in-evidenter obiecti-
va; quia prima est positiva ob-
iecti perfectio, maxime condu-
cens ad manifestandam verita-
tem obiecti; ideoque potest mo-
vere intellectum ad actum eliciendū circa obiectum; obscu-
ritas vero, aut in-evidenter, ut
probatum est, minime confert
ad manifestandam veritatem ob-
iecti crediti, sed potius retardat;
Unde si requiritur ad fidem, et

tantum per modum parae condi-
tionis, ut dicitur de absentia res-
pectu actus spei.

10 Arguitur ultimo: fides es-
sentialiter distinguitur à scientia,
& aliis intellectualibus virtutib-
us infussis; sed non distingui-
tur nisi penes in-evidenter, &
obscuritatem: ergo hæc est de
eius ratione formalis. Prob. hæc
conseq. omnis distinctio, & dif-
ferentia essentialis in actibus, &
habitibus sumitur ex obiecto for-
malis: ergo cum obscuritas, & in-
evidenter sit ratio, qua fides dis-
tinguitur à scientia, & aliis in-
tellectualibus virtutibus infussis,
spectabit ad obiectum formale
fidei. Resp. 1. ex dictis in argum.
ult. quæst. antec. omissis. præ-
missis, negando conseq. & an-
tec. probationis; quia etiam di-
versus modus tendendi, aut di-
versa conditio, aut approxima-
tio est sufficiens ad diversifican-
dos specificos actus.

11 Respondeo 2. negando
min. quia actus fidei infusa distin-
guitur formaliter à quovis
alio affectu per certitudinem in-
fallibilem derivatam à divina
authoritate specificante actum;
ut ratione formalis obiectiva eius;
media tamen obscuritate obiecti
materialis, tamquam conditione
sine qua non. Per hanc certitudi-
nem distinguitur, tum à fide hu-
mana, & opinione, quæ talis
certe

certitudine carent. Tum à scien-
tia naturali ; quia certitudo
eius non est omnino infalibilis,
sed solum in gradu certitudinis
naturalis ; certitudo vero fidei
divina est in omni genere infal-
libilis ; cum sit participatio cer-
titudinis divinae scientiae. Tum
denique , distinguitur à visione
beata ; quia licet in utraque ea-
dem prima veritas moveat in-
tellectum ad assensum, in illa mo-
vet *facialiter*, & *intuitive*; in nos-
tra vero fide movet , prout stat
sub obscuritate , & inevidetia
sui obiecti materialis.

& fide actuali ; an possint esse si-
mul respectu ejusdem objecti ?
Tertio; de fide , & scientia ac-
tuali ; an , scilicet , actus fidei , &
actus scientiae possint esse simul
respectu ejusdem objecti ? Et
nota , quod hic scientiam sum-
mimus prout definitur à Phi-
los. 1. Post. scilicet , quod sit
cognitio certa , & necessaria , &
per causam evidentem in intel-
lectu. Nota etiam , quod con-
sulto dicimus de *eodem objecto* ,
quod debet intelligi de eadem
formali veritate ; & non per ean-
dem rationem , seu per idem me-
dium ; nam hoc est omnino im-
possibile ; quia scientia fit per
medium demonstrativum ; actus
vero fidei per medium obscurum
& inevidens. Solum ergo est dif-
ficultas , an scientia actualis ,
& fides actualis possit esse per di-
versa media , diversosque actus
respectu ejusdem objecti forma-
lis ; ita ut illa eadem veritas for-
malis , qua attingitur per unum ,
possit etiam attingi per alium ?

2 Circa quam difficultatem
triplex versatur sententia : Pri-
ma docet , hoc esse impossibile ,
non solum de scientia , & fide
actuali , sed etiam de habituali
comparata cum alio actu , sive
habitu opposito. Hæc docetur à
pluribus Thomistis. Secunda do-
cet , scientiam tam actualem ,
quam habitualem esse compo-

Quæstio Tertia.

*An fides , & scientia
possint esse simul de eo-
dem objecto?*

1 **I**N triplici sensu mo-
vetur præsens quæsti-
o. Primo : de fide habituali
comparative ad scientiam habi-
tualēm : an scilicet , tales habi-
tus possint simul esse in eodem
intellectu ? Secundo : de fide
habituali , & scientia actuali ,
& etiam de scientia habituali ,

sibilem in eodem intellectu, respectu eiusdem objecti per diversa media cum fide actuali, & habituali, & hoc, necdum supernaturaliter, sed etiam naturaliter. Sic communiter R. R. Tertia, quæ est quasi media, sustinet fidem habitualem esse naturaliter compossibilem, sive cum habitu scientiæ, sive cum actu respectu eiusdem objecti: fidem vero, & scientiam actuales esse omnino incompossibiles adhuc supernaturaliter. Hæc est communis inter Scotistas cum Doct. in 3. dist. 24. difficultatem per duplēm conclusionem refolvam. Sit ergo

pernæ, qua hoc credidissent, si non vidissent: ergo. Probat. min.: actus scientiæ, qui clarus est, solum opponitur actui fidei, qui obscurus est: ergo non opponitur habitui fidei, qui ex se, nec obscurus, nec clarus est: cum in nostris principijs non sit formaliter vitalis.

4 Prob. 2. concusio ratione: ideo habitus fidei, & scientiæ essent incompossibiles; quia sunt principia actuum oppositorum; sed hac ratio nulla est: ergo &c. Prob. min.: non repugnat simultas potestatis ad opposita in eodem principio: ergo nec in diversis. Antecipatet in intellectu, & voluntate habentibus simul potestatem ad eliciendum assentum, aut dissensum, amorem, aut odium circa idem. Prob. conseq.: ideo non repugnat talis simultas potestatis in eodem principio: quia ex hoc non sequitur simultas actuum oppositorum, sed solum, quod elicto actu amoris maneat potestas ad odiorum, non in sensu composite, sed diviso; sed ex quo ponantur simul habitus fidei, & scientiæ, non sequitur simultas actuum, sed solum simultas principiorum ad actus oppositos: ergo &c.

5 Confirmatur hoc: ponatur Philosophus Gétilis habens scientiam tam actualem, quam

habitualem de existentia Dei; baptizetur; in Baptismo infunditur ei fides insuffi; sed ejus scientia per baptismum non destruitur; alias maneret ignorans, quod non est dicendum: ergo &c. Hoc idem patet in Fideli, acquirente huiusmodi scientiam, per quam non destruitur ejus fides; haec enim per infidelitatem solum, destrui potest: ergo &c. Urgetur quando grave moretur *sursus* est actus secundus oppositus gravitati, simul cum ipsa gravitate; sed haec inclinat per se ad actum oppositum motui *sursus*, scilicet, *ad esse deorsum*: ergo non repugnat, principium per se determinan ad unum actum existere simul cum actu opposito: ergo habitus fidei, &c.

6 Dices primò: ex nostra copelatione sequuntur plura absurdia: ergo nosa est tenenda. Prob. antec.: sequitur primò, quod habitus temperantiae circa eamdem materiam possint esse simul. Secundo, quod habitus fidei possit esse simul cum lumine gloriae, immo cum visione beatifica, que est actus ei oppositus. Tertio, habitus fidei poterit esse cum peccato heresie; nam est actus oppositus solum habitui, quod est heresie; sed omnia sunt falsa, & inconvenientia, ergo &c. Ref-

pondeo, negando antec. Ad primam probat dico, quod habitus temperantiae, & intemperantiae circa eamdem materiam possunt esse simul in gradibus remissis, sicut duæ qualitates contrarie; nam habitus generantur paulatim ex actibus, & sic paulatim per contrarios actus destruuntur; ita ut unus totaliter non destruatur quounque aliud totaliter producatur. Nec paritas est ad rem; quia licet habitus scientificus ex actibus generetur, non tamen habitus fidei; consequenterque ex positione unius non sequitur necessario destructio alterius.

7 Ad 2. probationem dico, quod tam habitus luminis gloriae, quam visio Dei sunt compatibiles cum habitu fidei saltem de potentia Dei absoluta, quod satis constat ex Doct. in 3. dist. 31. ubi concedit, quod in Div. Paulo fuit simul habitus fidei cum actu visionis Dei (prescindendo pronuncian fuerit beatifica, necne?) Et consequenter cum lumine gloriae. Unde non est absoluta incompatibilitas inter ista; licet de facto in Patria non sit habitus fidei ex cap. superfluitatis. De hoc disp. 6. huius, dum de subiecto fidei agamus. Ad tertiam sequazam, nego antec.; quia licet

et habitus fidei, & peccatum
heresis non opponantur physicè,
opponuntur tamen moraliter, si-
cū gratia habitualis, & pecca-
tum actuale; unde sicut de fac-
to gratia, & peccatum non pos-
sunt esse simul, bene vero de
potentia absoluta; sic nec ha-
bitus, fidei cum peccato
heresis.

Dices 2.: albedo,
& nigredo sunt incompatibilis
in eodem subiecto naturaliter;
quia natæ sunt causare actus
incompatibilis, scilicet, d̄-
gregare, & congregare visum;
sed etiam habitus fidei, & sci-
entia: ergo &c. In primis maior
continet suppositum; quia albe-
do, & nigredo possunt simul
esse in gradibus remissis; sed
Respondeo, omissa mai. & min.
negando conseq.; quia ideo al-
bedo, & nigredo non possent
esse simul; quia una non posset
applicare ad suum effectum, quin
altera applicetur; cum non sit
maior ratio pro una, quia pro
altera: & sic simul producerent
effectus formaliter incompossi-
biles. Hæc ratio non militat in
habitibus; quia posset unus apli-
care ad suum actum, quin appli-
etur alter: v. g. habitus fidei, si
objectum proponatur, ut re-
velatum, non vero ut connexum
cum medio scientifico; aut
e contra.

Dices 3. & potest
esse replica:stante habitu sci-
entiae de aliquo objecto, non est
possibilis actus fidei de eodem
objecto: ergo superfluit ille ha-
bitus. Prob. ansi: stante iam ha-
bitu, possunt antecedenter ad
eliciendam actus fidei excitari
species illius habitus; sed cum
hic excitatione specierum redi-
ditur impossibilis actus fidei, &
scientiae simul de eodem objecto
in eodem intellectu: ergo &c.
Respondeo negando antec., &
concessis præmissis, nego con-
seq.; quia esto in casu posito
nequeat elici actus fidei; ex
hoc non probatur incompatibili-
tas ipsius cum habitu scientifico
pro casu, quo species istius
non excitarentur; si vero exci-
tentur, habitus scientiae exiet
in actum, & fides solum manebit
in habitu, quod non
repugnat.

Secunda conclusio.

10 Fides actualis, &
scientia actualis de eodem ob-
jecto formalis, nec de potentia Dei
absoluta possunt esse simul. Est
Doct. cit., & Thomistam Prog.
I. ex Sac. Script. Nam Ap. 1. ad
Hæbr. 11. dicunt: fidem esse spe-
randarum sustentiam rerum;
argumentum non apparen-
tium,

164 De obscuritate fidei : eiusque certitudine.

tiām. Super quem locum , Div. Greg. Div.homil.26.in Evangel. ait: unde liquido constat , fidem earum rerum argumentum esse , quæ apparere non possunt ; quæ enim apparent , iam fidem non habent , sed agnitionem . Div. Dionysius cap. 1. de de mystica theologia , ait: non nisi per sacra caliginis tenebras , humanae mentes , nec possunt nec debent divina contempnare mysteria ; nota ly nec possunt. Hoc idem teant alij S. S. P.P. super illa verba Joannis 20. ; quia vidisti me Thoma , credidisti.

11 Respondent contrarij , Scripturam , & P. P. intellegendos esse in sensu formaliter & non concomitante , ita ut quod objectum creditum per fidem non posset esse visum per fidem ; non vero negant , quod posset esse visum per aliud medium , scilicet , demonstrativum , seu scientificum . sed contra 1. : quia hoc dicere est quid ridiculum ; nam quis posset dicere , quod aliquis posset credere per actum visionis , aut videre clare per actum fidei ? Nullus sane . Contra 2. ; nam si P. P. loquerentur in sensu formaliter , non recurret ad diversa objecta pro salvando illo dicto Christi Dñi.: quia vidisti me Thoma , credidisti , dicendo ; aliud vidit , & aliud credidit ; Vidi hominem , &

Deum confessus est ; nam dicent , quod idem objectum formale fuit visum à Sto. Thoma per visionem , & creditum per fidem ; nam recurrerent ad sensum formalem ; quod non faciunt . Confirmatur etiam ex illo Apostl. 1. ad Corinth. cap. 13. : cum venerit , quod perfectum est evanabitur , quod ex parte est . Fatoe , has authoritates urgente maxime Recentiores asserentes scientiam actualē , & fidem actualē posse esse simul naturaliter . Quare , quod nec supernaturaliter possint esse simul specialiter .

12 Prob. 2. à ratione : quaecunque involvunt contradictionem , nec de potentia Dei absoluta possunt esse simul ; sed fidem , & scientiam actualē esse simul in eodem subjecto de eodem objecto formaliter involvit contradictionem : ergo . Prob. min. : implicat , quod idem objectum , & sub eadem ratione formaliter objectiva sit simul obscurum , & clarum evidenter , & invidenter cognitum ; & similiter eundem intellectum esse simul clarum , & obscurum erga suum assensum ; sed hoc sequeretur , si fides , & scientia actualis possint esse simul respectu ejusdem ; cum fides essentialiter sit obscura , & inevidens , scientia vero evidens , & clara : ergo &c.

13 Respondet aliqui , hoc

hoc implicate, si hoc esset per idem medium; quia contradic-
tio debet esse *eiusdem de eodem*,
& secundum idem; hic autem
licet idem objectum; imo &
subjectum, esset simul clarum, &
obscuum; cum tamen esset per
diversa media, scilicet per fidem,
& scientiam, ideo tollitur om-
nis contradictionis. Sed contra 1.:
hoc non sufficit ad evitandam
contradictionem: ergo ruit so-
lutio Prob. antec. 1: si hoc esset
certum, idem objectum posset
esset esse simul illuminatum, &
non illuminatum; quia hoc non
esset per easdem causas; cum
esset illuminatum per lucem, &
non illuminatum per tenebras;
& lux, & tenebrae non sunt idem:
ergo &c. Contra 2.: repugnat
elle in eodem intellectu simul
assensum, & dissensum; in ea-
dem voluntate, amore, & odium
erga idem, non obstante, quod
hoc esset per diversos actus; er-
go quia qualibet diversitas in
caulis non sufficit ad evitandam
contradictionem.

14. Respondent alij,
obscuritatem fidei non compa-
rari ad claritatem scientiarum, sicut
tenebrae ad lucem: vel sicut
privatio ad formam; sed sicut
lux parva ad lucem magnam;
quod constat ex Epist. 2. Petri,
ubi de fide ait: *cui bene fac-
tis attendentes, tamquam lucernae*

*ardenti in caliginoso loco. Ubi fi-
des comparatur lucernae. Sieut
ergo non opponuntur lux
magna, & lux parva, nisi pe-
nes perfectum, vel imperfectum,
seu penes maiorem, vel mino-
rem claritatem, sic fides, &
scientia; consequenterque, sicut
lux magna, & parva possunt es-
se in eodem loco, & causare in-
tensiorem claritatem, ita pos-
sunt compati fides, & scientia
actualis. Deinde, negant repug-
nantiam etiam ex parte subjecti;
quia subjectum immediatum obs-
curitatis, vel claritatis sunt actus
& non intellectus; conseguen-
terque non repugnat, unum ac-
tem esse clarum, & alium obs-
carum.*

15. Sed contra 1. contra pri-
mum modum dicendi: dato, &
non concesso, quod obscuritas
fidei, & claritas scientiarum se ha-
beant sicut lux magna, & lux
parva, adhuc non possent esse
simul actualiter; ergo ruit so-
lutio. Prob. antec. licet simul
existant sol, luna, & stellae, non
tamen simul illuminant idem
emispharium: ergo licet simul
possint esse fides habitualis, &
scientia habitualis, quae sunt
causa fidei, & scientiae actualis,
non tamen simul possunt illumi-
nare simul actualiter idem ob-
jectum, aut subjectum. Contra
2. quae ex diametro distinguun-

166 De obscuritate fidei : eiusque certitudine.

tur, opponuntur plus, quam penes magis, & minus; sed fides, & scientia actualis ex diametro distinguuntur; siquidem una necessario est clara, alia necessario obscura, non solum comparative, sed etiam absolute: ergo opponuntur plus quam penes magis, & minus.

16 Contra 3. non minus opponuntur certitudo, & incertitudo possessa respectu ejusdem subiecti, quam evidentia, & in evidentia respectu eisdem obiecti; sed repugnat simul certitudo, & incertitudo in eodem intellectu respectu eisdem subiecti, sicut scientia, & opinio: ergo &c. Probatur mai. nam si certitudo, & incertitudo sunt differentiae specificæ scientiarum, & opinionis; ita evidentia, & invidentia respectu fidei, & scientiarum: ergo non minus opponuntur, quam certitudo, & incertitudo: ergo opponuntur magis, quam lux parva, & lux magna; & consequenter paritas responsionis non tenet,

17 Contra tandem contra 2. responsionem, scilicet, quod non repugnat adhuc ex parte subiecti; quia tunc possent simul verificari in eodem intellectu assensus scientificus, & erroneous: assensus, & dissensus erga idem obiectum formale; bonitas, & malitia moralis in eadem

voluntate erga idem obiectum; sed hoc nequit dici: ergo. Proseguenda maioris: veritas, & falsitas non sunt immediate in intellectu tamquam in subiecto proprio, sed in ipsis actibus; nam illos primo, & per se denominant tales, & intellectus solum est subiectum commune causativum, & receptivum illorum: similiter bonitas, & malitia moralis primo, & per se sunt in ipsis actibus, v.g amore, & odio: ergo si quia subiectum in mediatum obscuritatis, vel claritatis sunt actus, & non intellectus, non repugnat ex parte subiecti actus scientie & fidei; nec repugnabit assensus scientificus, & erroneous in intellectu: bonitas, & malitia, in voluntate erga idem obiectum formale; quod non concedit Contrarii.

18 Prob. ultimò conclusio: experientia constat, nos non moveri propter auctoritatem dicentis, quantumcumque vera sit eius testimonium, ad assentendum alicui propositioni, quando adest motivum efficacia, quam sit testimonium; sed qui assentitur alicui conclusioni evidenti habet motivum efficacius movens intellectum, quam per ipsam fidem, quam omnem dubitatem physicam non excludit sed relinquit intellectum indifferenter ad assensum, vel dissensum

sum : ergo, quia obscuritas fidei nequit movere in conspectu evidenter conclusionis. Min. constat ; quia hac ratione assensus fidei est meritorius. Maior prob. 1. ex script. nam Samaritani, qui crediderunt Christo propter verba Samaritanæ, postea, quando viderunt, & audierunt ipsum, jam, propter illam non credebant ; sed dixerunt : Joann. 4. quia jam non propter tuam loquaciam credimus : ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est vere Salvator mundi.

19. Prob. 2. eadem mai. experientia ; nam quamvis aliquis valde verax mihi dicat, diem esse : & ignem esse calidum ; si ego hoc experiar, non moveor ad assensum talium veritatum propter dictum illius ; sed hoc non alia ratione, nisi quia evidenter fortius me movet, quam dictum cuiuscumque quantumvis veracis : ergo &c. Confirmatur hoc ex Doct. in 3. dist. 24. aiente : quod si quis habet duplex medium, unum demonstrativum, & alterum dialecticum, seu probabilem circa eamdem veritatem, nil faciet dialecticum impeditum à demonstrativo : ergo sic in prælenti : si in intellectu respectu eiusdem obiecti est medium scientificum ex evidencia, & medium obscurum ex fide, hoc non movebit in conspectu illius,

ul potest ab ipso impeditum ; & consequenter, &c.

Solvuntur argumenta.

20. Arguitur 1. cum evidenter scientia compatibilis est actus fidei de eodem obiecto : ergo &c. Prob. antec. 1. ex illo ad Heb. i. 1. accendentem ad Deum opportet credere, quia est ; sed Deum esse scitur evidenter scientia naturali : ergo &c. 2. Sanctissima Virgo Maria scivit experientia suam perpetuam Virginitatem, & non concepisse vitale viri, & ex se natum esse Christum Dominum. 3. ipsa, & Apostoli viderunt Christum patientem, morientem, & resurgentem, ut testatur Joann. epist. 1. cap. 1. sed haec omnia fide divina crediderunt ; nam absurdum est relegare fidem à fundamentis Ecclesiz, & maxime de precipuis mysteriis nostræ fidei : ergo &c. Confirmatur : ex opposita sententia sequitur, deterioris conditionis esse doctum prærufico ; nam hic exercet actus fidei supernaturales, & meritorios : doctus vero solum haberet actus naturales, & sine merito. Hoc est præcipuum fundamentum contrariorum.

21 Respondeo 1. distinguendo 1. antec. cum evidētia *imperfecta*, & quā aliquam admittit formidinem, compatibilis est actus fidei de cedem obiecto conc. antec. cum evidētia *perfecta scientiæ*, nego entec. & conseq. Dup. igitur est scientiæ una simpliciter talis undequaque clara, & evidens; altera vero secundum quid talis, & imperfecta, admittens formidinem aliquam; quia cum ipsa non tam perfecte percipitur vis medii demonstrativi, nec affequitur evidētiā rei, quam perfecta scientia requirit: & cum hac scientia, ut pote exposita deceptioni, compatibilis est actus fidei propter quem habemus fieriorem propheticum sermonem à Deo, qui nec fallit, nec fallere potest.

22 Quare esto existētia Dei scientia naturalis convincatur non propter hoc superfluit præceptum fidei, quo jubemur credere, Deum esse. Ratio; quia discursus naturalis, quo natura liter probatur existētia Dei, scilicet; hic procedit ab alio, aliud ab alio, &c. sed non datur processus in infinitum: ergo deve niendum est ad unum, qui sit causa causarum, & à nullo producatur, & hic est Deus; discursus ergo iste non adeò evi dens est, ut fidem totaliter eva-

cuet. Hac ratione Doct. in 1. dist. 2. quest. 2. §. ad illi, docet in Scriptura proponi fidei credenda, quæ possunt naturaliter sciti; nam utile est commun itati; ut tradantur per viam authoritatis; primo propter negligētiam communitatis in inqui renda virtute. Secundo, propter impotentiam intellectus, & propter errores inquirentium per demon strationem, qui veritatis suis multa falsa petinissent, ut dicit Div. Aug. 18. de Civit. Dei cap. 41. Unde cum simplices sequentes tales demonstrationes possent debitare, cui esset assentiendum; ideo tuta, facilis, & comunitatis via est, ambulare per fidem, aut authoritatem, quæ non potest fallere, nec falli. Ex hac ergo doctrina.

23 Respondeo, distinguendo minorem primæ probationis antecedens; sed hoc scitur scientia *imperfecta*, conc. min. scientia *perfecta*, & *completa*, nego min. & conseq. Ad 2. probat. respondeo cum Seraphico Doct. in 3. dist. 24. art. 2. quest. 1. quod quamvis Beat. Virgo certitudinali experientia sciverit, se concepisse hominem, sine virto se mansisse Virginem; tamen se concepisse personam Verbi, novit mediante fidei; & sic aliud vidit, & aliud creditit. Hoc eodem modo respondendum est ad quam

tertium; nam tam Beat. Virgo, quam Apostoli semper habuerunt fidem actualē de istis propositionibus: *Hic homo mortuus est, hic homo fuit crucifixus, &c.* si illud pronomēn *bis* designat suppositum divinū sustentans naturam humanā; si vero illud pronomēn determinet tantum naturam humanā singularem, tunc habuerunt visionem, & scientiam experimentalem de vita, & morte Christi Domini. Unde prout illud *bis* denotat suppositum divinū, aliud videbat, scilicet, hominem illum singularem vivere & mori; & aliud creditabant, scilicet, illum hominem esse Deum.

24. Respondeo 2. ad min. de ductam ex 2. & 3. probationē, ipsam negando cum Doct. cit. §. ad 2. *principale*; nam ait quod tenendo omnium articulorum unam esse fidem, potest dici, quod habuerunt fidem actualē de aliis articulis: & de mysteriis visis, nec Domina nostra, nec Apostoli habuerunt fidem actualē (propriet incompatibilitatem cum visione); sed habitualem, & animum præparatum, quo illa mysteria credidissent, si non vidissent. Nec ob hoc relegatur ab ipsis meritum fidei erga illa mysteria; tum, quia meruerunt per illam animi præparationem ad credendum; tum, quia aliunde

compensabant meritum fidei erga illa mysteria, scilicet, ferventissimis actibus charitatis, ad quos ob visionem illorum accedebantur.

25. Respondeo ad cor firmatio ē, neg. sequēlam; quia ut ait Doct. Seraph. cit. q. 3. licet aliquis possit rationib⁹ necessariis probare, *Deum esse & esse unum*; tamen cernere eum divinum esse, & ipsam Dei unitatem, & qualiter illa unitas Personarum unitatem non excludat, non potest, nisi emendetur per justitiam fidei. Unde illuminatio, & certitudo talis scientiæ non est tantata, quod cum illa sit superflua illuminatio fidei; immo illa habita est valde necessaria illuminatio fidei; quia licet Philosophi aliqua sciverint naturaliter de Deo, in multis erraverunt, & defecerunt, & consequenter scientia illa est imperfecta, & contingens admittens formidinem; & sic non ita evidenter procedit, ut fidem strictam evacuet.

26. Respondeo 2. dist. 1. antec. argumenti: cum evidēntia scientiæ habita per species alienas, & communes compatibilis est actus fidei, conc. antec. habita per species proprias, nego antec. & conseq.: de hac enim scientia tantum loquimur in præsenti, non vero de scientia **X.**

tia habita per species alienas. De hac solutione reddibit sermo in fine quæst., & per ipsā optime explicatur probationes antecedentis.

27 Arguitur 2. ex illo

Christi Dñi. Joannis 22. ; *quia vidisti me Thoma, credidisti;* ubi Christus supponit, posse esse simul fidem cum visione : ergo &c. Nec responderi valet, quod Thomas aliud vidit, & aliud creditit; primo, quia Dñus non est locutus æquivocè : sed de eodem, de quo dicit: *quia vidisti,* ait etiam *credidisti.* Secundo; quia si quod non vidit, credit, non habuit minus meritum, quam alij, quod nō componitur cu textu; *beati qui non viderunt &c.* Tandem, quia Div. Thomas ibi non creditit quidquid erat de divinitate, sed tantum de Resurrectione, quam evidenter viderat. Respondeo, valete et reponitionem Div. Gregorij, & aliorum P. P. Ad 1. impugnationem dico, Christum non esse æquivocè locutum, sed cum magno mysterio ; ita ut sensus sit; *quia vidisti me à mortuis suscitatum, credidisti me esse Deum;* Ad 2. nego sequalam; quia plus meriti haberunt, qui ipsi crediderunt Deum, etiam si non viderunt in carne à mortuis suscitatu, quam Div. Thomas, qui cum creditit Deum, quia vidit suscitatum. Ad ultimam, nego suppositum; quia

Div. Thomas credidit Deum, dum dixit: *Dominus meus, & Deus meus;* dubitabat de Resurrectione, & consequenter de Christi Divinitate.

28 Arguitur 3. ex Apost. 2. ad Chorint. cap. cap. 12. dona fidei, & sp̄i sunt promissa fidelibus: ergo quia simul compatiuntur hæc dona Respondeo negando conseq.; quia donum scientiae promissum fidelibus non est scientia metaphysicalis, juxta sententiam Apolitoli; sed notitia, & intelligentia divinarum scripturarum, qua fides nostra gignitur. De prima loquimur in præsenti, non vero de secunda.

29 Arguitur 4. : fides non opponitur evidentiæ; ergo &c. Probatur antec. : fides dat evidentiam, & coadjuvat scientiam: ergo &c. Probatur antec.: longè certius est, Deum non posse fallere, nec falli, quam quod homo cum medio geometrico non posset fallere, nec falli; sed homo sapiens cum medio geometrico acquirit certissimam scientiam, & evidentiæ, ita ut non possit fallere, nec falli: ergo & fides dare potest evidentiam scientiæ. Respondeo negando antec. ; & disting. ant. probationis: fides dat evidentiam moralem ex signis prudentis credibilitatis, concretae; evidentiam physiam vel

metaphysicam, neg. antec. & conseq.

30 Ad probationem, nego conseq. & paritatem; quia ut ait Doct. in 3. dist. 24. cognitione per objectum *in se* dat evidentiam, & ideo habetur scientia in mathematicis per medium geometricum. Attestatio vero extrinseca de veritate objecti non dat evidentiam de *vero in se*, sed de *vero* juxta auctoritatem dicentis: *sic esse*; sed tantum facit objectum credibile: & si attestatio est evidens, facit evidenter credibile objectum, non vero evidens *in se*. Vide dicta quest. 1. huius.

31 Arguitur 5.: eodem modo contrariatur duæ qualitates contrariae in summo, ac actus evidens scientiarum, & actus obscurus fidei; sed illi non repugnant in eodem subjecto: ergo nec isti. Respondeo 1.: in satis probabili opinione Scotistarum negando min.: sed ipsa ad missa pro nunc, nego mai. & est secunda responsio; quia qualitates contrariae in summo solum pugnant in eodem subjecto ex generali ratione contrarietatis, quæ de potentia absoluta superari valet. Actus vero scientiarum, & fidei de eodem objecto pugnant ex speciali ratione eorum ob contradictionem, quam includunt ex parte ob-

jectorum; cum objectum fidei essentialiter exigat (aut ut conditionem *sine qua non*) obscuritatem, quam tolit actus scientiarum.

32 Arguitur 6.: ideo repugnat coexistentia actus scientiarum, & fidei in eodem intellectu de eodem objecto; quia verificantur contradictionia, scilicet, evidentia, & inevidentia; sed tunc casus hæc non essent contradictionia: ergo &c. Prob. min.: tunc casus evidentia, & inevidentia essent in diversis subjectis, scilicet, in actu scientiarum, & in actu fidei: ergo &c. Respond. neg. min., & antec. probationis; quia tunc casus contradictionis non esset in quolibet actu, sed intellectu habente simul duplum actum contrarium, qui ex suis rationibus formalibus inducerent contradictionem in subjecto, ut constat ex probationibus conclusionis.

33 Arguitur 7.: non repugnat, eandem veritatem probari duplice medio, uno scientifico, & alio probabili: ergo &c. Prob. conseq.: sicut actus scientiarum est evidens, & actus fidei inevidens, sic ratio scientifica est evidens, & ratio probabilis est inevidens: ergo si hoc non obstante possunt esse in

in eodem intellectu respectu ejusdem objecti, sic pariter, actus scientiae, & fidei. Respondeo, dist. ant. : non repugnat, eandem veritatem probari dupli medio &c. *divisim*, & pro diverso instanti, conc. antec.: *simul*, & in eodem instanti, nego antec. & conseq. cum supposito consequentia probationis juxta Doct. in 3. dist. 24. §. *contra hoc*, equè contraponuntur simul in eodem instanti, & in eodem intellectu respectu ejusdem objecti actus scientificus cum actu probabili, ac actus evidens scientiae cum actu inevidenti, & obscuro fidei, & sic argumentum non urget.

34 Arguitur ultimo: non repugnat in eodem intellectu cognitio intuitiva, & abstractiva Dei per proprias ipsius species: ergo nec repugnabit cognitio scientifica, & abstractiva ejusdem objecti in eodem intellectu. Antec. est nostri Doctoris varijs in locis; nam in 2. dist. 3. q. 10. admittit, Deum cognosci ab Angelis per visionem beatam intuitivam, & etiam abstractive per speciem impressam ipsius Dei; hoc & docet anima Christi, immò & de Beatis, in quibus est cognitio matutina, sicut in verbo, & vespertina per proprias species rerum. Prob. conseq.: sciētia

intuitiva respicit objētū ut existens in se, sive in alio eminētiori: abstractiva vero solum prout relucet in specie propria; sed terminari ad objectum in se, & non in se, sed in sua specie, dicunt repugnantiam, sicut videre illud clare, vel obscure: ergo &c. Confirmatur: sicut fides est de objecto non apparenti, ita notitia abstractiva est de objecto non præsentis; sed tamen compatitur cum eo, quod objectum sit prælens per visionem intuitivam: ergo etiam fides potest compati cum eo, quod objectum sit visum per scientiam.

35 Hoc argumentum non solum probat de possibili, sed etiam de facto; quod quidem est contra communem sententiam Theologorum. Respondeo ergo concei. antec., negando conseq.; nam scientia intuitiva, & abstractiva solum differunt penes magis, & minus, in quantum, scilicet, intuitiva est magis clara, quam abstractiva: & clarum non habet veram oppositionem cum magis claro; ceterum fides est essentialiter obscura, & scientia essentialiter clara, & sic opponuntur rigorosè sub his rationibus. Deinde utraque cognitio tendit in idem objectum, & motivum assentendi idem est, licet diverso modo

De obscuritate fidei : eiusque certitudine 173

do applicatum potentia; nam in intuitiva movet objectum in se ipso immediate praesens potentia in propria existentia; in cognitione vero abstractiva movet idem objectum in specie ejus impressa relucens, &c sic neutra ex his cognitionibus aliam excludit; non tamen evenit in cognitione per fidem, & visione per scientiam, ut perspeximus.

36 Ad confirmationem respondeo distinguendo maiorem: sicut fides est de objecto non apparenti, ita & eodem modo, cognitio abstractiva &c. nego mai. ita & diverso modo, conc. mai., & minorem, & nego conseq. Licet scientia intuitiva respiciat objectum, ut praesens, & existens est; & abstractiva terminetur ad illud, ut praeindicit ab existentia, & relucet in propria specie; non tamen terminatur ad illud per media rigurose opposita; nam existentia objecti, & species ipsius, quæ sunt media, per quæ tendit in illud utraque cognitio, non habent rigurosam oppositionem; ideoque sunt componibiles in eodem intellectu respectu ejusdem objecti. At fides, & scientia habent rigurosam oppositionem in ratione claritatis, & obscuritatis, ut dictum est.

37 Replicabis: cogitatio abstractiva est vere scientifica; sed hoc obstat, est compatibilis cum actu fidei, seu cum fide actuali in communiori opinione Theologorum: ergo scientia actualis, & fides actualis possunt esse simul. Ratione huius replicæ

38 Dubitabis: an habitus fidei, & scientia abstractivæ possint esse simul respectu ejusdem objecti? Pro resolutione nota, quod notitia abstractiva de aliquo objecto potest haberi vel per species proprias ipsius, vel per alienas. Species propria dicitur illa, quæ est virtualis representatio objecti, sicut revera est in se, sicut species, quam modo habeo de paritate, aut similibus objectis. Species vero aliena est illa, quæ virtualiter representat objectum alio modo, ac revera est in se, v. g. species, quam nunc habemus de Deo, Angelo, aut anima rationali, quos pro hoc statu conjunctionis solum cognoscimus ad modum rerum materialium. Hoc notato.

39 Dico primo, quod actus fidei, & scientia abstractiva de aliquo objecto per speciem propriam ipsius, nequeunt simul compati adhuc divinitus in eodem intellectu. Hoc probatur eisdem rationibus, ac praæ-

cedens conclusio. Prob. breviter: quamvis cognitio habita de aliqua conclusione per medium scientificum sit abstractiva, ut quod homo sit *risibilis*, quia est *animal rationale*, tamen evidentia ejus causata per tale medium tanta est, ut non sit locus medio fidei ad eamdem credendam firmius; quia cum talis assensus scientificus, licet abstractivus, procedat per medium intrinsecum, necessarium, & evidens, attingit necessariam connexionem prædicti cum subiecto: & noscit, omnino impossibile esse, quod res aliter se habeat: ergo tollit ab intellectu omnem incertitudinem, & obscuritatem; & consequenter non relinquit locum actui fidei.

40 Dico 2.: actus fidei potest esse simul cum actu scientie abstractivæ per alienas species. Est Doct. in 3. dists 24. §. ad questionem, ubi ait: & isto modo fides infusa, & scientia de revelatis sunt simul; quia sic non accipitur propria scientia. Prob. ratione: quod cognoscitur per alienas species, quanvis aliquando demonstretur, non tamen cognoscitur clare, ut revera est in te; immo propria entitas manet obscura sicut antea; sed assensi fidei solum opponitur claritas: ergo &c. Prob. mai.:

si tale objectum non maneret obscurum, pro hoc objecto cognosceremus clare Trinitatem, Deitatem, & omnes substantias spirituales creatas, creatas, quod est absolute falso: ergo &c. Per hanc doctrinam, & distinctionem cognitionum abstractivarum clare resolvitur, & respondetur ad replicam suprafactam distinguendo ejus maiorem, & negando conseq.

QUÆST. IV.

An assensus fidei sit perfectior, & certior assensi scientiarum naturalium?

Lato, subtilique calamo discussa est hæc difficultas tom. I. cursus huius Almæ Provinciæ, disputat. I. quæst. 6. Quare merito ab ea supersedeo, ad eamque remitto Lectorem, ne tempus breve nobis creditum defluat inane; cum revera valde instet pro alijs difficultibus huius materiæ discutiendis. Sit ergo.

DISP. V.

DE CREDIBILITATE, ET VERITATE MYS- teriorum nostræ fidei.

Explicatis his, quæ ad objectum tam formale, quam materiale fidei attinent, & ad ejus infallibilitatem, obscuritatem, & certitudinem spectant; gradum faciunt Theologi ad stabiliendam credibilitatem mysteriorum nostræ fidei, in quo sane non parum laborant; quare & nos partem laboris suscipientes claritate, & brevitate possibili hoc opus exequemur. Sit ergo.

Quæstio Prima.

Proponuntur signa pruden-
tis credibilitatis myste-
riorum nostræ fidei.

Noster Subt. Doct. quæst. 2. Prologi decem vias assignat ad Hereticos convincendos pro veritate nostræ religionis Catholicæ. Nos duodecim assignabimus, de quibusque sigillatim agemus. Quæste sit

Primum Signum: Prae- nuntiatio Prophetica:

Hoc est primum signum, quo utitur Subt. Doct. ad ostenden-
dam credibilitatem, & verita-
tem nostræ fidei, & non aliam.
Ratio ipsius est; quia solus Deus
est, qui omnino infallibiliter
potest prædicere futura, quæ
solum pendunt ex ejus libera
voluntate, aut ex nostro libero
arbitrio: & si quis alias præ-
dictit, hoc non facit nisi pec-
cipiat

spiritum proprium ipsius Dei, juxta illud Itaię 42. : *dicite nobis, quae ventura sunt, & sciemus, quoniam Dij estis.* Nunc sic ; sed multa talia prænuntiata in scriptura impleta sunt, ut patet in considerante libros Prophetales : ergo quia prænuntiatio propheticā de mysterijs nostræ fidei facit ea valde credibilia; hoc signo utuntur etiam frē omnes S.S. P.P. Videatur Iuper hoc, aliaque sequentia signa, Noster Atbiol hic disp. 5. art. 1.

Secundum Signum est: Scripturarum concordia:

2 In his enim, quæ ex terminis non apparent, immo sunt supra omnem naturalem captum concordare firmiter, & infallibiliter, abs dubio arguit, quod hoc à spiritu divino provenit; sed Scriptores Canonici varijs locis, & temporibus existentes omnino consonabant in scribendis, & prophetandis mysterijs nostrę fidei: ergo &c. Maior suaderi potest in his, quæ evenerunt tum in Philosophis Gentilibus in suis dogmatibus, & in tanta varietate hæreticorum ad suas sectas suadendas, de quibus dici valet: *quot capita, tot sententiae.* Min. discursus

patet; tum in Jeremias prophetante in Iudea, quando Ezechiel in Babilonia. Tum in Sacris Evangelistis varijs in locis Evangelia scribentibus. Tum tandem in Septuaginta duo Interpretibus: ergo quia hæc concordia scripturarum erga mysteria nostra fidei fuit à Spiritu Santo, & consequenter facit talia mysteria valde credibilia.

Tertium Signum: au- thoritas scribentium:

3 Libri Canonici scripti sunt à viris sanctissimis, scilicet, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & Evangelistis; sed de istis n. f. s. est, suplicare aliquod mendacium; cum illud damnent & acriter reprehendant in suis scriptis: ergo ex autoritate scribentium libros canonicos, quos universalis Romana Ecclesia recipit, recte infinitur, & probatur, quod omnia, quæ credit, sint vera; cum omnia (saltim implicitè) contineantur in libris canoniciis, seu Biblia Sacra. Et si quis protervus, ait Doct., libros canonicos esse talium Auctorum negat; ea ratione negari poterit, quemlibet librum esse scriptum ab hoc, vel illo au-

thore, quem non novimus; & sic peribit omnis humana fides.

4 Confirmatur hoc figurum per oppositum; nam omnes Hæresiarchæ fuerunt superbi, ambitiosi, impurissimi, invidi, & nugaces, quorum Deus venter erat. Veniat Mahometus, qui suo Alcorano cap. 45. fatetur, se habuisse privilegium à Deo copulandi sibi carnaliter omnes fæminas. Accedat Lutherus Apostata sacrilegus, qui post Apostasiam (invalide certe) Monialem in uxorem accepit. Sequatur Calvinus, qui ut Sodomiticus publico signo fuit punitus. Sicque de alijs, quorum catalogum solùm iustificare nimis prolixum esset: ergo ex isto signo, seu capite, eorum sectæ sunt damnabiles, nostraque Religio vera censenda est.

Quartum Signum: diligentia recipientium;

5 Quæ sic probatur: tanta fuit apud Judæos diligentia circa libros canonicos, & est apud Christianos, ut de nulla alia humana Scriptura tot fidei fuerint: ergo his credere debemus. Antec. constat ex labore, quem S. S. P. P.,

maxime Hieronymus, & August., insuper, & Concilia generalia, Provincialia, & Nationalia sumperunt ad discernendos libros canonicos ab Apocriphis: ergo quia his, & non libris hæreticorum, Gentilium, & Mahometi, credeantur est.

Quintum signum est: rationabilitas contentorum in fide nostra.

6 Quod declaratur omnia in ipsa contenta consonant recte rationi, & aequitati; & valde rationabilia sunt: ergo &c. Prob. antec.: quid rationabilius, quam Deum colere, & diligere super omnia proximum diligere, & nulli malum facere? juxta illud: *quod tibi non vis, alteri ne facias?* Quid honestius, quam virtutes diligere, & vitia fugere? Quid mirabilius & misericordius, quam Deum pro nobis fieri hominem, pati, & mori? Quid amabilius, quam ipsum Deum nobiscum manere in Eucharistia usque ad consumationem Sæculi? Tamdem, quid imicantius, quam præcepta nostræ legis, de qua Psalmus 8: *lex Domini immaculata, illuminaans oculos.* Sed hęc

tia docet fides catholica & alia multa, in quibus omnipotens Dei, & ejus misericordia maxime commendantur & ergo haec sola pro vera, & legitima religione tenenda est. Sed ut hoc signum magis eluceat, sit nonnullum.

Sextum signum : irrationalitas singulorum errorum.

7 Aliæ ergo sectæ omnino irrationalib[us] sunt ; quid enim irrationalibus apud Iudeos, quam nolle credere proprijs scriptoribus erga adventum Messiae tam clare prophetatum, & impletum ? juxta illud Genes. 49. non auferatur sceptrum de Iuda, donec viciant, qui mittendus est ; quod evenisse, nulli cordato dubium est. Quid absurdius, quam Secta Mahomethi, qui totam felicitatem nostram in Gula, & Coitatu ponunt ? Quid execrabilius, quam plures Deos colere, seu potius Dæmonia : nubere cum proprijs Matribus, & Filiabus, Senes ex altis Turribus ejicere ; amicos vivos sepeliere cum mortuis. Hec, & alia horronda faciebant Gentiles, ut refert August. 7. de Civitat. Dei.

8 Quid, si ad dogmata hæreticorum convertamur ? Calvinus docet, Deum esse Authorem cuiuscumque peccati : damnare pro suo velle quoscumque damnat : nullam esse humani arbitrij libertatem : præcepta decalogi esse impossibilia : nulla esse bona opera, sed solam fidem sufficere. Lutherani nanc temporis his omnibus, ut in plurimum, subscrivunt, aliaque perversa docent. Deinde, quis non videt magnam varietatem hæretum contra illud Pauli ad Ephesios 4. : unus Dominus, una fides, unum baptisma : ergo ex irrationalitate errorum contentorum in alijs Sectis, & ex varietate ipsarum clare convincitur, Religionem Catholicam, continentem mysteria adeo rationi consona, esse tenendam, & credendam.

Septimum signum : Ecclesiæ stabilitas:

9 Hæc, enim, quanto magis fuit persecuta, tanto magis stabilita. Unde Gamaliel Actibus Apost. cap. 5. : si ex hominibus consilium est, dissolvetur ; si vero ex Deo est, non poteritis illud dissolvere.

ērgo cum nullus potuerit inter tot , & tantos persecutores illam destruere , sed potius persecutionibus stabilita fuerit, sequitur necessario , hanc legem Dei consilium esse ; maxime cum videamus contrarium evenire in omnibus alijs sectis ; antiquæ enim penitus eliminatae sunt ; & hoc eventurum de famosioribus nunc temporis regnantibus firmiter in Deo sperramus , juxta dictum ihsus ; omne Regnum in se divisum desolabitur ; sunt enim adeo inter se divisi Hæresiarchæ , ut vix unus cum alio in credendis conveniat. Econtra de nostra Ecclesia , de qua dicitur : & Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.

Octavum signum ; miraculorum claritas:

10. Deus ergo , ut probatum manet disp. 3. huius, non potest esse falsus testis, nec facere miracula in confirmationem doctrinæ falsæ ; sed innumerabilia miracula fecit ipse Christus Dominus , fecerunt & Apostoli , quotidieque faciunt ad invocationem Dei prædicantes religionem christianam, ita ut Richardus à Sancto Vict. lib. 1. de Trinitat. loquens cum

Deo dixerit : Domine si error est , à te decepti sumus ; nam ista in nobis , tantis signis , & prodigijs sunt confirmata , & talibus , quod non nisi per te fieri possunt : ergo. Et h[ic] quis proterviens neget miracula , audiat Augustinum 22. de Civitate cap.5.: hoc unum grande miraculum sufficit nobis : quod totus terrarum orbis sine ullis miraculis credidit , amplectens religionem carni , & sanguini repugnantem. Quid enim mirabilius , ait Scotus , quam quod pauci Pauperes , & rudes plurimos potuerint convertere sapientes ?

11. Si vero adhuc intent heretici , etiam juxta Evangelia , & Apocalypsim , Anti-Christum innumera miracula esse facturum , quin ex hoc posset probari veritas ejus doctrinæ : nos non urget ; quia ut ait Doct. cit., jam Christus Dominus nobis prædictit apud Math. 24. , & 2. ad Tefalonici. cap. 2. : talia non fore vere miracula , sed ope Dæmonum facienda ; in finemque mundi omnes huius Filij Satanæ machinas evertendas. Videte dicta quæst. ult. disp. 3. huius.




*Nonum signum: testi-
monium eorum, qui
foris sunt;*

12 Nam salutem sume-
re debeimus ex inimicis nostris.
Nullus ergo ex Catholicis Ro-
manis inventus est, qui lau-
det, vel approbet vitam, &
doctrinam infidelium aliquo-
rum, aut hæreticorum, vel
dicat, homines salvati in ulla
illorum secta; sed ex infideli-
bus, & hæreticis, quam plu-
res sunt; qui asserant, quod
in nostra religione catholica sa-
lus æterna consequi potest, et
si cum magna difficultate: et-
go quia nostra religio amplecti
debet. Unde Mathometus in
suo Alcoraneo cap. 2. Expres-
sè docet, Christianos in sua
fide salvati: cap. 4., Christum
fauisse maximum Prophetarum.
Josephus lib. 18. antiquitatum
asserit cap. 6., Christum plus-
quam hominem fauisse; siveque
alij pie loquuntur de nostra
secta. Videantur in N. Atbiol
cit.

*Decimum signum: mag-
nifica, & divina pie-
tas eorum, qui ad
nostram sectam
convertuntur.*

13 Sit primus Tertius
bonus Latro, qui videns Chris-
tum in Cruce patientem ex-
clamavit dicens: *Domine me-
ments mei, dum veneris in Reg-
num tuum.* Sit secundus Saulus,
qui magnus persecutor nostre
fidei, statim vas electionis est
factus, & usque ad tertium rap-
tus Cœcum. Tertio perlege his-
torias Ecclesiasticas, & inven-
nies perplures Reges, & Im-
peratores, qui cum antea ef-
ficiunt Idolorum cultores, illicò
ficti sunt Ecclesiæ catholicæ
propagatores; sed hæc omnia
non poterant fieri tam citò
absque speciali auxilio, & as-
sistentia Spiritus Sancti: ergo
quia talis cupiditas, & pietas
illorum, qui ex suis erroribus
ad nostram fidem conversi sunt,
comprobat credibilitatem mys-
teriorum nostræ fidei.



**Undecimum signum: est
constantia Mar-
tyrum.**

14 Antesignanus est Christus Dominus , qui mortem turpisimam pro nobis passus est , nobis relinquens exemplum , ut sequamur vestigia ejus ; quæ sequi sunt omnes Apostoli , post ipsosque adeo innumeri Martyres , quod si omnes colerentur , plusquam tria-milia unicuique diei totius anni responderent , ut ait Div. Hieronymus ad Eliodorum .

15 Contra hoc signum clamant Judæi , & hæretici gloriantes , se etiam habere Martyres , qui pro sua Religione tormenta , & mortes passi sunt . Sed certe vanè gloriantur ; tum , quia etiam Diabolus suos habet Martyres . Tum , quia non ponunt in numero cum numero Martyrum fidei nostræ . Sed quæro ab ipsis , quot miracula Deus patravit in eorum martyrio ? Quot eorum corpora incorrupta manent ? Quæ eorum sepulcra , ubi stupenda signa , & miracula fiant ? Certe mortui sunt pro sua secta ; cæterum memoria eorum perivit , nec aliiquid miraculum ad invocatio-

nem eorum patratum est , quod vere miraculum fuerit ; sicut quotidie experimor in nostra Ecclesia catholica ; ergo est magna differentia inter constantiam Pseudo Martyrum eorum , verisque Martyres nostros .

**Duodecimum & ulti-
mum signum : Præiosa
in conspectu Domini
mors Sanctorum ejus ;
mors peccatorum
pessima .**

16 De pluribus enim , qui nostram catholicam religionem ex toto corde observarunt , in sacra pagina commemoratur eorum præiosa mors . Moyses in osculo Domini efflavit animam , ex Deuteronom . cap . ult . Henoc , & Elias translati sunt in Paradisum : Stephanus vidit Cœlos apertos . Et sic de alijs pene innumeris , quorum præiosam mortem Dominus miraculis decoravit , quorumque vitam , & transitum apud Breviarium Roman . Martyrologiumque universale vide re relinquo .

17 Quid vero nunc referam de infesta, pessimaque morte Persecutorum nostræ fidei, tum in veteri, tum in novo testamenio, tum tandem ex historijs Ecclesiasticis fide dignis? Pharaon submersus in mari rubro, Datan, & Abiron absorti sunt à terra. Jezabel à canibus lacerata. Judas laqueo suspensus. Herodes scatens vermibus obiit. Simon Magus miserabiliter periret; nam *tibiae confractæ sunt*. Ex hereticis, Manichæus vivus excoriatus est. Arius in latrinis publicis intestina effudit; quod & de Calvinismo Sodomitico refertur. Lutherus repente obiit. Tandemque infelix Enrichus 8. Angliae Rex cum his orationibus spiravit: *omnia perdimus*: ergo de primo ad uitium considerata morte fidelissima SS. Ecclesiæ Catholicæ, & pessima hereticorum, & Persecutorum Ecclesiæ, sequitur, quod illorum transitus, & illorum mors est signum prudentissimum credibilitatis mysteriorum nostræ fidei.

18 Hæc signa late cœlamo iqui theologi dogmatici explicant, & corroborant; nos autem veluti compendiosæ ea explicimus; & studiose quidam, ut tenacius in memoria retineantur: quod per utile (ne

cessarium proferant) est virō Theologo; nam (teste N. Sendin ex experientia) alicui contingere valet, ut opus habeat recurrendi ad hæc motiva, ut illa suadeat alicui moribundo in fide nutanti, ut de facto testatur Prædictus Author sibi evenisse cum quodam moribundo acuto fatis, & perdocto. Sed nota, quod Catholici non ex quolibet signo colligunt credibilitatem, & veritatem nostræ fidei; sed ex omnibus collective scriptis, quæ sane in nulla alia secta reperiri valent. His ergo de signis, sit nunc.

QUÆST. II.

An, & quomodo mysteria nostræ fidei sint credibilia.

1 **N**oto primo quod ex dictis in quest. antec., & ex signis credibilitatis ibi appositis clarissime infertur apud Catholicos omnes, mysteria nostræ fidei, necedem esse

esse prudenter credibilia fide divina, & infusa, sed etiam evidenter. Ratio in promptu est; quia illud est evidenter credibile, quod est evidenter dignum, ut credantur assensu sic missimo; sed talia sunt mysteria nostra fidei; cum habeant motiva ita gravia, & ponderosa, ut nullam relinquant dubitationem prudentem, aut formidinem de veritate oppositi: ergo necdum prudenter, sed & evidenter credibilia sunt ex signis iam appositis. Quare difficultas est de specie, & gradu evidenter credibilitatis, qua gaudent talia mysteria. Pro cuius resolutione.

² Noto 2., quod non est idem mysteria nostræ fidei esse evidencia; & credibilitatem eorum esse evidenter. Explicatur hoc: aliud enim est, mihi esse evidens, materiam 1. posse existere absque omni forma; & aliud valde diversum, quod mihi sit evidens, hoc idem esse probabile. Unde ut mysteria nostræ fidei sint evidencia, vel phisicè, vel metaphysicè, veritas eorum debet apparere ex terminis, sicut appareat veritas principiorum principiorum, vel saltem deberent habere aliqua principia ex terminis evidencia, ex quibus necessario sequatur eorum veritas; attamen ut sint

evidenter credibilia, sufficit dari evidenter motiva, ex quibus semel cognitis, prudenter quis ducatur ad credendum talibus mysteriis. Ex quo inferitur cum Doct. quæst. 2. Prolog.: evidenter credibile esse, aliquid esse credendum non apparet physice; quia aut nulli credis de contingentii, quod non vidi nisi &c. Vide Doct. ibi.

3 Noto 3., quod evidenter prout ad præsens attinet, est triplex: *moralis*, *physica*, & *metaphysica*; moralis est illa, quæ habetur de re aliqua propter dictum hominum prudentium, & probatae virtutis, ita ut sine temeritate non possit judicari oppositum. Huic evidentiæ morali repugnat, quod subsit falsitas; non tamen repugnat physice, nec metaphysicè. Exemplum: nesci physice, nec metaphysice repugnat, Romam non esse, Carolum V. non regnasse; repugnat tamen moraliter propter concordiam tot historiarum in hoc unanimiter conspirantium. Evidentia physica est illa, qua objectum tanta evidencia proponit, quod naturaliter loquendo non possit aliter se habere, bene vero supernaturaliter: & quando propositio aliqua habet huiusmodi evidentiam, repugnat tam moraliter, quam physice, quod ipsi

ipſi ſubſit falſitas; non vero metaphysicē.

4 Exemplum: est evi-
dens physice, ſubſtantiam ſub-
eſſe accidentibus, quā ſenſib⁹
percepientur: & ignem debite
approximatū comburere paſſum;
nam naturaliter loquen-
do accidentia nequeunt eſſe ſi-
ne ſubſtantia; nec ignis debi-
te approximatus, quin com-
burat paſſum; metaphysicē ve-
ro loquendo potest evenire op-
poſitum, ut patet in accidenti-
bus Eucharifticis, & igne Ba-
bylonico. Evidentia tandem me-
taphysica eſt illa, qua piaedica-
tum ita converit ſubjecto, quod
nec diuitius poſſit ſubjectum
eſſe ſine ipſo, ut patet in iſis
propositionibus: *Deus eſt exi-
tens: homo eſt animal rationale.*

5 His ergo piaelbatis;
diſcultas in piaenti eſt, an
mysteria noſtræ fidei habeant
evidentem credibilitatem dum
taxat moralem; an vero phy-
ſicam; an tandem metaphysi-
cam? Circa quam diſculta-
tem triplex ennumerari valet
ſententia. Prima tenet, piaedi-
tam evidentię credibilitati-
eſſe tantum moralem. Sic
Capitolus in 3. diſt. 31. & 32.
Pater Bonafpei cum alijs pau-
cis. Secunda ſententia iuſtineret,
talem evidentię credibilitatis

eſſe ſolum physicam. Sic Pater
Suarez cum alijs ex ſua ſocie-
tate. Tertia tandem ſententia
defendit, evidentiam credibili-
tatis myſteriorum noſtræ fidei
eſſe metaphysicam. Sic expreſſe
N. Arbiol Disp. 5. attic. 2. ubi
citat Magistrum Lumbier. Sic
etiam Marin hic citans aliquos
Thomiftas, & Jetuitas. Ut ve-
rum fateat, Scotifitæ ut in plu-
rimum non ſatis ſe declarant
in hoc puncto. Et ratio, meo
videri, eſt; quia Subt. Doct.
q. 2. Prologi, ubi de hac re
agit, ſolum afferit, quod myſ-
teria noſtræ fidei sufficientiſi-
me ſunt nobis tradita in Sac.
Scriptura, & quod pro eis ſunt
argumenta (ut ſunt ſupra po-
ſita, in quæſt. antec.) ad ſua-
dendum, & convincendos ad-
verſarios. Quare licet ex hoc
inferatur aliqua evidentię; qua-
lis vero illa ſit, non determina-
tur à Subt. Doct.; conſequen-
terque nec declaratur à Scoti-
fitis. Quid nobis ſit iuſtendum
declarat ſequens....

CONCLUSIO.

6 Mysteria noſtræ fidei
ſunt credibilia evidenter evi-
dentię metaphysicam. Eſt con-
formis tertia ſententia, cuique
novit̄ adh̄eret González Math.
tract.

tract. 2. de fide disp. 5. quæst.
 1. conclus. 1.. Prob. 1. conclusio ex Sac. Scriptura; & primo ex illo Psalm. 92. : ubi loquens David de credibilitate mysteriorum ait: *testimonia tua credibilia facta sunt nimis*; sed *ly nimis magis accedit ad maiorem evidentiam*, quam ad minorem: ergo cum evidentia metaphysica sit maior evidencia morali, & physica, ut constat ex dictis, & per se notum est; de ista debent intelligi præfata verba; & consequenter testimonia Dei, seu mysteria nostræ fidei facta sunt evidenter credibilia evidencia metaphysica.

7 Prob. 2. conclusio ex illo Joan. 15.: *si opera non fecissim in eis, que nemo aliud fecit, peccatum non haberent; nunc autem excusationem de peccato suo non habent*: ergo peccarunt Iudei non credendo doctrinam Christi sub tot miraculis confirmatam: ergo doctrina Christi sub talibus miraculis, & signis erat prudenter credibilis. Infero nunc: ergo hæc propositio: *doctrina Christi sub signis, & operibus ab ipso factis est prudenter credibilis*, est propositio metaphysice evidens. Prob. hæc conseq.: illa propositio est metaphysice evidens, quæ nec divinitus potest

falsificari; sed hæc propositio: *mysteria nostræ fidei tot signis munita sunt prudenter credibilia*, est talis, quod nec divinitus falsificari possit: ergo &c. Prob. min.: propositio attingens prædicata essentialia alicuius rei nec divinitus falsificari potest; sed prædicta propositio attingit prædicata essentialia prudentis credibilitatis: ergo &c. Prob. min.: prædicata essentialia prudentis credibilitatis nostræ fidei sunt duodecim signa quæst. antec. relata; sed prædicta propositio regulatur à præcognitione talium signorum: ergo attingit prædicata essentialia prudentis credibilitatis.

8 Prob. 3. conclusio: si non esset nobis metaphysicè evidens, mysteria nostræ fidei esse prudenter credibilia, maxime, quia nec physicè, nec metaphysicè est nobis evidens, talia mysteria esse vera; sed hoc non tollit, ut sit nobis metaphysicè evidens, mysteria nostræ fidei esse prudenter credibilia: ergo &c. Mai. est fundamentum contrariorum. Prob. min.: estò nobis non sit nec physicè, nec metaphysicè evidens, hominem potentem eleemosynam sub vestite attrita esse vere pauperem; nam revera potest esse dives, & paupertatem exterius si gerere:

re : est tamen nobis metaphysice evidens , honestum , & laudabile fore elargiri eleemosynam tali homini sub veste paupere representato : ergo à pari ; & si non sit nobis metaphysicè evidens , mysteria nostræ fidei esse vera ; tamen est nobis metaphysicè evidens , ipsa proposita sub signis credibilitatis jam relatis esse prudenter credibilia.

9 Prob. tandem conclusio , & confirmatur præcedens ratio : veritas mysteriorum nostræ fidei desumitur ex diverso capite ab eo , à quo desumitur eorum prudens credibilitas : ergo quamvis veritas mysteriorum non sit nobis metaphysice evidens , poterit tamen esse nobis metaphysice evidens prudens credibilitas ipsorum. Prob. antec. : veritas mysteriorum desumitur ex conne^{xione} prædicatorum essentialium cuiuslibet mysterij in se ipso considerati : prudens vero credibilitas ipsorum desumitur à signis extrinsecis relatis : ergo ex diverso capite &c. : ergo stat bene , veritatem objectivam mysteriorum non esse nobis metaphysice evidentem ; esse tamen nobis metaphysice evidentem prudentem credibilitatem ipsorum sub tot signis. De

hoc amplius in solutione argu-
mentoruin.

Solvuntur argumenta.

10 Arguitur I. : si da-
retur evidentia metaphysica
prudentis credibilitatis mysteri-
orum nostræ fidei , daretur
etiam de illo , in quo funda-
tur talis credibilitas ; sed non
datur : ergo &c. Prob. min. :
prudens credibilitas mysteri-
orum fundatur in miraculis su-
pra relatis ; sed de ipsis non da-
tur talis evidentia metaphysi-
ca : ergo &c. Confirmatur : ma-
gis credibilia forent mysteria
nostræ fidei , si daretur eviden-
tia metaphysica signorum , quam
si solum datur evidentia mora-
lis ; sed si daretur evidentia
metaphysica signorum , solum
daretur evidentia metaphysica
credibilitatis mysteriorum : ergo
si solum datur evidentia mora-
lis signorum , solum datur talis
evidentia de credibilitate mys-
teriorum nostræ fidei.

11 Respondeo concessa
mai. , negando min. : ad pro-
bationem distinguo mai. : pru-
dens credibilitas mysteriorum
fundatur in relatis signis *certo*
moraliter existentibus , conced.
mai. : certo *physice* , nego mai. ;
& distinguo min. ; sed non da-
tur

ut evidētia metaphysica de existentia *physica* signorum, conc. min.: de existentia *morali* certō moraliter inferente existentiam physicam eoruin, nego min. & conseq.. Itaque credibilitas mysteriorum non fundatur proximē in existentia *physica* signorum certō physice existentium; sed in existentia *physica* infallibiliter certo moraliter existentium. Unde cum sit metaphysice evidens, dari certitudinem moralem de existentia *physica* signorum, hinc oritur evidētia metaphysica credibilitatis mysteriorum.

12 Ad confirmationem dist. mai.: magis credibilia &c. intra eamdem linea, conc. mai.: in diversa linea, nego mai.: eisdem terminis distinguo min., & nego conseq. Verum ergo est, quod data evidētia metaphysica signorum, tunc mysteria nostræ fidei essent magis credibilia intra eamdem lineam; nam adhuc in linea evidētiae, dantur alia alijs evidētiora. Sic prima principia adhuc in linea evidētiae sunt evidētiora conclusione ex ipsis deducta, & unus actus metaphysice evidens est clarior, & evidētior alio actu metaphysice evidenti, ut patet in Beatis comparative ad viato-

res cognoscentibus evidentius, clarius, & expr̄ssius aliquod objectum, quam puri viatores.

13 Arguitur 2.: quod est metaphysice evidens, à nemine negari potest; sed infideles, & hæretici negant prudentem credibilitatem mysteriorum nostræ fidei: ergo &c. Maior constat; quia evidētia metaphysica convincit intellectum. Respondeo, distinguendo mai.: quod est metaphysice evidens à nemine negari potest prudenter, conc. mai.: imprudenter, nego mai.: inversis terminis distinguo min., & nego conseq. Si ergo infideles, & hæretici serio, & animo veritatis indagande motiva, quibus nititur credibilitas mysteriorum nostræ fidei, scire vellent, abdubio non negarent ea; sed quia eorum voluntas proterva est, & prona ad laxandas habenas peccatis, nolunt, talia signa considerare, quibusque quadrat illud dictum propheticum; noluit intelligere, ut bene ageret. Et si aliquādo talia signa & motiva prudētis credibilitatis mysteriorum nostræ fidei cōsiderant, & nolunt credere, eis adapta probebium poeticum: video meliora, proboque, deteriora sequor.

14 Arguitur 3.: actus fi-

fidei dicitur à Patribus valde difficultis , ita , ut captivetur intellectus in obsequium ipsius, juxta dictum Apostoli ; sed si mysteria nostræ fidei essent evidenter metaphysice prudenter credibilia , non esset adeò difficultis : ergo &c. Prob. min.: credibilitas magnam dat facilitatem credendi: ergo &c. Resp. negando min. & antec. probationis. Mysteria ergo nostræ fidei possunt dupliciter considerari. Primo , prout habent esse supra naturam. Secundo , prout habent esse ex motivis extinsecis , quibus redundunt credibilia. Si primo modo considerentur , postulant captivitatem intellectus. Si secundo modo , prout tot signis,& miraculis confirmata sunt , quæ non nisi à solo Deo fieri possunt , tunc proponuntur ita evidentia , quod intellectus ipsa propiciens de facili credat , nequeatque ipsis dissentire , quamvis possit suspendere assensum. De hoc ultimo erit sermo Disp. 6. huius.

15 Arguitur 4.: sicut se habet scibile respectu habitus scientiæ , ita se habet credibile respectu habitus fidei ; sed si aliqua res est evidenter metaphysice scibilis , est etiam evidenter metaphysice vera: ergo si mysteria nostræ fidei sunt evidenter metaphysice

credibilia , sic etiam vera; sed hoc est falsum : ergo &c. De hoc argumento quæst. sequenti. Resp. nunc negando mai. quia quod veritas sit evidens metaphysicè , non habetur nisi clare , & scientifice procedendo per principia intrinseca rei cognitæ , vel per effectus necessario dependentes à suis causis: at quot sit evidenter metaphysice credibilis habetur per motiva extinsecá , seu signa relata , quibus assensus redditur evidenter metaphysicè credibilis , cum quaque evidentia stat obscuritas veritatis objecti crediti , vel credendi. Ex quo constat disparitas.

16 Arguitur 5.: si mysteria nostræ fidei essent evidenter metaphysice credibilia , vel fide divina , vel humana; sed neutrum dici potest : ergo &c. Resp. dist. mai. quoad 1. part.: essent credibilia fide divina objective sumpta , conc. mai.: fide divina considerata ex parte principij supernaturalis infisi , subditum. mai.: semper & necessario , nego mai. & min. & conseq. Declaratur hoc : vel mysteria fidei proponuntur intellectui bene disposito , clareque penetranti motiva , & signa credibilitatis; vel propónuntur pueris , & rusticis , qu i talia signa credibilitatis pene trare non possunt?

17 Dico ergo, quod in utroque casu mysteria sunt credibilia fide divina objective sumpta; hoc est, habet fidem divinam existimative talem; cum hoc tamen discrimine, quod si objectum credibile sit revera à Deo revelatum, assensus ipsi præstitus nitetur fidei, supernaturali, sicut cum intellectu concurrente ad actum, absque eo tamen, quod unquam detur evidentia de existentia talis fidei in intellectu; nam hoc solum est creditum. Si vero objectum credibile non sit à Deo revelatum, sed potius falsum, ut evenire potest quando Parrochus proponit Rustico aliquid falsum, ut obligatoriè credendum de fide, tunc Rusticus, qui maioribus tenetur credere, credit fide solum objecto existimative tali, minime vero fide in re divina; quia isti repugnat inclinare in falsum. Vide quæ diximus disp. 3. huius quæst. 3. maxime argumento 2. à num. 15.

18 Arguitur 6.: non est metaphysice evidens prudens credibilitas illorum mysteriorum, quorum doctrina continet plura probabiliter falsa; sed talia sunt mysteria nostræ fidei: ergo. Prob. min. inter mysteria nostræ fidei continetur mysterium Incarnationis,

Trinitatis, & Eucharistiae; sed hæc sunt probabiliter falsa: ergo &c. Prob. min.: illud est probabiliter falsum, quod convincitur ut tale ex primis principijs, scilicet: *Deus est immutabilis; quodlibet est, vel non est, impossibile est idem simul esse, & non esse: que sunt eadem tertio, sunt eadem inter se: quantitas est divisibilis in loco;* sed mysteria Incarnationis, Trinitatis, & Eucharistiae convincuntur probabiliter falsa ex his principijs; *quia Deum esse Incarnatum* opponitur immutabilitati: *Deum esse Trinum*, opponitur principio: *que sunt eadem &c. & Christum esse indivisibiliter in Eucharistia* opponitur divisibilitati quantitatis: ergo. Respondeo huic argumento negando omnes minores ipsius; quarum falsitas satis constat ex dictis in tractatibus de Incarnatione, & Trinitate. Videte ibi; & quoad existentiam Christi in Eucharistia dico, quod prout docetur in Logica, quantitas non constituitur metaphysice per extensionem actualem, sed per radicalem suarum partium; unde hoc non opponitur tali existentia.

19 Arguitur ultimò: si mysteria nostræ fidei essent evidenter metaphysice credibilia, essent sic evidenter vera; sed

sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur sequela maioris: hæc argumentatio est bona: *hoc est evidenter credibile*: ergo est evidenter verum: ergo si mysteria &c. Prob. ant. hec argumentatio: *hoc est evidenter falsum*; ergo est evidenter incredibile, est ejusdem rationis cum argumentatione supra posita; ergo sicut hec valet, ita & illa. Confirmatur: ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis; sed quod est evidenter falsum, est evidenter incredibile: ergo per oppositum, quod est evidenter credibile, est evidenter verum. Resp. 1. ad argum., negando mai. Ad prob. nego antec. ad cuius probationem, conc. antec., & consequentiam nego cum paritate; sed

20 Resp. 2. distinguen-
do mai.: si mysteria nostræ fidei &c., essent evidenter vera *evidentia specie distincta* ab illa, qua sunt credibia, conc. mai. *eadem evidentia* nego mai.: in-
versis terminis disting. min. & nego conseq. Explicatur: quamvis mysteria nostræ fidei sint evidenter metaphysice credibilia, ex hoc solùm infertur, quod sint evidenter moraliter vera, ut dicimus quæst. sequenti. Ad probat. sequela, nego parita-
tem. Disparitas est; quia credis-

bilitas, & veritas ex diverso capi-
tum, ut iam dictum manet
in ultima probatione conclusio-
nis, & in solutione 4. argumen-
ti huius, & amplius constabit in
quæst. seq.

22 Ad confirmatio-
nem distinguo antec.: ex oppo-
sito consequentis sequitur op-
positum antecedentis, quando subiectum nequit carere alteru-
tra ex formis contrarijs, conc.
ant.: quando subiectum potest
carere utraque forma contraria,
nego antec., & concessa min.,
nego conseq. Itaque, quamvis
valeat ista argumentatio: *Cor-
pus habet formam rationalem*:
ergo Corpus est vivum: non ta-
men valet illa: *Corpus non est
vivum*: *ergo habet formam leo-
ninam*. Ratio est; quia licet for-
ma rationalis, & leonina sint con-
traria, tamen potest corpus ca-
rere utraque forma. Sic ergo in
præsenti, licet valeat: *hoc
est evidenter falsum*: ergo est evi-
denter incredibile: non tamen
valet: *hoc est evidenter credibile*:
ergo est evidenter verum; ratio
est eadem; quia licet
verum, & falsum sint contra-
ria; tamen subiectum potest ab-
solute carere utroque pœdi-
casio; nam potest stare vel sub cre-
dibilitate, vel sub dubitatione.
Reliqua argumenta in quæst. se-
quenti,

QUÆST.

QUÆST. III.

*An, & quomodo
mysteria nostræ
fidei sint eviden-
ter vera?*

ICUM nihil sit credibile, nisi ex veritate concepta; sicut nec incredibile, nisi ex falsitate concepta; ideo post examen credibilitatis mysteriorum nostræ fidei; merito eorum veritatem indagamus. Et non querimus: an fideles habeant evidentiam immediatam de veritate mysteriorum in se ipsis. Cum ex dictis quæst. 2. disp. 4. huius, obscuritas sit conditio necessaria ad assentum fidei. Unde fideles communiter, quamvis firmissimè credant, clare tamen sciunt, se non videre immediate Incarnationem Verbi, Trinitatem Personarum, & alia huiusmodi. Difficultas ergo tota est: supposita eviden-

tia metaphysica prudentis credibilitatis mysterio nostræ fidei fundata in signis, & motivis, credibilitatis ipsorum, ex hoc etiam resolutet aliqua. Evidentia veritatis ipsorum mysteriorum: quænamque hęc sit: an moralis, physica: an vero metaphysica? Pro cuius resolutione fit,

Conclusio.

Mysteria nostræ fidei sunt evidenter moraliter vera omnibus serio, ac simplici animo examinantibus eorum signa & motiva; non tamen sunt evidenter metaphysice vera. Conclusio quoad 2. partem est communis. Quoad primam verò est nostri Doctoris in 2. dist. 1. quæst. 3. §. contra ista positionem. Probaturque 1. ex ipso: Doctores catholici, nominatim Augustinus, & Anselm. citati à Doct. hic, inquirebant per rationes veritatem creditorum, quam evidenter demonstrare conabantur; sed non est dicendum, Sanctos D. D. in hoc inutiliter laborasse: ergo quia veritas mysteriorum nostræ fidei potest ostendi ex medio, quod S. S. P.P. assumebant, hoc est, ex signis, & motivis credibilitatis. Nunc sic; sed non ostendebant evidenter evidencia physica, aut me.

taphysica veritatem mysteriorum in se, & prout sunt à parte rei; nam cum huiusmodi evidencia actuali de aliquo mysterio fidei non est compatibilis actus fidei, ut dictum manet disp. antec.: ergo S. S. P. P. per signa credibilitatis ostendebant evidenter moraliter veritatem mysteriorum fidei; & consequenter sunt sic vera.

3. Prob. 2. ex S.S. P.P. August. lib. de vera Religione cap. 2. ait: *Christianis temporibus, quenam religio potissimum sit tenenda, & quae ad veritatem, & beatitudinem via sit, non est dubitandum.* Chisoltonus orat. quod Christus sit Deus. Sic concludit: nullus itaque his contradixerit, nisi qui valde insanus, & totus stupidus sit, humanoque sensu privatus. Arnold. lib. 2. contra Gentes: *incredulum genus humanum doctrina Christi numquam fuisset consensurum, nisi apertares esset, & luce prout dicitur clarior.* Sed haec, & alia similia apud S. S. P.P. efficaciter probant, Religionem nostram esse veram, & consequenter ejus mysteria esse vera, non metaphysice evidenter, ut manet dictum: ergo evidenter moraliter.

3. Prob. 3. conclusio: est metaphysice evidens, mysteria nostræ fidei esse pruden-

ter credibilia; sed ex hoc resul- tar evidencia moralis de veritate ipsorum: ergo &c. Mai. constat ex quest. antec.: proba- tur min.: licet aliud sit credibi- litas, & aliud veritas, tamen quidquid probat mysteria esse credibilia, aliqualiter probat esse vera: ergo signa credibilitatis probantia evidenter metaphysi- cè credibilitatem mysteriorum, probant (saltim evidenter mor- aliter) veritatem ipsorum. Prob. antec.: licet aliud sit incredi- bilitas quaternitas Personarum v. g., & aliud falsitas ejus, ta- men quidquid probat, quater- nitatem Personarum esse inre- incredibilem, aliqualiter pro- bat, quaternitatem esse fallam: ergo signa evidenter metaphysi- cè probantia credibilitatem mysteriorum, probant saltim mo- raliter veritatem ipsorum.

5. Prob. tandem con- clusio: mysteria nostræ fidei sunt evidenter moraliter vera, si est evidenter moraliter verum, dari in rerum natura aliquam veram Religionem, in qua homines beatitudinem super- naturalem consequi possunt; sed hoc est evidenter moraliter ve- rum: ergo &c. Min. est vera; quia sic decet summam Dei pro- videntiam, cuius esse, & existe- re modo supponimus contra brutales, & insensatos Athæistas.

Prob.

Prob. mai. : implicat aliqua vera religio, in qua homines beatitudinem supernaturalem consequantur, quin mysteria, quibus talis religio iititur, sint credentibus evidenter moraliter vera: ergo si est evidenter moraliter verum, dari aliquam veram religionem, mysteria talis Religionis non possunt non apparere moraliter vera evidenter ejus professoribus.

6 Confirmatur: supposito quod sit in mundo aliqua vera Religio, mysteria Religionis Catholicae Romanæ non possunt non esse moraliter vera; ergo sunt vera. Prob. antec.: mysteria Religionis verae non possunt non esse vera; sed supposito quod sit in mundo aliqua vera Religio, sola Religionis Catholica Rom. est vera; ergo &c. Mai. est evidens. Prob. min.: nulla Religio continens plura falsa, & absurdula est vera; cum Deus nequeat esse author falsitatis; sed omnis Religio, excepta Religionis Catholica Rom., continet plura falsa, & absurdula: ergo &c. Min. prob. discurrendo per singulas Sectas. In primis Atheistæ negant, Deum esse: Ethnici, adstruunt, pluralitatem Deorum; Judæi moderni in suo Talmud docent, Deum peccasse, & poenitentiam egisse, eo quod Judæos dispersit, & eo-

rum Templa subventit: Mahometani tenent, omne turpe commercium esse licitum, suamque ultimam beatitudinem collocant in obscenis voluptatibus: haeretici moderni ut in plurimum afferunt, Deum esse Authorum peccati; & alij negant liberum arbitrium: & sic de alijs; sed hæc omnia sunt falsa, & absurdula: ergo omnis alia &c.

Solvuntur argumenta.

7 Arguitur 1. :stante evidentia morali veritatis mysteriorum nostræ fidei, actus credendi non est proxi-
mè & formaliter liber, & me-
ritorius; sed hoc nequit dici:
ergo nec quod stet talis eviden-
tia. Prob. mai. : quælibet evi-
dentiæ de veritate objecti credi-
bilis tollit libertatem, & me-
ritum actus erga tale objectum:
ergo stante &c. Resp. negando
mai, & maiorem probation. Ra-
tio est; quia sola evidentiæ phys-
ica, aut metaphysica de ve-
ritate objecti necessitat intellectu-
m, tollitque libertatem actus.
Cum ergo de mysterijs nostræ fi-
dei in se non habeamus evi-
dentiæ physicam, nec meta-
physicam, inde est, actum as-
sign-

sentiendi illis minime esse necessarium. Nec obstat evidentia moralis, quam de veritate mysteriorum habemus; cum huiusmodi evidentialia relinquat indifferentiam tam physicam, quam metaphysicā ad præstādūm assēsū, quod sufficit tam ad libertatē actus, quam ad ejus meritū.

8 Replicabis urgenter: ergo stante evidentialia moralis veritatis mysteriorum, intellectus manet moraliter necessitatus ad credendum. Prob. conseq.: stante evidentialia physica, vel metaphysica, intellectus manet necessitatus physicè, vel metaphysicè: ergo stante evidentialia morali &c. Nunc sic; sed hoc sufficit ad destruendam libertatem in linea moris: ergo &c. Resp. dist. conseq.: ergo stante evidentialia morali veritatis mysteriorum, intellectus est moraliter necessitatus necessitate specificationis, conc. conseq., necessitate exercitij, nego conseq. Itaque supposita tali evidentialia morali, intellectus est necessitatus quoad specificationem; quia in sensu composito talis evidentialia non potest intellectus positi-
ve dissentire; ceterum quoad exercitium determinari debet à voluntate, ut assensum ponat præcarentia assensus. Et sic actus fidei evadit liber proxime, & formaliter, licet non libertate

contrarietatis, & specificationis; contradictionis tamen, & exercitij, quod sufficit tam ad rationem liberi, quam meritorij.

9 Arguitur 2. ad idem stante tali evidentialia, actus credendi non est proxime, & formaliter liber ullo modo: ergo &c. Prob. antec.: ut actus credendi sit proxime, & formaliter liber, necessarium est, quod voluntas proxime, & formaliter occurrat imperando talem actionem nam si solum remote concurrit, actus erit solum remote liber; sed stante evidentialia morali veritatis alicuius mysterij fidei non est necessarium tale imperium voluntatis immediatum, proximum, & formale: ergo stante &c. Prob. min.: stante evidentialia morali de tali veritate resultante ex evidentialia credibilitatis signorum, stat credibile præfens simul cum fide acquisita intellectui; sed eo ipso quod objectum credibile sit præfens invi signorum, & quod in intellectu supponitur fides acquisita erga tale credibile, non requiritur, quod voluntas concurrat proxime, & formaliter positivè imperando actionem credendi erga tale mysterium: ergo stante tali evidentialia &c. Mai. est Doct. in 3. Dist. 25. quæst. 5. Later. §. ideo dico, ubi ait: po-

fita fide acquisita , credibili pre-
sente , potest intellectus per
fidem infussam credere , dummo-
do voluntas non contramoveat , nec
amplius requiritur : ergo &c.

10 Scotistæ sunt cer-
tè inter se valde divisi in so-
lutione huius argumenti. Res-
pondent ergo aliqui , negando
antec. , & omnes minores argu-
menti , usque ad authoritatem
Subt. Doct. , quam sic explicant:
posita fide acquisita , credibili
præsente , potest intellectus *af-
fuefactus ad credendum* , per fi-
dem infussam credere , dum-
modo &c. conc. antec.: intel-
lectus *non affuefactus* , nec ha-
bituatus , nego antec.: explicatur
hæc solutio. Fideles quampluri-
mi sive docti , sive indocti , eo
ipso quod sint affuefacti ad
præstandum assensum mysterijs
fidei sufficienter ipsis propositionis
mediante imperio positivo vo-
luntatis imperantis elicientiam
actus credendi , maltoies
poterunt elicere actum super-
naturalē fidei sufficienter
liberum , & meritorium absque
ullo imperio positivo voluntatis
proxime , & formaliter imperante
talem actum , sed cum solo
imperio positivo præcedente ,
virtualiter tamen permanen-
te.

11 Declaratur hoc , hoc
exemplo : si quis fidelis doctus
positive vellet volitione aliqua
supernaturali ad integrum per-
legere totam Apocalypsim Joan-
nis , v. g. , crederet sane singulas
propositiones prout successive
leguntur absque nova repetitione
imperij formalis positivi de novo
reſpicientis quamlibet proposi-
tionem in particulari ; ipsi
namque satis erat imperium
formale positivum antecedens
ab initio , & virtualiter permanes-
erga subsequentia. Idem di-
cunt de Rustico multoties
symbolum recitante ex devote-
tione. Sancè hæc responsio satis
probabilis est ; eanque , ultra
plures Scotistas , tuerintur aliqui
extranei.

12 Respondeo tamen
2. conformiter ad ea , quæ dicta
sunt tom. 6. cursus huius Al-
mæ Provinciæ tract. 16. disp.
2. quest. 3. à num. 53. negando
omnes propositiones argumenti ,
sicut in prima responsive , us-
que ad authoritatem Doct. , ad
quam dico , quod verba illa
non sunt ex propria mente
ipsius , quod satis patet ex ver-
bis , quæ immediate subjurxit ,
scilicet : *& estō , quod requi-
ratur motio positiva voluntatis ,*
*etiam sufficit voluntas ad sic
movendum in puris naturali-
bus.* Sed quia de hoc ad lon-

gum actionum est loc. cit. nostri
cultus Theologici, & ex initia-
tuto a nobis agendum est, disp.
seq., quæst. 2., sat sit pro nonc
intuasæ hanc secundam res-
ponsionem, quam ut meliorem
amplectimur.

13 Arguitur 3.: omnia
fundamenta, quibus innititur
tam hæc, quam præcedens
conclusio, sunt falsa, vel fal-
tem valde dubia: ergo ultra-
que conclusio est falsa. Probat.
antec.: talia fundamenta sunt
hæc: Deus non potest mentiri
nec per se, nec per alium: non
potest esse causa specialis ali-
cuius erroris, aut deceptionis:
non potest facere miracula in
confirmationem doctrinæ falsæ,
nec in circumstantiis, in quibus
doctrina falsa redderetur pru-
denter credibilis; sed hæc funda-
menta sunt falsa, vel faltem
valde dubia: ergo omnia funda-
menta &c. Respondeo ne-
gando antec., & min. proba-
tionis quoad omnes partes, cu-
jus falsitas sufficientissime con-
stat ex dictis disp. 3. huius per
4. quæstiones.

QUÆST. IV.

*An in omnibus credentibus
debeat precedere iudicium
evidens credibilitatis mys-
teriorum fidei?*

I **E**xtra dubium est apud AA. quod ad credenda mysteria fidei ex communi lege requiritur exter-
na propositio mysteriorum; nam ex Paul. ad Rom. 10. quo-
modo credent ei, quem non au-
dierunt? Quomodo autem au-
diens sine predicante? Quare
non audiendi sunt hæretici nos-
tri temporis dicentes, non esse
necessariam objectivam propo-
sitionem ad fidei assensum, sed
sufficere spiritum privatum, quo
singuli inspirantur, & regun-
tur. Esto enim hoc sustineri
posset respectu aliquorum par-
ticularium, & in speciali pro-
videntia, tamen attenta univer-
sali, requiritur aliqua propo-
sitione Ecclesiæ per se, vel per
suos Ministros ad mysteria cre-
denda. Quod expræssit August.
cap. 5. contra Epist. funda-
menti, dicens: *Evangelio non
crederem, nisi me authoritas Ec-
clesie teneret.*

Si

2. vi. Similitet certum est, quod ad fidem requiritur aliquod judicium credibilitatis mysteriorum innixum gravibus fundamentis; nam ut dicitur Ecclesiast. cap. 19.: *qui credit sit leviter in corde;* ite autem cito credit, qui sine gravi fundamento assentit. Ex quo ultra advertendum est, quod, et si aliqui AA. antiquitus docuerint, ad credendum sufficeret judicium probabile credibilitatis mysteriorum; hodie hoc sustineri nequit, supposita damnatione Innocentij XI. de propos. 21.; alias enim sufficeret judicium, seu notitia probabilis revelationis, quod est ex praesce damnatum a tali Summ. Pontif. Unde plusquam probabile judicium credibilitatis requiritur, scilicet, evidens; sed nota, quod hoc est duplex: aliud simpliciter tale, quod habetur ex consideratione, & ponderatione motivorum. Aliud respectivum respectu eorum, qui nesciunt ponderare motiva, nec perfecte intelligere, & tamen formant judicium certum, neandum speculativum, sed etiam practicum de credibilitate mysteriorum, hoc est, quod judicant, honestum esse, credere, quod ita credibile apparet.

3. Præsens difficultas præcipue procedit de incipientibus credere, scilicet, de conversis ad fidem, vel de pueris pervenientibus ad usum rationis; vel de illo, cui aliquid de novo proponitur credendum; nam qui semel credit, & in simul circa id, quod credidit, habuit præviuum judicium prudentis credibilitatis, quale ad credendum requiritur, non videatur necesse, quod quoties credit, aliud judicium efficeret. His suppositis, sit

Conclusio:

4. In omnibus, & singularis incipientibus credere est necessarium ad assensum fidei præcedere judicium evidens credibilitatis, vel evidentia absoluta, vel respectiva. Hęc conclusio licet prima facie videatur contra N. Mastrium disp. 6. q. 10. art. 2., tamen si bene perpendiculariter ejus explicatio non est contrarius nobis. Prob. conclusio ratione: ut quis prudenter credit, & non leviter, debet duci per aliquod fundamentum ad credendum; sed tale fundamentum debet facere aliquam evidentiam credibilitatis: ergo &c. Prob. min.: fundamentum de-

debet esse tale, ut absque aliqua prudenti dubitatione, & formidine judicet, mysteria sibi proposita esse digna ut credantur assensu omnino firma, & secura; sed ad hoc est necessarium fundatum, quod generet aliquam evidentiam credibilitatis: ergo &c.

5 Prob. min.: dum quis est constitutus in dobio circa veritatem objecti sibi propositi; vel saltem prudenter formidat de ejus veritate, nequit judicare objectum propositum esse dignum, ut credatur fide omnino firma, & secura, qualis est divina; cum hoc judicium non admittat secum prudens dubium, aut prudentem formidinem de veritate objecti sibi propositi; sed hoc ipso hoc judicium, quo judicatur objectum propositum esse dignum ut credatur fide omnino firma, & secura, est in aliquo vero sensu judicium evidens credibilitatis: ergo hoc requiritur ad credendum. Sed ne equivocatio sequatur, adverte, quod aliquando contingere potest, quod solo Deo interius docente, & inspirante, credantur mysteria fidei evidencia credibilitatis, & tunc non erit necessarium tale judicium; quare conclusio procedit de regulariter evidenter

6 Dices primo: evidens judicium credibilitatis, sive evidentia absoluta, sive respectiva debet formari ex vi argumentorum, seu ex signis credibilitatis; sed hoc judicium nequit esse in pueris, & rusticis, qui nec penetrant vim talium argumentorum, maximè dum primò credant, sed solum credunt ex simplici propositione facta à suo Parrocho, vel parentibus: ergo in eis non datur tale evidens judicium credibilitatis. Resp. omis-
sa mai., negando min.: nam evidentia respectiva, seu evidentia moralis admittit gradua-
lem latitudinem, nec requiritur in eodem gradu certitudo res-
pectu omnium credentium; sed sufficit, quod pro captu cuiuslibet sit cognitio credibilitatis, quæ ad lineam certitudinis morali attingat. Hæc autem datur in Rusticis, & Pueris, cum primò credant; nam sine aliquo dubio, aut formidine apprehendunt mysteria, quæ ipsis à Parrocho proponuntur, ut dicta à Deo, vel ut doctrina universalis Ecclesia; & sic statim judi-
cant, ea esse credibilia evidenter evidencia morali, & respectiva.

7 Dices 2. & est repli-
ca: quod mysteria proposita à Parrocho debeant credi ut dicta
à Deo, & ut acceptata ab Uni-
versali Ecclesia, solum constat

Ruf

Rusticis, & Pueris ex propositione sui Parrochi, aut Parentum; sed hæc propositio non excedit limites fidei humanae, quæ exposita est prudenti dubio, & fornidia: ergo judicium à nobis assignatum de evidenti credibilitate respectiva non sufficit. Confirmatur paritate: rusticis, & Pueris hæreticorum errores suæ sectæ proponuntur à suis prædicantibus, eo modo ac Pueris, & Rusticis inter catholicos proponuntur mysteria nostra fidei; sed judicium in primis ortum ex propositione suorum prædicantium non est moraliter evidens adhuc evidencia respectiva: ergo nec in secundis; & consequenter &c. Hoc argumentum aliquam præsefert difficultatem. Pro cuius solutione

8 Notá , quod licet, quantum ad externam propositionem, nulla sit differentia inter Pueros, & Rusticos catholicos, dum primo credunt veritates fidei propositas à suis Parrochis, ac inter Pueros, & Rusticos infideliū, dum incipiunt credere errores suę sectæ prop̄positos à suis prædicantibus; at tamen, cum ultra hoc judicium prævium credibilitatis ad clementiam assensus fidei supernaturalis requiratur illustratio interna supernaturalis, & divina

inspiratio alliciens, & movens voluntatem hinc; ex hoc int̄ēctu Spiritus Sancti illud iudicium prævium roboratur, & firmatur in Rusticis, & Pueris Christianis, ita ut certius habeatur, quam ex sola externa propositione Parrochi: & hoc non evenit in Rusticis, & Pueris hæreticorum. Unde p̄ æ oculis semper habendum est, quod licet dicamus, quod illud iudicium sit moraliter certum, seu evidens evidencia respectiva ad assensum fidei infusum, non tam n̄ est sufficiens. His notatis

9 Respondeo , distinguendo min.: sed hæc propositio non excedit absolute limites fidei humanae, conc. min.: respectiva, & pro captu credentis, nego min., & consequentiam. Verum ergo est, quod sola propositio Parrochi, immo nec motiva credibilitatis, ut præcisè nota ex tali propositione, fundant ex se absolute certitudinem moralem, sed tamen fundant certitudinem proportionatam ad captum Pueri, vel Rustici, qui propositionem Parrochi apprehendunt, ut propositionem Universalis Ecclesie nullo dubio, suspicione, aut fornidine de opposito occurrente. Unde s̄p̄es̄pius firmius credunt, quam litterati. Ex quo tale judicium , proportione habita

ad captum illorum, est ipsis certum moraliter, saltim virtualiter, vel aequivalenter, & maxime cum ipsis accedit interior Spiritus Sancti instinctus istorum intellectum firmans, & roborans; quod si hic instinctus non adsit, nec in ipsis sit sufficiens fundamenitum ad credendum; tunc certe non crederent fide insuffla, sed pure humana, & acquisita.

10 Ad confirmationem conc. mai., attenta solum propositione externa, & perceptione connaturali tam in Pueris, & Rusticis catholicis, quam infidelibus; veruntamen esset differentia jam ex revelatione facta ad Universalem Ecclesiam, jam ex instinctu Spiritus Sancti. Et certe, quod hic instinctus detur, satis constat ex illo Joann. 1. : qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: & ex illo Pauli: vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

11 Dices 3.: ad assensum fidei sufficit judicium credibilitatis, vi cuius credens prudenter credit; sed ad hoc non requiritur judicium evidens credibilitatis: ergo &c. Prob. min.: ut quis prudenter se gerat in adoratione hostiarum consecrata, & in elargitione

eleemosynæ, non requiritur, quod praecedat evidens iudicium credibilitatis ritus consecrationis, & vere paupertatis: ergo à pari. Resp. negando min. & conseq. probationis. Disparitas est; quia credens prudenter debet excludere omnem formidinem, quam excludere nequit, sine iudicio evidenti credibilitatis, vi cuius non apparat credibile quidquid veritati credenda adveratur; quia alias posset merito formidare. Ad adorationem hostiarum, & prudentem elargitionem eleemosynæ, sicut & ad exercitium omnium virtutum moralium sufficit, quod objectum proponatur per regulas prudentiae, ut honestum; istæ autem regulæ abstrahunt à veritate speculativa objectis, non sic exercitium fidei, nec regulæ ejus.

12 Dixi in ipsam et conclusione; quod etsi prima facie videatur N. Mastrius nobis contrarius, in re tamen à nobis non recedit; ipse enim, sicut & alij Scotista ipsum sequentes, loquuntur de iudicio evidenti evidentia absoluta, & metaphysica, formato vi argumentorum, & signorum credibilitatis nostræ fidei, modo explicato, quæst. secunda huius disp. Et certum est, quod huiusmodi tale iudicium non est necessarium

xim in incipientibus credere, ut satis expræsse fatetur Div. August. contra Epist. fundamen-
ti cap. 4. dicens: *in catholica Ecclesia pauci spirituales ad sincerissimam sapientiam perveniuunt in hoc statu; ceteris quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tu- tissimos facit.* Nos vero in præ-
senti loquimur de judicio evi-
denter moraliter, evidentia non
præcise absolute, sed respec-
tiva. Per quodque reconcilian-
tur haec sententiae.

13. Dubitabis hic: à quo principio proveniat hoc judicium prudentis credibilitatis? Varie loquantur in hoc punto AA.. Ego breviter, di-
co primo: quod tale judicium non provenit ex aliquo lumine supernaturali; & consequenter nec ex lumine gloriae. Est contra aliquos Thomistas. Prob. tamen: principium essentialiter obscurum, quale est habitus fidei, nullam virtutem continet, ut generet assensum evidenter, qualis esti judicium evidens credibilitatis. Ergo &c. Con-
firmatur: repugnat habitum ferri extra suum objectum formale; sed habitus fidei per se infusus habet pro objecto formaliter spe-
cificativo solam authoritatem divinam revelantem: & judicium evidens credibilitatis specifica-

tur ab argumentis assignatis, quæst. 1. huins: ergo habitus fidei nequit ferri in talia argu-
menta; cum hæc sint extra sphæram iui objecti; & conse-
quenter nequit esse principium talis judicij. Urgetur: adultus, qui ad fidem convertitur, ante*ii* fusionem habitus per se infusus potest habere, in modo de facto habet prædictum judicium? ergo &c.

14. Dices 1. contra
hoc: habitus fidei dicitur lu-
men à SS. PP.: ergo judicium
credibilitatis ab ipso procedit.
Prob. conseq.: si habitus fidei
est lumen, aliquid manifestat;
sed non manifestat mysteria;
cum hæc attingantur obscure:
ergo manifestat eorum credibi-
litatem. Resp. concep. antec.
negando conseq., & neg. mai-
probationis. Habitus fidei di-
citur lumen, in quantum elevat,
& illustrat proportionando in-
tellectum ad attingenda myste-
ria, quæ superant suum natu-
ralem captum; non quia ea
clare ostendit, sed quia nos il-
luminat in sensu explicato.

15. Dico 2.: tale judi-
cium evidens credibilitatis po-
test haberi naturali discursu.
Prob.: intellectus noster vi sua
naturali potest cognoscere, quod
quidquid gravibus fundamentis

suadetur, nequeat prudenter negari, sed debeat certo credi; sed intellectus hoc videns potest cognoscere mysteria nostrae fidei esse fulcita talibus signis, & argumentis, ut sint certo, & evidenter credibilia: ergo potest naturaliter formare judicium evidens de credibilitate mysteriorum nostrae fidei. Mai. constat: min. probatur: dari talia gravissima motiva, & signa partim experientia constat; partim ex contextibus historiarum, & etiam ex unanimi attestatione Universalis Ecclesie; sed ad hoc totum cognoscendum sufficit vis naturalis intellectus; & eo cognito, intellectus prudenter format tale judicium; ergo &c. Confirmatur: credibilitas rerum fidei nostrarum, juxta theologos omnes, convincitur evidenter ex signis credibilitatis; sed haec sunt ex se manifesta, & apta ad convincendum quemlibet intellectum bene affectum, & non obstinatum; ergo &c.

16 Dices I.: judicium evidens credibilitatis est per se requisitum ad fidem: ergo cum fides sit virtus infusa, & supernaturalis, tale judicium credibilitatis debet esse supernaturale, & consequenter non procedit à vi naturali intellectus. Confirmatur: tale judicium

est aliquod initium fidei; nam in medio illo disponitur intellectus, ut credat; sed initium fidei, aut dispositio ad illam debet provenire ex Spiritu Sancti gratia, ut testantur quamplura Concilia: ergo tale judicium non est à vi naturali intellectus, sed à gratia, seu aliquo lumine superno. Resp. disting. antec. argumenti: judicium evidens credibilitatis est per se requisitum, & se ipso insufficiens ad fidem, conc. antec.: sufficiens, nego antec. & conseq.. Itaque non omne per se requisitum ad fidem est quid supernaturale, ut patet in intellectu, & speciebus objectorum deservientibus ad fidem, quæ etsi prærequirantur, non tamen ex se sunt sufficientia.

17 Ad confirm. distinguo mai. tale judicium est initium *latum*, & *remotum* fidei, conc. mai.: initium *proprium*, & *proximum*, & prout initiat usurpatur a PP., & Conciliis, nego mai.: eisdem terminis disting. imbibita probatio; & inversis terminis distinguuntur minor, & negatur conseq.. Itaque medio tali judicio credibilitatis disponitur intellectus remotus; vel potius ut per quid removens prohibens, quam proprie disponens; nam

per tale judicium speculativum removetur judicium falsum credibilitatis aliarum sectarum, quodque posset obstare introductioni fidei. Unde conductitia huius judicij est omnino remota, sistendo in linea pure naturali.

18 Dices 2. : ex Apostolo : *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est*; sed per judicium evidens credibilitatis non solum cogitamus credere, sed etiam disponimus, & inducimur ad credere; cum quisque inclinetur ad credendum ea, quæ evidenter judicat digna fide: ergo sufficiencia ad tale judicium non est ex vi naturali intellectus: ergo eget lumine supernaturali. Respondeo ex Arausic. Can. 6., quod non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis prout opportet ad salutem sine gratia Dei; sumus autem sufficientes ad absolute cogitare, & credere; alias, quævis apprehensio rerum nostræ fidei deberet esse supernaturalis, quod satis alienum est à veritate. Unde explicata autoritate Apostoli ad minorem argumenti responderetur sicut in arguento antec.

19 Si quæras; cuius virtutis est judicium huius cre-

dibilitatis? Respondeo, quod si sermo fit de judicio speculativo, elicetur ab habitu scientifico acquisito per actus scientificos, quibus evidenter assentimur credibilitati objecti fidei. Ratio est; quia illud judicium evidens tunc primo elicetur recte, quando ex argumentis prudentis credibilitatis per bonam conseq. deducitur, mysteria nostræ fidei esse evidenter credibilia; sed conclusio recte deducta ex p̄missis debet necessario pertinere ad habitum scientificum: ergo &c.

20 Si autem sermo fiat de judicio evidenti credibilitatis practico subsecuto ad judicium speculativum, cuiusque muneris est dictare hic, & nunc, honestum esse credere, quodque est immediate directivum piaæ affectionis ad credendum; & etiam ostendit obligationem credendi hic, & nunc. De ergo judicio practico respondeo, pertinere ad virtutem prudenter. Ratio est; quia judicium practicum credibilitatis, consideratis motivis credibilitatis, & ipsa credibilitate in vi signorum cum omnibus circumstantijs, dictat honestatem actus fidei hic, & nunc; sed talis actus est actus prudentiæ: ergo &c. Res est parvi momenti.

DISP. VI.

DE PROPOSITIONE EX- TERNA OBJECTI; DEQUE PIA MOTIO- NE VOLUNTATIS PRÆREQUISITIS AD ASSENSUM FIDEI.

ANTEQUAM de fide, sive actuali, sive habituali agamus, necessum est, ut de omnibus prærequisitis ad ejus assensum sermonem prius habeamus. Inter quæ sane externa propositio objecti, piaquè affectio, seu motio voluntatis ennumerantur. Quare de his breviter nobis est tractandum. Sit ergo

QUÆST. I.

*An, & quæ propositio ob-
jecti externa sit ne-
cessaria ad fidem?*

EX numero 1. q.
antec. satis constat ex illo ad Romanos 10. quo-

modo credent ei quem non au-
dierunt: quomodo autem du-
dient sine prædicante? Quod propositio objecti externa est
necessario requisita ad fidem regulariter loquendo, & de
lege communi; non vero in
alia providentia; siquidem po-
test fieri talis propositio men-
ta-

taliter , ut accidit in revelatio-
nibus particularibus , Angelis
viatoribus , Adam , Prophetis , & erga aliqua mysteria
etiam Apostolis , ut patet ex
illo ad Galat. 1. : *non ab ho-
minibus , nec per hominem , sed
per Iesum Christum.* Per hoc
què satis constat resolutio quæst.
quoad 1. part.. Sed quia hæ-
retici tam antiqui , quam mo-
derni assertunt , solum debere
credi id , quod unicuique cre-
dendum Deus interne proponit ;
quamvis Lutherani , &
Calvinistæ admittant hanc ex-
ternam propositionem , dicunt ,
eam esse insufficientem , nisi
adjuvetur à proprio instincto
uniuersiusque ; ideo necesse
habui proponere brevitatem fun-
damenta hæreticorum , eaque
solvere.

2. Primum ergo fun-
damentum est illud Jeremiæ 31.
*dabo legem meam in visceribus
eorum , & in cordibus eorum
scribam eam.* Et infra : *non do-
cebit unusquisque proximum
suum.* Secundum ex illo Joan.
Epist. 1. cap. 2. : *non habetis
necessitatem , ut aliquis vos doceat ,
unctio docebit vos omnia.* Ter-
tium ex Epist. Jacobi 3. : *noli-
te plures Magistri fieri ; unus
est enim Magister vester ; sed
ex his , alijsque textibus Sac.
Scripturæ infectur , quoad ad*

credendum non est attendenda
propositio externa credibilis ;
sed solum debere credi id , quod
unicuique credentium Deus in-
terne proponit : ergo &c.

3. Respondeo : negan-
do absolute min.. Nam in pæ-
dicto testimonio Jeremiæ non
negatur externa propositio , quæ
semper de facto requiritur ; sed
solum adstruitur necessitas divi-
nae revelationis , sine qua exist-
tere non potest externa pro-
positio , ut decet. Hinc divi-
nam revelationem vocat Div.
Aug. *doctrinam interiorē* , quæ
in mente omnium catholico-
rum infixa est. Immo ultima
testimonij verba clarissime stant
contra hæreticos ; cum dicant ,
non quemcumque posse docere
proximum suum ; quia hoc so-
lum competit Ecclesiæ , ut mox
dicemus ; sed ex hoc sequitur
quod non debet credi secun-
dum instinctum uniuersiusque :
ergo &c.

4. Ad 1. testimonium
ex Joan: dico , loqui de illis ,
quibus facta est revelatio im-
mediata à Deo ; in quo casu
non requiritur doctrina , vel
propositio externa ; sed casus
iste regulariter non contingit.
Vel loquitur de illustratione in-
teriori per auxilium supernatu-
rale adjuvans , & cooperans
ad

ad credendum. Ad testimonium Jacobi dico, expræsè loqui contra adstruentes varias, & oppositas doctrinas; quare hic refutantur hæretici, inter quos viget dissensio in doctrinis, & earum intelligentia. Quare sicut Christus Dominus unus est, ita & una fides.

5. Dices pro eis: si es-
set necessaria talis propositio
externa, hæc erit certa, vel
incerta pro qualitate proponen-
tis; sed homo proponens sem-
per est fallibilis: ergo fides
consequenter fallibilis erit, quod
nequit dici. Respondeo distin-
guendo min.; sed homo pro-
ponens secundum se solum con-
sideratus semper fallibilis est,
conc. min.: quando habet ho-
mo assistentiam promissam, a
Spir. Sancto, uti habet in de-
finitionibus eorum, quæ pro-
ponuntur de fide catholica, ne-
go min. & conseq.. Fides di-
vina dependet à propositione
externa Ecclesiæ, non utcum-
que, sed à Spir. Sancto imme-
diata edoctæ; & consequenter
ut excludentis omnem possibi-
litem fallibilitatem His pro resolu-
tione primæ partis quæst. præ-
jectis; pro resolutione secundæ.

6. Dico 1.: facta divi-
na revelatione toti Ecclesiæ in
Apostolis, Prophetis &c., &

nobis applicata per Ecclesiam
visibilem, scilicet, per defini-
tiones Pontificis ex Cathedra,
aut Sacra Concilia à Pontifice
confirmata, nulla alia requiri-
tur revelatio uniuersique facta.
Conclusio est omnium catholi-
corum, & probatur 1.; quia
Ecclesia Dei est columna, &
firmamentum veritatis, ut di-
citur 1. ad Timoth. cap. 3.:
constat etiam ex illo Deuter.
17., *siquid ambiguum, & diffi-
cile occurrerit, ascende ad lo-
cum, & Sacerdotes &c.* Deinde,
quia certum est, aliquando
oriti controversias inter ipsos
catholicos; sed frequentius in-
ter hæreticos contradictoria
inter se affirmantes: ergo quia
interior instinctus non sufficit
ad res fidei; cum hæc nequeat
docere contradictoria: ergo te-
nentur fateri ipsimet hæretici
aliquem interiorem instinctum
esse manifeste falsum; & con-
sequenter debent recurrere ad
aliam regulam superiorum, scilicet,
Ecclesiam cathol. Rom. sub suo capite.

7. Sed hic nota, quod
dùm Ecclesia proponit res te-
nendas de fide, non proponit
novam doctrinam, nec novas
revelationes, sed eas dumtaxat,
quæ in Sacra Script., & divinis
traditionibus implicite, seu ex-
plicitè repertæ sunt. Vide quæ
di

diximus disp. 2. huius, quæst. 2.
De quo reddibit sermo, Deo
dante, disp. ultim. huius.

8 Dico 2. : venienti ad fidem (idem est de pueris, & Rusticis) non est necessarium, quod propositio objecti credendi fiat expræsse nomine Ecclesiæ. Conclusio est satis communis. Prob. : non est necessarium prædictis hominibus, ut primo credant, quod in Ecclesia catholica est authoritas infallibilis ad proponeñda mysteria fidei ; quinimo ante hoc possunt credere plures alios articulos, ut ipsa experientia docet : ergo non est necesse, quod prædicti articuli jam crediti proponantur expræsse nomine Ecclesiæ. Prob. conseq. : in intelligibile videtur, quod articulus aliquis expræsse proponatur nomine Ecclesiæ, quin saltem simul credatur articulus iste : *Sanctam Ecclesiam Catholicam*: ergo sufficit, quod implicite credatur Ecclesia Cathol. ; & similiter sufficit, quod credens habeat animum amplectendi quidquid fides docet, in quo necessario implicite continetur Ecclesia.

9 Dixi, venienti ad fidem ; quia si credens ingenio pollet, & cognoscit Parrochum, aut concionatorem esse fallibilem, posseque decipere, & de-

cipi ; tunc necessario requiriatur, quod credat Ecclesiam, & ejus infallibilem autoritatem. Et per hoc respondetur ad illud dictum Div. Aug. contra Faustum, commemoratumque à N. Subt. Doct. : *Evangelio non crederem, nisi me authoritas Ecclesie moveret* : Ubi Sanctus Doct. loquitur de se ipso, vel de similibus hominibus, quibus expræsse nota est authoritas Ecclesiæ, sicut & notum est, homines qua tales decipi, vel decipere posse ; non vero loquitur in casu nostræ conclusio-
nis.

QUÆST. II.

*An ad assensum fidei sit
necessaria pia motio po-
sitiva ex parte
voluntatis ?*

I **N**oto 1. ex Philo. sophia, quod sicut voluntas dependet ab intellectu quoad propositionem objecti; *quia nihil volitum, quin precongitum*; sic intellectus pendet à voluntate quoad applicationem virtutis ad eliciendum vel non eliciendum actum, vel ad eliciendum actum contrarium.

rium; quia voluntatis est applicare intellectum *quoad exercitium*, hoc est, ad eliciendum, vel non eliciendum actum: & etiam *quoad specificationem*, hoc est, ad eliciendum assensum, aut, disensum. De utraque applicatione procedit difficultas: an, scilicet, intellectus in prebendo assensu fidei dependeat ab imperio voluntatis ipsum applicantis *quoad exercitium*, scilicet, ad credendum, vel non credendum; & etiam *quoad specificationem*, scilicet, ad credendum, aut discredendum.

2 Noto 2., certum est, debere dari aliquem actum positivum voluntatis, qui saltum remoto se habeat ad actus fidei; quia pro priori ad fidem infusam debet dari aliqua cognitio prudens, & deliberata credibilitatis; & cum hec cognitio non sit de rebus immediate, & per se notis, est necesse, quod voluntas applicet intellectum ad ita cogitandum, ad quam applicationem praecedat mediate, vel immediate aliqua cognitio necessaria, ne procedatur in infinitum. Difficultas non procedit de isto actu, sed de alio immediatiori ad assensum fidei.

3 Unde sensus difficultatis est: an ad actum fidei

theologica liberum, & meritorium sufficiat illa motio, seu imperium, quo voluntas imperat intellectui, ut discutiat motiva credibilitatis, quibusq; discussis, judicat objectum propositum esse evidenter credibile, ita ut, hoc judicio efformato, non sit necessarium aliud imperium voluntatis, sed sufficit non contramotio ex parte ipsius? Vel an posito tali judicio, maneat intellectus proxime liber, indifferens, & indeterminatus ad actum fidei, ne cum libertate exercitij, & contradictionis, sed etiam libertate contrarietatis, & specificationis?

4 Circa quam difficultatem tres communiter referuntur sententiae. Prima absolute tenet, quod ad credendum non requiritur alius actus, seu motio ex parte voluntatis praeter illum, quo voluntas applicat intellectum ad consideranda motiva evidenter credibilitatis; sed sufficit quod, tali judicio stante, voluntas non contramoveat. Sic aliqui antiqui, & etiam Nominales; quibusque expressè subscribit N. Sendin tract. 7. de fide controversia 10. Sect. 1. §. 1. citans Subt. Doct., omnesque Scotistas. Sed immerito quidem, ut videbimus, Secunda sententia assertit: om-

nem

nem assentium fidei requiri-
piam motionem positivam ex
parte voluntatis, & quidem im-
mediatam, & non solum quoad
exercitum, sed etiam quoad spe-
cificationem. Hæc est communis
Thomist., & R.R. sententia. Ter-
tia veluti media ait quod ad ali-
quos actus fidei requiritur motio
positiva voluntatis; ad alios ve-
ro non. Sic Mastrius, Pontius,
Laurea, Arbiol, & alij. Quid
nobis tenendum per sequentes
constabit conclusiones.

Prima Conclusio.

Omnis actus fidei
infusa petit motionem posi-
tivam ex parte voluntatis, ut
liber, meritotiusque sit; ita ut
non sufficiat mera non contra-
motio. Conclusio est N. Doc-
toris in 3 dist. 25. quest. 25. quest.
I. S. ullim videndum num. II.
ubi ait: *actus credendi dependet*
ex duobus, scilicet, habitu incli-
nante, & credibili presentato; non
quomodocunque, sed presentato
tamquam credibile: & adhuc
si sic presentatur, non necessario
credit intellectus, ut sic credere,
præcedit velle; quia proponens
credibile intellectui, non de-
demonstrat, ita ut cogat intellectu-
m ad assentiendum; ideo non
credit, nisi volens. Hæc Subt.
Doct. Et in calce quest. ait:

quaprovis voluntas si habeat im-
perium super actum credendi,
non tamen habet imperium
super oppositum, scilicet fi-
de, ut intellectus diffentiat credibili
proposito per imperium vo-
luntatis sed solum potest impedire
intellectum ne exceat in actu suum
credendi circa credibilia proposita.
Ex his autoritatibus postea co-
tra Sendin mentem N. Doct.
investigabimus. Nunc vero.

6. Prob. i. conclusio:
actus credendi, adhuc suppo-
sito habitu fidei infusa, & ju-
dicio de evidenti credibilitate
mysteriorum, fit ex adjutorio
gratiæ actualis; sed hoc ipso re-
quiritur pia motio positiva ex
parte voluntatis immediata ad
actum credendi: ergo &c. Mai-
or est tum Tridentini Sel. 6.
can. 3. dicente: *Si quis dicerit,*
boninam sine præveniente Spi-
ritus Sancti inspiratione, atque
adjutorio, credere, & sperare
posse, sicut oparet, ut ei justifica-
tionis gratia conferatur, anthe-
ma sit. Tum, quia etiam in
justis ad omnia opera sancta su-
pernaturalia, & meritoria neces-
saria sunt auxilia actualia divi-
gratiæ ut definitum est; cum
ergo actus fidei divinæ infusæ
sint opera sancta supernatura-
lia, & meritoria (si cætera præ-
requisita adsint) ad ipsos requi-
ritur tale adjutorium gratiæ.

Prob. min. 1. dicutsus; ad puram omissionem, seu non contramotionem voluntatis non datur auxilium positivum gratiae; sed voluntas non impetrans, & merè negative se habens circa actum credendi, pure omittiteret: ergo non egeret adjutorio gratiae.

7 Respondent contrarij, quod ad actum credendi daretur auxilium gratiae, hoc est, ad actum, illum inquirendi, & examinandi motiva prudentis credibilitatis, & etiam ad judicandum, mysteria fidei esse evidenter credibilia. Hæc est communis responsio contrariorum. Sed contra: adhuc inventis motivis prudentis, & evidentiis credibilitatis, actus credendi est liber, saltim quoad exercitium, libertate proxima, ita ut in sensu composto talis inventionis possit omittere actum fidei: ergo ad hanc proximam libertatem non sufficit auxilium, & imperium investigandi talia motiva, sed ultra requiritur aliud auxilium, & imperium ad elicientiam ipsius actus fidei. Conseq. infertur.

8 Prob. antec.: 1. : discussio motivorum, & judicium evidentiis credibilitatis inferunt formaliter, quod objectum sit verum per necessariam consequentiam; quia judicare, quod aliquid sit evidenter cre-

bibile, valde diversum est ab assenso de eo, quod tale objectum sit evidenter verum, ut diximus quæst. 2. & 3. disp. antec. : ergo supposita discussione motivorum, & judicio evidentiis credibilitatis mysteriorum, veritas ipsorum adhuc manet in se obscura, & assensus manet ita proxime liber, ut possit omitti. Prob. 2. idem antec. : si urgente præcepto credendi, quis non credit, peccat: et si credit, stando in statu gratiae, meretur: ergo quia uterque actus tam credendi, quam omissiendi actum fidei, est liber; cum nemo mereatur in eo, quod vitare non potest.

9 Prob. 2. conclusio ratione: si non esset necessaria pia affectio positiva voluntatis ad actum fidei, maxime quia ante hanc jam intellectus esset determinatus ad ipsum actum fidei infusæ, & sufficeret non contramotio voluntatis; sed hoc est fallsum ergo &c. Maior est fundamentum adversiorum. Prob. min. si ante talem motionem voluntatis esset intellectus sic determinatus ad actum liberum fidei infusæ, vel esset determinatus ab objecto ipsius actus fidei, vel ab evidenti credibilitate ipsius objecti sumpta ex motivis extrinsecis ipsam suadentibus; sed ex neutro capite est determina-

natus intellectus ad actum liberum fidei infusæ : ergo Prob. min. quoad 1. partem primum determinatè intellectum, est illum convincere, & allicere; sed objectum actus fidei, scilicet mysterium, non potest convincere, nec allicere intellectum; cum maneat obscurum, & invidens, nec appareat intellectui: ergo nequit illum convincere, allicere; cum; cum à solo vero, & evidenti convincatur, & alliciatur.

10. Notandum est hic, quod hæc ratio adhuc tenet, supposita evidentia in attestante; nam hac supposita, adhuc est necessarium imperium voluntatis ad determinandum intellectum ad ipsum exercitum actus. Ratio est Doct. c. tom. 5. huius, in secunda authorit. qniam intellectus non cogitur ad assentendum, nisi media demonstratione, in qua reperitur intrinseca connexionem objecto, vel tamquam cause cum effectu, si fuerit à priori; vel tamquam effectus cum causa, si fuerit à posteriori; sed ut manet probatum disp. antec. quæst. 2. & 3., evidentia in attestante est extrinseca objecto attestato, nec cum illo habet aliquam intrinsecam connexionem: ergo nullo modo cogit intellectum quoad exer-

citum actus; sed ad summam quoad specificationem; quia non potest disentire objecto sic attestato: ergo manet liber quoad exercitum; & consequenter &c.

11. Prob. 2. eadem min. quoad eamdem part. si objectum sic determinaret intellectum, sequeretur, quod propositio objecto fidei, intellectus posset elicere actum erga ipsum, nolente voluntate; sed sequela est falsa; quia actus fidei theologicae necessario debet esse liber ergo &c. Maior constat; quia posita causa adæquata, & omnibus requisitis, effectus debet sequi, maxime si causa est naturalis, uti est intellectus. Nec valet respondere, quod talis actus fidei esset liber libertate remota, & mediata ratione motionis voluntatis, qua movet intellectum ad inquisitionem motiverum prudenter credibilitatis mysteriorum.

12. Non valet (inq am); quia Concilia, & P. P. dum dicunt, actum fidei esse liberum, loquuntur de libertate proxima: ergo non tenet responsio. Prob. antec.: Concilia, & P. P. concedunt actu fidei libertatem, quam negant actu scientiarum; sed isti competit libertas remota; quatenus in potestate libertatis est applicare intellectum

tum ad considerationem objecti necessarij, & scibilis, sicut est in ejus potestate applicare intellectam ad consideranda motiva evidenter suadentia credibilitatem mysteriorum; ergo Concilia, & P. P. concedunt actui fidei maiorem libertatem, quam medlatam, & remotam. Deinde actus fidei est meritorius; sed ad meritum non sufficit sola libertas mediata, & remota: ergo &c.

13 Prob. nunc illa minor principalis posita num. 9. quoad 2. part., scilicet, quod intellectus non est determinatus ad assensum liberum ex evidenti credibilitate ipsius objecti, orta ex motivis extrinsecis ipsam suadentibus: estò omnia signa extrinseca prudentis credibilitatis in mysteriis nostris fidei generant judicium evidens metaphysicè de prudenti eorum credibilitate, tamen non determinant intellectum ad præstantum assensum præ dissensu, seu præ carentia assensus. Clatius: licet determinet intellectum quoad *specificationem*, non tamen quoad *exercitium*: ergo ad hoc, quod determininet quoad exercitium, eget intellectus motione positiva voluntatis. Prob. antec.: talia signa non demonstrant evidenter connexio-

nem cum veritate talium mysteriorum: quia adhuc talia mysteria manent obscuri, & in evidentia, saltim phycè, & metaphysicè: ergo estò omnia signa &c. Antec. est Doct. cit. num. 5. ubi ait: *proponens credibile intellectui, non demonstrans ita ut cogat intellectum ad assentendum.*

14 Respondent contrarijs, negando i. consequiam. Ratio est; quia superposito tali judicio prævio evidenti credibilitatis, ad hoc, ut intellectus determinetur ad assentendum mysteriis, non requiritur imperium positivum voluntatis, sed sufficit, quod voluntas *non contramoveat*. Contra: posito illo judicio prævio evidenti credibilitatis, prout ponitur à contrarijs, jam voluntas non potest contramovere, aut impedire intellectum, ut assentiat mysteriis: ergo non est ad rem talis *non contramovet*. Prob. antec.: posito illo judicio prævio, quod est prius natura, iam intellectus est determinatus ab illo ad assentendum: ergo prout sic determinatus in illo priori ad non contramotionem, voluntas non potest contramovere, aut impedit intellectum, ut assentiat mysteriis. De hoc postea reddi-bit sermo.

Prob.

15 Prob. 3. conclusio : vel inventis motivis evidentiis credibilitatis manet intellectus ex eis determinatus ad actum fidei infusa tam quoad specificationem , quam quoad exercitium , vel adhuc manet indifferens? Sed primum nequit dici : et si secundum dicatur, sequitur nostra conclusio : ergo &c. Prob. min. quoad 1. part. in qua est difficultas : si intellectus utroque modo manet determinatus ad actum fidei infusam , determinatio illa non foret libera à non contramotione voluntatis, sed ad summum esset talis ab imperio prævio positivo voluntatis , quo intellectui imperavit querere motiva evidentiis credibilitatis: ergo non contramotio nihil jubar ad libertatem in actuali eliciencia actus fidei ; & consequenter impertinens est ad hoc. Prob. conseq. : nihil potest esse liberum in sui eliciencia ab aliquo subsecuto ad actum liberum ; sed non contramotio est quid subsecutum ad actum fidei infusa , si inventis signis evidentiis credibilitatis , intellectus manet utroque modo necessitatus ad actum fidei: ergo &c.

16 Respondebis : intellectum ex prævio judicio evidentiis credibilitatis manere

determinationi quoad specificatiōnem : hoc est , non potest dissentire : non tamen quoad exercitium ; quia manet indifferens ad assiduum , & omissionem assensus. Admitto responsum ; & quero ; à quo tollitur hec indeterminatio intellectus quoad exercitium? Non ab illo prævio positivo imperio voluntatis ad querenda motiva; nec ab inventione eorum: ergo à positiva motione voluntatis, ut intellectus de facto assentiat. Prob. antec. ; ea , quæ servant indeterminationem potentie, non determinant potentiam ; sed illud præsumi imperium voluntatis ad querenda motiva, & inventio eorum servant intellectum indeterminatum , & indifferentem ad actum , & omissionem actus , juxta responsum : ergo ab ipsis non tollitur prædicta indeterminatio intellectus.

17 Si respondeas , ramam indeterminationem tolli à non contramotione voluntatis, vel ab ipso intellectu, non contraveniente voluntate. Contra: non contramotio voluntatis est omissione imperij positivi ipsius voluntatis: ergo nequit tollere indeterminationem intellectus ad eliciendum actum fidei , vel omissionem illius. Prob:conseq.: indeterminativum additum in de-

indeterminato non facit determinatum; sed non *contramotio voluntatis* est indeterminativa indeterminationis intellectus ad actum fidei quoad exercitium: ergo &c. Prob. min.: in ipso signo inventionis motivorum jam datur non contramotio voluntatis ad actum fidei quoad exercitium; nam tunc revera non contramovet voluntas, ut ponatur assensus; sed in illo signo, juxta contrarios, intellectus est indeterminatus ad actum fidei, & omissionem illius: ergo non contramotio voluntatis nequit esse determinativa hujus indeterminationis.

18 Nec potest tolli talis indeterminatio ab ipso intellectu, non contramovente voluntate; quia vel intellectus determinat se ipsum ad positionem actus fidei, vel ad omissionem illius; cum ad utrumque sit indifferens; sed nec potest dici, quod se determinet ad actum, nec ad omissionem actus; nam cum ex se non sit electivus unius præalio, non potest potius determinari ad unum, hoc est, ad actum fidei, quam ad alterum, hoc est, ad omissionem actus. Notate hoc bene.

19 Respondent tandem alij, intellectum determinari à non contramotione voluntatis; quia hæc non contramotio amplius dicit, quam carentiam

dilessus: quod probant; nam instantे p̄cepto de eliciendo actum fidei in instanti A v. g. si voluntas non imperat eliciētiā actus fidei, datur omissionis libera, & peccaminosa actus fidei; sed in voluntate non datur actus positivus: ergo abique actu positivo voluntatis potest dari omissionis libera, & peccaminosa actus fidei. Nunc sc; sed carentia actus positivi voluntatis est non contramotio voluntatis: ergo cū non contramotione voluntatis stat determinatio intellectus ad omissionem liberae actus fidei: ego etiam stabit cum non contramotione voluntatis eliciētiā, & determinatio intellectus ad actum liberum fidei.

20 Hac responso, meo videri, in æquivoco laborare videtur; quia omissionis libera, & peccaminosa actus fidei imputatur soli voluntati, quæ instanti A, in quo instabat p̄ceptum de eliciētiā actus fidei, debuit voluntas imperare talem eliciētiā: & dum omisit imperare, incipit omissionis libera, & peccaminosa actus fidei. At eliciētiā ipsius unicè ad intellectum pertinet: ergo omissionis imperandi eliciētiā actus fidei pro instanti A, in quo urget p̄ceptum, non intellectui, sed voluntati imputatur; cum

Cum imperare talem actum,
in quo stat libertas, attineat ad
voluntatem.

21 Deinde, quid distinctum est: non contramotio voluntatis, ac omissionis imperij voluntatis ad actum fidei; nam non contramotio solum infert carentiam positivi dissensus; quia dum voluntas positivè contramovet, intellectus eligit positivum dissensum fidei: ergo dum non contramovet, solum infert carentiam positivi dissensus; nam equiparanda est contramotio cum non contramotione; ergo si illa solum infert positivum dissensum fidei; hæc solum potest inferre carentiam positivi dissensus. Idem dicendum est de imperio positivo voluntatis ad positionem actus fidei, quod solum infert positionem ipsius: ergo consequenter omissionis huius imperij solum infert carentiam, aut omissionem elicentia huius actus.

22 Præterea, admissio, quod idem sit non contramotio, & omissionis imperij, adhuc non contramotio, aut omissionis imperij positivi voluntatis nequit determinare intellectum quoad exercitium ad actum positivum liberum fidei, quod sic ostendo: imperium positivum voluntatis determinat intellectum quoad exercitium ad hunc actum. ergo

non contramotio, aut omissionis imperij nequit determinare sic intellectum quoad hunc actum. Prob. conseq.: extrema indeterminationis in intellectu quoad exercitium sunt actus fidei, & omissionis ipsius: & in voluntate sunt imperium positivum, & omissionis huius imperij, seu non contramotio; sed imperium positivum voluntatis determinat intellectum quoad exercitium ad actum positivum liberum fidei: ergo omissionis huius imperij positivi, seu non contramotio, solum determinabit intellectum ad omnitem actum positivum fidei, & non ad actum positivum liberum fidei; & consequenter hæc non contramotio nihil faciet contrarijs.

Solvuntur argumenta.

23 Arguitur 1. : ex Subt. Doct. in 3. dist. 25. questi:
2. latter. sub num. 2. ubi ait: tunc dico, quod credibilitas, ut sunt presentia in se, sive in fide acquisita, vel infusa (licet hoc ultimo modo non sufficiant ad movendum intellectum ad actum) sed voluntas, ut dicas, simul moveat: Et virum est pro quanto movebat ad adquirendam fidem acquisitam (nota nunc) sed por-

ta fide acquisita , credibili praesenti , potest intellectus per habitum infussum credere , dummodo voluntas non contramoveat , nec plus requiritur . Hæc Doct. Et in num. 1. huius quæst. ait : sed contradictionem non video , quin intellectus si fieret mere persona , & haberet objectum presentis , possit intelligere , vel credere sibi presentato .

24 Hoc est unicum fundamentum Scotistarum nobis contrariorum ; ex quoque novissimè N. Gonz. Mattheo tenet , quod stante fide acquisita imperata à voluntate propter moriva , & judicium credibilitatis , non requiritur motio positiva voluntatis , sed sufficit non contramotio . Alij Scotistæ nobiscum consentientes in conclusione , respondent , sicut diximus disputatione 5. huius , q. 3. à num. 9. Sed his solutionibus in sua probabilitate relictis . Respondeo directe ex dictis tomo 6. disp. 3. tract. 16. quæst. 1. à num. 54. explicando propositionem Doct. ; Doctor ergo ibi non loquitur ex propria sententia , ut per sapientiam moris est , dum alias opiniones impugnat ; & hoc patet ex verbis , quæ immediate subiungit , scilicet : & estō , quod requiratur motio positiva , etiam sufficit voluntas ad sic

movendum in puris naturalibus . Unde ut hoc magis constet , sciendum est , quod Doctor in hac secunda quæst. Lat. agit contra Div. Thom. 2a. 29. qui assertebat , quod ut fides sit in intellectu , necesse est , aliquem habitum infussum esse in voluntate , quod constanter negat Doct. , ut postea videbimus .

25 Quare dum ait , quod posita fide acquisita , credibili presenti , potest intellectus per fidem infusam credere , dummodo voluntas non contramoveat , nec plus requiritur : sed contradictionem non video &c. in utraque ergo auctoritate solum loquitur arguitivè refutando fundamentum Divi Thomæ requiringens aliquem habitum infusum in voluntate , ad hoc , ut intellectus per fidem infusam credat . Si enim alia fuisset mens Subt. Doct. , frustra immediate adjunxisset verba proposita §. antec. : & estō , quod requiratur motio positiva voluntatis &c.

26 Quod ergo talis motio positiva ex parte voluntatis sit necessaria ad assensum fidei , adhuc supposita fide acquisita , & credibili presentato ; & quod haec sit genuina mens Subt. Doct. satis expressè constat ex auctoritatibus , quas num.

5. huius adduximus ex Doct. quæst. 1. huius dist. scilicet: *actus credendi dependet &c.* quamvis voluntas sic habeat imperium &c. Vide ibi. Quia sanè, si bene perpendantur, non solum probant contra Sendin, & alios Scotistas, sed etiam contra N. Gonzal. Math. Qui maiorem explicationem huius solutionis desideraverit, legat cursum almæ Provincie tom. 6. cit.; nam non est cùr amplius immoremur.

27 Arguitur 2. ideo intellectus egeret hac pia motione voluntatis, quia supposita fide acquisita, & judicio de prudenti credibilitate, adhuc maneret indifferens proxime, & immediate, vel quoad specificationem, vel quoad exercitium; sed hoc est falsum; ergo &c. Prob. min.: quotiescumque aliqua inter se necessario connectuntur, qui assentitur uni, necessario manet determinatus ad assentiendum alteri; sed supposita fide acquisita, & judicio evidenti de prudenti credibilitate alicuius mysterij, est necessaria connexio cum assensu supernaturali fidei infusso, dummodo voluntas non contramoveat intellectum ab illo primo assensu fidei acquisitæ, & ab illo judicio evidenti prudentis credibilitatis: ergo

manet intellectus necessitatus ad assensum fidei infusæ &c.

28 Respondeo, quod licet supposita fide acquisita, & iudicio evidenti prudentis credibilitatis, possit concedi, quod intellectus manet determinatus *quoad specificationem*, hoc est, quod non possit dissentire; falsum tamen est, manere determinatum quoad exercitium; & sic quoad hanc partem, nego min. argumenti. Ad probationem ipsius distinguo maiorem: quotiescumque &c. si talis connexio constet, necdum *moraliter*, sed etiam *physice*, & *metaphysice*, conc. mai.: si talis connexio constet solum *moraliter*, non *physice*, aut *metaphysice*, nego mai. Inversis terminis distinguo min., & nego conseq. Solutio hæc satis constat ex doctrinis, quas deditimus disp. 5. quæst. 2. & 3. agendo de evidenti credibilitate, & veritate mysteriorum nostræ fidei. Videte ibi.

29 Roboratur hæc solution ex N. Doct. cit. num. 5. huius dicente: *proponens credibile intellectui, non demonstrat, ita ut cogat intellectum ad assentiendum*, & ideo non credit nisi volens. Unde juxta Doct. solum veritas demonstrata, seu visa, cogit, & necessitat intel-

tellectum ; sed posita fide acquisita , & iudicio de evidenti credibilitate mysterij , veritas ipsius non est demonstrata , nec visa , sed unice est cognita obscure ; & inevidenter : ergo quia non manet necessitatus intellectus (saltim quoad exercitium) ad assentum fidei infusa : & cum alias non possit seipsum determinare ; quia non est potentia electiva unius præ alio , eget pia motione positiva voluntatis .

3º Arguitur 3. : potentia naturalis non impedita potest per se ferri in objectum sufficienter sibi propositum , duimmodo voluntas non contramoveat ; sed intellectus est potentia naturalis , & objectum fidei est sufficienter propositum , stante fide acquisita , & iudicio evidenti de prudenti credibilitate ipsius : ergo ut feratur in ipsum , sufficit non contramotio voluntatis , & nihil plus requiritur . Resp. dist. mai. : potentia naturalis &c. quando objectum est potens ex se potentiam determinare , conc. mai. : quando est impotens , nego mai. : inversis terminis distinguo min. , & nego conseq.. Itaque cum intellectus solum determinetur à veritate objecticlarè demonstrata , & veritas objecti fidei quantumcumque

proposita maneat obscura , & inevidens , hinc est , quod sit impotens ad ipsum determinandum , saltem quoad exercitium .

31 Arguitur 4. : ideo requireretur talis pia motio ex parte voluntatis , ut actus fidei sit liber , & meritarius ; sed ad hoc non requiritur : ergo &c. Prob. min. : illa libertas , seu motio voluntatis ad inquirendā motiva prudentis credibilitatis , & ad assentendum fide acquisita , sufficit ad hoc , ut actus fidei infusa sit liber , & meritarius : ergo &c. Prob. antec. : omnes illæ diligentia sunt imperata à voluntate : ergo in eis remanet libertas , quæ influat in actum credendi fide infusa . Prob. hæc conseq. : in probabili opinione Scotistarum , in assuefactis fidelibus ad credendum sufficit imperium virtuale voluntatis imperans recitationem symboli v. g. ad hoc , ut actus fidei circa singulos articulos ipsius sint liberi , & meritarij : ergo à pari hic , imperium voluntatis erga omnes illas diligentias erit sufficiens , ut actus fidei infusa sit liber .

32 Respondeo concessa mai. , neg. min. : ad cuius probationem , nego antec. : ad probat. nego conseq. ; quia ex dic

dictis num. 10. huius , juxta PP. & Concilia , actus fidei debet esse proxime liber ; alias non esset magis liber , quām actus scientiæ , cui competit libertas remota , in quantum est in potestate voluntatis applicare intellectum ad considerationem objecti necessarij , & scibilis . Ad ultimam probat. , omisso antec. ; quia , ut per sa-
pe diximus tam hic , quam q.
3. disp. antec. , nobis posuisse
non arrider doctrina talium Scoti-
stistarum , maxime respectu ac-
tus fidei infusæ meritorij for-
maliter ; sed quia gravium
Scotistarum est , inter quos N.
Sapientiss. Mastraij , omisso , in-
quam , antec. .

33 Nego consej. & pa-
ritatem . Disparitas est ; quia
meditationes , lectura , & aliæ,
diligentia fidelium , in quibus
stant actus fidei acquisitæ an-
tecedentes : actus fidei infusæ,
ordinantur ex ipso imperio vo-
luntatis ad exercendam ipsam
fidem infusam , & sic in eis vir-
tualiter perseverat imperium
voluntatis positivum , quo in-
cepitæ sunt . At vero , diligen-
tia ordinata ad quærenda mo-
tiva evidenter credibilitatis , li-
neat sicut linea operata à vo-
luntate , iamem moribus inven-
tis . item aliter finita est illa vo-
luntas secundum illam intentio-

nem operantis ; nam hec non
fuit ad credendum , sed solum
ad investigandam credibilita-
tem , aut incredibilitatem my-
steriorum : Qua invenia , fini-
tum est intentum , & voluntas
quærentis .

34 Arguitur 5. si ad
credendum fide humana non
est necessaria pia motio volun-
tais : ergo & ad credendum
fide divina . Antecedens con-
stat ; quia non est in mea po-
testate credere , dati Romani
omnibus id affirmantibus , &
nullo contradicente . Prob. con-
seq. non minor , immo maior
ratio datur ad hoc , et tot sig-
na evidenter credibilitatis my-
steriorum nostrorum fidei infalliti-
lia sint , quam ad hoc , ut tes-
timonia hominum , & historiæ
nobis fultere non possint . Ita
dicit Joann. 5. si testimoniū
bonum accipimus , eorū
non magis testimoniū Dei ,
quod minus est : ergo si ad cre-
dendum fide humana , dati Ro-
mani v. g. non est necessaria pia
motio voluntatis ; nec ad cre-
dendum fide divina mysteria
nostrorum fidei Confirmatur : Dœ-
mones credunt , & contremis-
cant ; sed credunt sine via af-
fectione voluntatis ; alias eorum
fides esset merititia : ergo nec in nobis requiritur talis
pia motio .

35 Respondeo 1. omisso antec., negando consequent., & conseq. probationis. Disparitas est ; quia assensus existentiae Romæ fundatur in motivo non obscuro , sed evidenti, scilicet , in impossibilitate reperita in eo , quod convenierint ad mentiendum tot homines testes oculares , & alias experti in testificatione veritatis. At, licet sint innumeri contestes fidelissimi in dicendo nobis veritatem mysteriorum fidei , tamen non sunt testes oculares ; & sic motivum semper manet obscurum , propter quod est necesse ad credendum , quod pia motio voluntatis determinet intellectum.

36 Respond. 2. antecedens esse verum , quando res dicta , aut scripta est ita factibilis , ut nullam patiatur difficultatem ; si vero est valde ardua , & extraordinaria , & alias Auctor ipsam narrans in ipsa historia aliquid falsum scripsere , tunc non tam facile intellectus assentitur , & in hoc sensu falsum est antecedens. Cum ergo motiva nostræ fidei , estò habeant maiora motiva , quam fides humana , sint tamen ex his rebus , quæ continent difficultatem ; quia aliquomodo videntur esse contra ea , quæ

naturaliter percipimus , ut mysticum Trinitatis , Incarnationis , Passionis , Eucharistiae , & alia huiusmodi : & ultra hoc ipsum objectum formale , seu intrinsecum motivum credendi sit extra cursus retum , quas percipimus , scilicet , Deum loqui cum hominibus , quibus ea revelavit ; hinc est , quod est necessaria pia motio voluntatis , ut firmiter credantur , & absque hæsitatione , captivantes intellectum in obsequium fidei , ut air Apost. 2. ad Corinth.

37 Ad confirmationem dico , quod Dæmones non ex sola evidentia signorum , sed quasi coacti , & inviti , Deo determinante , & quasi cogente intellectum , credunt , ut mysteria in nostram salutem operata , & lex gratiæ à Christo Dominò instituta , sint ipsis in pœnam , & cruciatum , sicut nobis actus credendi est initium salutis , & justificationis. Unde semper ad credendum est necessaria pia motio voluntatis , vel ipsius credentis , ut evenit in nobis ; vel voluntatis superioris , ut est in Dæmonibus , quorum intellectus detinetur invitus ad ipsorum pœnam in consideratione plurium objectorum , sicut detinetur in consideratione ignis.

38 Arguitur 6.: supposito judicio evidenter credibilitatis proponente mysteria nostræ fidei esse à Deo revelata, & obligatione hominis ad ea credenda, ut pote munera tot signis, homo non potest non ea credere, dummodo voluntas non contramoveat: ergo non eget pia motione. Prob. antec.: evidenter credibilitatis, & obligationis credendi, supposito judicio evidenti ipsorum, non minus ligant intellectum ad credendum, quam præmissæ ad elicendam conclusionem; sed posito assensu præmissarum, nequit non intellectus elicere conclusionem, & ipsi assentiti, dummodo voluntas non contramoveat: ergo &c.

39 Resp. neg. absolute antec.; quia judicium evidenter credibilitatis non proponit evidenter talia mysteria esse à Deo revelata, nec proponit evidenter obligationem ipsa credendi, ut per sapientiam diximus. Ad probat. nego maiorem; quia præmissæ evidentes omnino necessitant intellectum ad assensum conclusionis; cum veritas huius, ut virtualiter contenta in veritate præmissarum, constet evidenter metaphysica, ut proprius, & intinsecus effectus

illius; fecus vero est de judicio evidenter credibilitatis; quia cum ipso stat, quod veritas objecti credibilis obsecare cognoscatur.

40 Arguitur ultimo: multoties fideles, dum actu credunt, non experiuntur imperium positivum voluntatis; ergo absque tali imperio credunt. Antec. pater; quia si ab ipsis quæras, quid faciunt dum credunt? Nullam facient mentionem de tali imperio: ergo. Resp. negando antec., & antec. probationis. Si enim prædicti interrogentur, an velint credere, dum credunt? Certè respondebant, quod *si*, & quod voluerunt credere, dum actu cum deliberatione credebant, in quo satis relucet actus possitivus voluntatis. Alia plura argumenta contra istam conclusionem proposita sunt disp. 4. huius, quest. 1., & disp. 5. quest. 2. & 3. Vide ibi.

Secunda conclusio.

41 Proposito judicio evidenti evidenter credibilitatis mysteriorum nostræ fidei, in sensu composito talis judicii, intellectus manet determinatus quoad specificationem ad assensum fidei. Idem assero, supposta

sita evidētia completa in attestante. Hęc conclusio meo videri est expressa Subi. Doct. in 3. dist. 25. quest. 1. in fine, ubi sic concludit: *quamvis autem voluntas sic habeat imperium si per actum credendi, non tamen potest imperium si per oppositum actum, scilicet fidei, ut intellectus dissentiat credibili proposito per imperium voluntatis; sed solum potest impedire intellectum, non exeat in actum suum credibili, eicitur circa credibili 1a prop. sita.* Hęc D. et. in quibus expresse continetur conclusio. Et ex ipsis sic.

42. Probatur conclusio ratione: in sensu composito evidētis judicij de evidēti credibilitate mysteriorum nostrę fidei, non est aliquid motivum: propositum intellectui ad hoc, ut possit discredere; nec voluntas potest imperare dissensum: ergo intellectus manet necessaria us quoad specificatiōnem. Prob. antec. quoad 2. partem: voluntas non potest imperare intellectui, ut figuratur extra suum objectum; sed objectum intellectus est verum, vel evidētis, vel probabili-
tate apparet: & in sensu constat evidētis judicij credibilitatis, non est aliquid evidētis, vel probabile verum, erga quod figuratur intellectus, ut ex

terminis constat: ergo &c. Confirmatur: nequit voluntas imperare intellectui, ut judicet falsum, quod ipse evidētis judicat esse verum; sed posito judicio evidētis credibilitatis, & in sensu composito ipsius, intellectus noscit evidētis, tale mysterium esse verum: ergo nequit voluntas imperare intellectui, ut judicet, esse falsum; & consequenter nequit ipse possitive dissentire.

43. Dices contra hoc: quāplurimis infidelibus propounderunt motiva credibilitatis nostre fidei tam ev. d. n. ier, quam possunt proprii; sed nihil omnines non credunt, sed positive diligunt ex imperio voluntatis; alias non peccarent: ergo quia in sensu composito &c. Respondeo, quod in his casibus illa motiva fidei propagantur illis sufficienter externē scripto, aut verbo; non tamen ab eis interrē sufficienter percipiuntur: quod in quibusdam oriunt ex habendine ingenij; in alijs ex maiitia, ex pravo affectu erga fidem, & ex pertinacia, qua suis adhætent erroribus. Unde, ut convertantur agent peculiai gratia Dei, qua eorum voluntas à tali pertinacia removeantur, & concipiant deudetur amplectendi

veram fidem; quod quidem desiderium dici potest proprius affectus voluntatis.

44 Quod autem posita evidētia completa in attestante, intellectus maneat necessitatus quoad *specificationem*, non vero quoad *exercitium*; sic quoad 1. partem probatur eodem fundamento, ac conclusio p̄æcedens; nam supposita tali evi- dentia, licet intellectus non habeat evidētiam metaphysicam de veritate objecti propo- siti, habet tamen evidētiam moralem ipsius, ut ex professo probavimus quæst. 3. disp. 5.; sed cum evidētia morali de rati- li veritate manet intellectus necessitatus quoad specificationem, seu ut non dissentiat positive tali mysterio: ergo &c. Quoad 2. partem constat ex dictis num. 10. huius; quia intellectus non cogitur ad assen- tiendum juxta Doct. s̄æpe cit., nisi media demonstratione, quæ non habetur per meram evi- dentiam in attestante, ut dixi- mus quæst. 1. disp. 4.

45 Si tamen pro fine huius quæstionis à me quæras: quid sentjam de opinione affe- rente, quod in fidelibus habi- tuatis, & assuetis ad elicien- dos actus fidei Christianæ aliquando sufficit imperium vita-

reale voluntatis, scilicet vo- luntas considerandi, & creden- di articulos fidei? Fateor inge- nuè, quod est satis probabilis, tum probabilitate extrinseca; eam namque tenent ex nostris Mâstrius, Laurea, Arbiol; ex extraneis Suarez cum alijs: tum probabilitate extrinseca fundata in experientia, quam multoies recitando symbolum fidei elici- mus actus fidei erga omnes ipsius articulos, q̄ in experiamur circa omnes, & singulos actus expr̄sum imperium voluntatis. Vide quæ diximus in solutione argumenti 4. num. 33.

QUÆST. III.

*An hęc pia affectio volun-
tatis ad credendum debeat
esse supernaturalis?*

I N ILst quentius in ore Thomista- rum, quām carpere Subt. Doct. de eo quod in hoc puncto sa- piat Semipelagianissimum, eo quod in hac quæst. 2. Latter. videatur docere, quod ad ac- tum fidei supernaturalis insufflare sufficiat pia motio voluntatis naturalis, seu ex viribus na- turæ. Sed quo fundamento ita acriter

scr̄ter in Subt. Doct. insurgant,
& clamitent ? jam videbimus.
Nunc vero pro resolutione dif-
ficultatis sit

CONCLUSIO.

2 Pia affectio voluntatis, qua movet intellectum ad actum fidei supernaturalem, & meritorium, debet esse supernaturalis. Est communis inter Theologos. Prob. 1. ex Concil. Arausic. 2. Can. 5. abi ait : *si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, id est, ipsum credibilitatis effectum, non per gratiam, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, corrigenter voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse, dicit : Apostolicis dogmatibus contrarius approbatur* : ergo juxta hoc concilium, ipsa pia credibilitatis affectio est supernaturalis, ut pote ex Dei gratia, & Spiritus Sancti inspiratione. Confirmatur ex Trident. ses. 6. cap. 6. ubi dicit : *disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum existati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum credentes &c.* : ergo &c.

3 Prob. 2. conclusio ratione deducta ex his autho-
ritatibus : si illa pia affectio credendi, quam vocat Arau-
sicanum, *initium fidei*, non esset supernaturalis, sed naturalis, & ex solius naturae viribus elicita, nostrę salutis initium esset ex nobis, & non ex gra-
tia, quod haereticum est : ergo &c. Prob. antec. : initium nos-
trę salutis est fides ; sed initium fidei est hæc pia affectio vo-
luntatis : ergo &c. Mai. est certa. M. n. constat ; quia hæc
pia affectio est ultima dispositio ad fidei exigens positionem
actus fidei supernaturalis ; cum intellectus sic imperatus nequeat non obediēre voluntati : ergo &c. Confirmatur: omnis affectus ex divina gratia procedens est supernaturalis ; sed pia voluntatis affectio procedit ex divina gratia, ut constat ex utroque Concil. allegato : ergo &c. Nota, quod hic solum dicimus, quod talis affectio est supernaturalis : an vero sit solum su-
pernaturalis quoad modum : an quoad substantiam ? Dubitant Theologi. Sed de hoc disp. 8. agendo de supernaturalitate ac-
tus fidei.

4 Arguitur 1. : ex dictis quest. 4. à num. 15. disp.
5. judicium evidens credibili-
tatis mysteriorum nostrę fidei
non

non est supernaturale, sed potest haberi naturali discursu: ergo nec pia affectio voluntatis erit supernaturalis. Conseq. constat; quia tale judicium est per se requisitum ad fidem, non minus, ac pia affectio voluntatis: ergo si illud non est supernaturale, nec ista. Resp. conces. antec., neg. conseq.: ad cuius probat. neg. antec.. Disparitas ergo inter judicium, & piam affectionem est; quia illud requiritur remotè, & est remotum initium fidei, pia vero affectio requiritur proximè, estque initium proximum fidei. Vide dicta ibi, num. 16. & 17.

5 Arguitur 2. principalius: ideo pia motio ex parte voluntatis esset supernaturalis; quia necessario, & indispensabiliter deberet provenire ex gratia Dei; sed hoc est falsum: ergo. Prob. min.: potest provenire ex viribus naturalibus ipsiusmet voluntatis: ergo non provenit necessario, & indispensabiliter ex gratia Dei. Prob. antec. ex Subt. Doct. cit. num. 1. huius, ubi ait: & effò, quod requiratur motio positiva voluntatis, etiam sufficit voluntas ad sic movendum in puris naturalibus; quia posset vero supernaturali presenti intellectui, posset voluntas movere intellectum ad intelligenti-

dum illud, dummodo in intellectu esset habitus inclinans intellectum in illud, sicut est in propositio: ergo juxta Doct. &c. Hoc, ut dixi, est fundamentum aliquorum Thomist. ad carpendum nostrum prius Doct. adeo acriter uti Semipelagianismum redolentem.

6 Miror sanè; quia Angelicus Doct., (cortice litterè solum inspecta) pluribi, clarissim Favere videtur Semipelagianismo, quod sic ostendo, quodlib. 1. art. 8. ad 1. ait: dicendum, quod naturali dilectione, qua Deus super omnia naturaliter diligitur, potest aliquis magis, & magis uti: & quando in summo fuerit, tunc est summa preparatio ad gratiam halendam. Ubi docet, dilectionem naturalem Dei in summo esse dispositionem proximam ad gratiam justificationis. Secundo, in 2. dist. 28. q. ait. 1. art. 4. ait: ad gratiam gratum facientem habendam, ex solo libero arbitrio potest homo se preparare: & post pauca: preparatio, que est ad gratiam, non est per actus, qui sunt ipsi gratiae aequaliter aequalitate proportionis, sicut meritum aequaliter premio; & ideo non sportet, quod actus, quibus homo ad gratiam habitudinem se preparat, sint naturali humana-

nam excedentes. Et in responsive ad 3. loquens de Convers. Paul. ait : cum se ad gratiam preparavit , gratiam consecutus est , non autem oportet , quod ante quam gratiam gratum facientem , acceperit , sibi aliquod lumen gratiae gratis data infusum fuerit. Omnes alia pene innumerat testimonia Angelici Praecept.

7 Nunc ergo Thomistis licet respondere ad 1. author. : dilectionem Dei naturalem super omnia non esse ex se dispositionem ad gratiam , nisi imperetur a charitate , vel conjugatur cum dilectione supernaturali , quo pacto non potest conjangi in homine lapso , quin habeat gratiam habitualem. Ad alias authoritates dicunt , sensum Div. Thomæ , esse , quod homo non indigeat alia gratia habituali ad recipienda gratiam sanctificantem ; non vero voluit Sanctus Doct. excludere dispositionem procedentem ex auxilio supernaturali ; sic ergo liberant Angelicum Praecept. ab omni censura ; cur ergo & nobis non licet respondere autoritati nostri Subt. Doct. dum ait , quod sufficit voluntas ad sic movendum in puris naturalibus ?

8 Respondeo facilius , conformiusque menti ipsius in-

prefato loco , negando min. & antec. prob.. Ad authorit. Doct., dico , quod per illam particulam in puris naturalibus solum excludit a voluntate omnem gratiam , vel per modum habitus infussi , vel alterius cursus supernaturalis , suppletis defectum talis habitus infussi in voluntate ; minime vero excludit consortium gratiae actualis prævenientis , & excitantis voluntatem ad imperandum assensum supernaturalem fidei. Hæc ergo necessitas nec directe , nec indirecte faciebat ad intentum Doct. hic , ut ad oculum patet , tum ex progressu quest. ; tum ex ipso titulo. Ex titulo , qui sic se habet : utrum , ut fides sit in intellectu , neceſſe sit aliquem habitum infusum esse in voluntate ; quod nullam connexionem habet cum necessitate gratiae actualis requirit ad credendum.

9 Constat etiam ex progressu questionis ; nam in solutione ad 2. ait : ita hic ad hoc , quod voluntas moveat intellectum ad credendum credibile , sufficit dispositio intellectus , & non est necessarium dispositionem proportionalem illi (nota ly proportionalem) ponи in voluntate. Infero : ergo dispositio proportionalis dispositioni ex parte intellectus est aliquis ha-

habitus ; cum ex parte intellectus ad credendum sit habitus fidei. Hanc ergo dispositionem per modum habitus supernaturalis infussi , negat Doct. , esse necessariam in voluntate , ad hoc , ut habitus infussus fidei exeat in suum actum credendi. Ex quibus omnibus liquidó constat , Subt. Doct. hic , per voluntatem *in puris naturalibus* intelligere voluntatem sine tali habitu , non vero sine auxilio gratia actualis moventis , atque adjuvantis ad sic pie movendum: (de quoque auxilio nihil egit Doct. in praesenti quæst.) nec agere debuit , cum ejus resolutio esset omnino independens à necessitate , vel non necessitate talis auxilij. Sed ut hoc apertius constet , sit.

Doct. in hac 2. quæst. Incident, seu Lateral. , sic dicta ; quia non est principalis distinctionis 25. , sed explicativa eorum, quæ dicta fuerunt in fine quæst. 1. huius distinct. 25. , ut hic notat commentator. Tractat ergo eam contra Angelicum Præceptorum 3. part. quæst. 24. art. 2. , & 2a. 2æ. , quæst. 4. art. 2. , qui partem affirmativam tueretur ; nobis vero cum ipso Subt. Doct. sit

CONCLUSIO.

2 Ad piam affectionem ex parte voluntatis non requiritur aliquis habitus supernaturalis infussus in ipsa. Est satis communis inter Theologos , & expressa N. Subt. Doctoris. Prob. 1. : voluntas media pia affectione supernaturali habita media gratia actuali , seu inspiratione Spiritus Sancti potest movere intellectum ad actum fidei supernaturalis : ergo non est necesse , quod sit habituata medio aliquo habitu superno. Conseq. constat ; quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Probat. anfee. : cathecumenus adultus ante justificationem debet premittere aliquos actus credendi , sperandi , ac diligendi Deum ; sed isti actus unice ex

QUÆST. IV.

An ad piam motionem voluntatis sit necessarius in ipsa aliquis habitus supernaturalis infussus?

HÆC ergo est diffi- cultas , quæ ex professõ tractatur à N. Subt.

aux illo supernaturali inspirante, & in flaminante sunt supernaturales: ergo ut voluntas imperet supernaturaliter actus credendi, sufficit auxilium supernaturale gratiae actualis: ergo & ut voluntas &c. Præmissæ sunt Concilij Tridentini ses. 6. pluries cit. Conseq. infertur.

3. Confirmatur: auxilium Dei actuale sufficit voluntati, ut eliciat actum contritionis supernaturalis, qui est ultima dispositio ad justificationem, ut dicitur in Tract. de gratia: ergo & sufficit voluntati, ut eliciat piam motionem determinantem intellectum ad credendum. Antec. constat in nostra sententia afferente, ultimam dispositionem ad gratiam non procedere ab ipsa gratia effectivè, sed à gratia actuali. Prob. conseq.: motio pia affectionis non est supernaturalior, nec maior actu contritionis: ergo si auxilium supernaturale sufficit ad istam, sufficiet & ad illam.

4. Prob. 2. conclusio: non est assignabilis habitus ad quem pertineat hæc pia affectio voluntatis: ergo non datur. Prob. antec.: quia vel pertineret ad virtutes morales; vel ad aliquam ex virtutibus theologicis; sed ad nullum ex his pertinere potest: ergo non da-

tur talis habitus. Prob. min. quoad virtutes morales, quia in nostris principijs ex dictis Tract. antec. dilp. 2. præter virtutes morales acquilitas non sunt regulariter admittendæ virtutes morales infuisse: ergo ab habitibus istarum, per negationem suppositi, nequit procedere hæc pia affectio voluntatis. Prob. eadem min. supra posita: talis pia motio nequit provenire ab habitu fidei, vel spe, vel charitatis: ergo à nullo ex his habitibus provenire valet. Prob. antec. quoad 1. patt.: habitus fidei inhæret intellectui; sed habitus non potest naturaliter operari extra potentiam, cui inhæret, nec puribus potentijs simul inhære-re, quod lequereretur, si ab illo procederet illa pia affectio: ergo &c.

5. Prob. idem antec. quoad habitum spei; siquidem hæc respicit bonum proprium, ut aliquomodo futurum, sicut dicemus tract. 6. huius: ergo nequit respicere piam affectionem. Prob. tandem, quod non ab habitu charitatis; nam potest peccator ante dilectionem Dei habere actum fidei propter motivum primæ veritatis, quo se disponat ad dilectionem Dei, ut docet Trident. Ses. 6. cap. 6.: ergo nequit provenire ab habitu cha-

charitatis. Confirmatur: non existentibus habitibus spei, & charitatis, potest esse habitus fidei, & ejus actus, ut patet in fideli perpetratā peccatum lethale desperationis, qui deperdit habitum charitatis, & spei, non vero habitum fidei; cum ex Trid. hic non deperdatur, nisi per peccatum infidelitatis: ergo si tunc eliceret actum fidei, pia motio ad ipsum non procederet ab his habitibus.

6 Arguitur 1. : in actu fidei datur specialis honestas specificans specialem virtutem à ceteris distinctam: ergo pia affectio voluntatis debet provenire ab aliqua speciali virtute. Prob. conseq.: voluntas moveretur ad imperandum actum fidei ex speciali honestate, quæ reperitur in ipso: ergo sicut hæc honestas distincta pertinet ad distinctam virtutem, sic & constituet specialem virtutem, à qua proveniat. Hoc argumentum in equivoco laborat Aliud enim est, piam affectionem voluntatis requirere necessario virtutem infusam inherenterem per modum habitus; & aliud esse actum alicuius virtutis. Primum negamus hic, & argumentum non probat; non vero negamus secundum; quia certum est, quod hæc pia motio, cum sit supernaturalis,

& habeat honestatem, ad aliquid virtutem impetrare debet: quænam hæc sit in fine questionis dicemus.

7 Arguitur 2. : licet actus supernaturalis possit fieri per auxilium supernaturale transiens, connaturaliter peti fieri per principium intrinsecum per manens: ergo et si pia motio possit fieri per auxilium actuale, connaturaliter tamen petit habitum permanentem.

Resp. conc. antec. neg. conseq. & paritatem. Tum, quia non est ita certum dari aliquem habitum infusum distinctum ab habitibus viciis theologiarum, propriumque virtutum mortalium, ut diximus num.

4. huius; ac est certum, dari habitus virtutum theologiarum per se infusos. Tum, quia supernaturalitas actuum virtutum theologiarum in probabiliori sententia est quoad modum; & sic ut illi connaturaliter fiunt, postulant habitum, secus vero ista. Vide N. Gonz. Matth. disp. 5. quest. 4. conclus. 1. & 2.

8 Arguitur ultimo: agens principale debet esse dispositum non minus ac agens minus principale; sed in negotio fidei voluntas est agens principale movens intellectum ad credendum: ergo sicut in

intellectu, qui est agens minus principale, ponitur habitus ad credendum; ita & in voluntate debet poni aliquis habitus ad movendum. Hoc est præcipuum fundamentum Div. Thom. Respond. disting. mai.: agens principale debet esse dispositum *proportionaliter* non minus &c. conc. mai.: debet esse dispositum *eodem modo*, nego mai., & concess. min nego conseq. Itaque, ut ait Subt. Doct. in hac quæst. 2. Later. num. 2. sicut in movente gladium ad ictum non est necessaria fortitudo ipsius gladij, sed satis est, quod habeat virtutem aliam motivam proportionalem distinctæ rationis; sic pariter in voluntate movente intellectum ad credendum sufficit proportionalis dispositio, qualis habetur per auxilium gratiæ, & non requiritur eadem dispositio, ac in intellectu, hoc est, per modum habitus.

9. Dubitabis hic: admissò, quod pia affectio voluntatis spectet ad aliquam speciali virtutem ab alijs distinctam; quia fertur in objectum formale distinctum ab objectis formalibus aliarum virtutum: ad quam virtutem spectabit? Circa hoc dubium, quod parum de te habet, variè sentiunt D.D.

Alij dicunt, pertinere ex intentione operantis in quam prædictam affectionem ordinat, seu ad cuius exercitium utitur illa: ut si vellit credere, quia Deus sic præcepit, erit actus obedientiæ: si vero ad præstandum obsequium, aut cultum Deo; erit actus religionis. Alij absolute dicunt, ex se pertinere ad virtutem obedientiæ. Alij ad Religionem: Alij, ad studiositatem: & tandem alijs tenent non spectare ad virtutem completam, sed ad incompletam inservientem fideli: Quid nobis tenendum inter tot opiniones?

10. Dico breviter: quod si hæc pia affectio debet dici specialis virtus, dici potest virtus *credulitatis*, seu *fidelitatis*: & sic vocari potest fides *appetitiva*, seu fides ad voluntatem spectans. Sic N. Mastrius, & Pontius. Prob. breviter: virtus voluntatis respiciens actum temperantiae partis sensitivæ dicitur, & vocatur temperantia: ergo similiter virtus voluntatis respiciens actum fid. i potest dici, & vocari fides. Conseq. paritate constat; & etiam quia sic appellatur, tū à Concil. Araus icano 5., dum ipsam affectionem voca effectum *credibilitatis*; tum à Div. Atig. de prædestinat. S. S. cap. 2. dum ait; voluntatem

credendi, esse fidem inchoatam.
Quod vero debeat vocari
fides appetitiva, seu fides mo-
ralis ad voluntatem spectans,

pater; quia per hoc dis-
tinguitur ab actu, & habitu
intellectus, quo creditur, qui est
fides puré intellectualis, & non
moralis.

DISP. VII.

DE FIDE DIVINA HABIL- tuali.

Explicatis in præcedentibus disp. his, quæ
ad fidem prærequisitantur, consequens est, ut de
ipsa fide, tam habituali, quam actuali, sermonem
instituamus. Sed quia fides habitualis, seu habitus
fidei est principium ipsius actus fidei, ideo in hac
disputatione de fide habituali loquemur, ut in
sequenti de actuali sermonem habeamus. Sit ergo

QUÆST. I.

*An sit, & quid sit fides ha-
bitualis theologica?*

EX dictis disp. I. quest.
I. num. I. habes

varias acceptiones huius nomi-
nis *fides*. Vide eas ibi; de ea enim
in præsenti loquimur in tertio
sensu ibi explicato, scilicet,
pro credulitate, seu assensu
intellectus, qui adhibetur ali-
cui aliquid affirmanti, & as-
serenti, & hoc propter ejus
authoritatem. Unde si he-
cuso

fuerit homo, aut Angelus proprio spiritu loquentes, fides eis adhibenda erit humana, & fallibilis ex se; quia licet nolint fallere absolute, tamen sunt fallibiles. Dixi proprio spiritu loquentes; nam si loquatur a spiritu Sancto, qui locutus est per Prophetas, & Angelos; tunc eis fides divina adhibenda est; cum sint solum instrumenta talis locutionis, & Deus causa principalis per se. De fide ergo divina habituali, sive respectu hominum, & Angelorum, prout loquentium spiritu Dei immediate per se revealantis, quaerimus in hac quæstione: an detur: & quid sit? Pro resolutione primæ partis.

2 Dico primo: in omnibus fidelibus datur habitus infusus fidei, qui dicitur, & est prima virtutum theologicarum; non primitate dignitatis, sed originis. Coclusio quoad omnes partes videatur de fide Prob. 1. ex Apost. 1. ad Corint. cap. 13. ubi ait: nunc manent fides, spes, & caritas; sed penitentia non convertit propriæ actibus, sed habitibus: ergo fides, quæ juxta Apostolum manet in omnibus fidelibus est habitualis. Confirmatur ex Trid. Ses. 6. cap. 7. aiente: in ipsa justificatione, cum remissione pec-

catorum, hæc omnia simul infusa accipit homo fidem, spem, & charitatem. Hac eadem veritas deducitur ex Concilio Vienensis sub Clem. V., ubi docet: quod virtutes, & informans gratia, iufunduntur quoad habitum in Baptismo; eamque vocat magis consonam dictis S. S., & duxit eligendam esse, tacro approbatæ Cœilio.

3. Prob. 2. conclusio ex Doct. Subt. in 3. Dist. 23. quæst. unic. §. ad quæst. ubi ait: opportet ponere fidem infusam propter autoritatem S. S.: sed non potest demonstrari fidem infusam inesse alicui, nisi presupposta fide, vel vellit creare scripture, & Sanctis; sed i fidei numquam offendetur. Unde con gruentialiter sic Doct. probat: Dei perficie est perficere, quando perficit. Unde si ut quando sanat aliquem secundum corpus, perficie s. nat, pro statu, in quo est, ita, & secundum animam; & quia in anima est imago Dei, secundum tres potentias, quæ deformata erant per peccatum, ita Christus resiformando, sicut perficit voluntatem per charitatem, ita intellectum per fidem. Nil clarius pro conclusione.

4 Dicitur in ipsa, quod fides habitualis sit prima vir-

tutum theologicarum , non
primitate *dignitatis* ; nam dig-
nior est charitas juxta Apoll.
cit. dicentem : *maior autem ho-
rum est charitas*. Sed est prima
primitate *originis* ; nam ut ait
Trid. ses. 6. cap. 8. : *ipsa est
humana salutis initium, funda-
mentum, & radix omnis justi-
ficationis* ; & Aug. cap. 13. de
agone Christiano ait : *est pri-
ma virtus, quæ animam Deo
subjugat.*

5 Dices tamen 1. con-
tra hanc conclusionem : Deus
nihil frustra infundit creaturis;
sed si Deus infunderet virtu-
tes supernaturales fidei, spei, &
charitatis , essent frustra , &
inutiles in multis , scilicet , in
Parvulis , & usu rationis ca-
rentibus : ergo &c. Resp. neg.
min. ; quia habitus solum di-
cuntur inutiles , quando nun-
quam possunt exire in suas ope-
rations ; at quando hoc solum
provenit ex aliquo impedimen-
to extrinseco , ut ex defectu
ætatis in infantibus , aut ex in-
dispositione organorum , ut in
fatuis , & amentibus , hoc non
probat inutilitatem talium ha-
bituum ; alias nec in dormien-
tibus , vel pro aliquo tem-
po re amentibus darentur tales
habitus ; cum pro illo tunc,
nequeant suas exercere ope-
rations ; quod est falsum.

6 Dices 2. : si talis ha-
bitus est ponendus , maxime ad
firmiter , certo , & infallibili-
ter credendum mysteria à Deo
revelata ; sed ad hoc non est
necessaria fides habitualis in-
fusa : ergo &c. Prob. min. : ad
hoc sufficit fides acquisita : er-
go &c. Hæc replica commo-
dius tolvetur quæst. sequenti.
Quare pro nunc concess. mai.,
neg. min. , & antec. probatio-
nis , quod ex ibi dicendis con-
tabit. Nunc vero pro refolutio-
ne 2. partis huius difficultatis.

7 Dico 2. quod fides
sic describitur ab Apostolo cap.
11. Epist. ad Hebr. : *est speran-
darum substantia rerum , argu-
mentum non apparentium.* Di-
citur *substantia* , non proprié,
sed analogice ; quia sicut subst-
itia est quid permanens , sic &
fides habitualis permanet in
intellectu : & sicut substantia
est primum principium , & fun-
damentum omnis compositio-
nis naturalis , ita & fides om-
nis justificationis. Ideo ergo di-
citur *substantia* , licet sit acci-
dens spectans ad primam spe-
ciem qualitatis , quæ est habi-
tus. Dicitur *argumentum* ; quia
sicut argumentum est via effi-
cax ad detegendam veritatem,
& ad certificandum intellectum

de ipsa, ita fides est principium, quo infallibiliter certificamur de rebus creditis. Dicitur denique non apparentium; quia mysteria fidei sunt obscura, & ænigmatica; nam juxta Apost. : vidimus nunc per speculum, & in ænigmate.

8 Sed quia hæc definitio Apostoli est mere descriptiva, ut iam alias diximus, & in ipsa non servatur rigor dialecticus; quatenus non dat per proprium genus, & differentiam: & ultra, quia est dissidium inter Theologos, an talis definitio competit solum fidei habituali: an vero actuali: an tantum fidei objectivæ; aut denique aggregato ex fide habituali, actuali, & objectivâ, distributione accomoda, quod probabilius judico in via nostri Doct. in 3. dist. 31. ideo aliam placuit apponere definitionem quidditativam,

9 Dico ergo 3., quod fides habitualis sic recte definitur: est quidam habitus supernaturalis infensus intellectualis ad intellectum pertinens, quo infallibiliter, & sine ulla formidine credimas à Deo revelationis, ob authoritatem ipsius, & est nostra justificationis initium, & reliquarum virtutum radix, & fundamentum. Dicitur ha-

bitus supernaturalis infensus, per quod convenit cum spe, & charitate, quæ etiam sunt tales. Dicitur intellectualis, quo infallibiliter creditur, per quæ differt, tum à spe, & charitate, quæ sunt principia sperandi, & diligendi Deum super omnia; tum etiam à fide aquisita, quæ licet sit objective supernaturalis, formaliter tamen naturalis est. Deinde hæc absolute fallibilis est; illa vero omnimodo infallibilis.

QUEST. II.

Ad quid sit necessaria fides habitualis infusa?

I **N**OTO 1., quod fides alia est infusa, acquisita alià. Prima est, quæ manet jam explicata. Acquisita vero est illa, quæ acquiritur ex lectione Sac. Scripturæ, vel ex auditu Magistri, quicumque hic sit, docens mysteria fidei. Prima, ut dixi, est absolute, & simpliciter supernaturalis, & infallibilis; secunda vero, licet sit objective supernaturalis, ut dicitur de Theologia; tamen formaliter est quid naturale; cum naturaliter acquiri possit.

2 Noto 2., fidem acquisitam poni ultra fidem infusam ad hoc, ut fidelis habeat notitiam credendorum; si enim fide acquisita careret saltim actuali, non posset (licet haberet fidem infusam) exire in actum credendi ignoraret enim, quid credere deberet. Per fidem ergo acquisitam habet notitiam credendorum, vel actualem, ut in prima, aut secunda auditione; vel habitualem, si habuerit repetitionem actuum, aut audiendi, aut legendi mysteria fidei. Unde hi habitus separari possunt; nam infantes habent infusum, & non acquisitum: & adulti cathecumeni, non baptizati, habent secundum, & non primum: sicut & heretici.

3 Noto 3.: quod in habitu fidei, sicut in alijs habitibus, duplex est effectus: unus in genere causae formalis, qui est reddere subjectum in Christianum, & membrum Christi. Alius in genere causae efficientis; quia est principium simul cum intellectu per se influens in astensum supernaturalem. Primus effectus est fidei infusae independenter ab acquisita, ut patet in recente baptizatis. Secundus nequit haberi regulariter sine fide acqui-

sita; quia ex Apostolo ad Roman. 10.: *fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi.* Unde in actu credendi, quæ à Deo revelantur, cum reperiuntur, & iuxnaturalitas, & maxima certitudo, & infallibilitas, & etiam maior, vel minor intensio actus, nec non, & vitalitas; nunc merito querimus, ad quid ponenda sit necessaria fides habitualis infusa ultra fidem acquisitam? Quæ difficultas, ut clarius resolvatur, per sequentes conclusiones resolvenda venit. Sit ergo.

Prima Conclusio.

4 Fides infusa requiritur ex ordinatione divina, ut sanet intellectum hominis, eumque membrum Christi Domini constituant. Dixi notanter *ex ordinatione divina*; nam metaphysice loquendo, totum, quod facit fides infusa, posset fieri per fidem acquisitam, medio supernaturali auxilio, licet esset diverso modo. Conclusio est N. Doct. cit. num. 3. Vide autoritatem ibi appositam. Prob. tamen ratione: intellectus creatus ex se est potentia mere naturalis, & infirma ratione peccati originalis, Christoque non unita; sed per fidem habitua-

Iem infusam ejus infirmitas sa-
natur, roboretur, & Christo
Domino unitur: ergo &c. Mai-
patet ex Apost. dicente: *sa-*
mus natura filii ira: infirmi,
& imbecilles, lutea vasa por-
tantes. Min. est Trid. t. 6.
cap. 8.: *fides est humana salu-*
tis initium &c.

licet, fidem, spem, & chari-
tatem: ergo &c.

Secunda conclusio.

5 Habitus infusus fidei est etiam simpliciter neces-
sarius ex ordinatione divina ad
elevandum intellectum creatum,
ut simul cum illo eliciat actus
supernaturales credendi. Est
Doct. loc. cit.. Prob. : intel-
lectus secundum se, ut pote
potentia naturalis, est impotens
elicere actum supernaturalem
credendi: ergo eget aliquo prin-
cipio supernaturali. Nunc sic;
sed hoc non est habitus acqui-
sisitus, nec iste simul cum auxi-
lio supernaturali: ergo. Prob.
min. quoad 2. partem; quia
fides, quæ est initium omnis
justificationis est permanens, &
wera virtus infusa, ut patet ex
Apost. dicente: *nunc manent*
fides, spes, & charitas: & ex
Trid. sel. 6. cap. 7. ubi ait: *in*
justificatione simul cum remis-
sione peccatorum hac omnia si-
mul infusa accipit homo, & *sol-*

Tertia, & ultima conclusio.

6 Habitus infusus fidei
etiam ponitur ex ordinatione
divina ob infallibilitatem ab-
solutam, maiorem certitudi-
nem, & intensionem assensus
supernaturalis fidei. Hæc con-
clusio etiam est Doct. cit. Prob.
quoad duas primas partes: as-
sensus supernaturalis fidei est
omnino infallibilis; ita ut ei
repugnet subesse fallum, ut
diximus disputat. 3. quæst. 3. &
est omnino certus certitudine,
necedum opinionis, sed etiam
certior assensu scientiarum na-
turalium, ut insinuavimus q.
4. disp. 4.; sed hæc infallibili-
tas absoluta maximaque certi-
tudo nequit oriri à fide acqui-
sita, cum hæc nitatur testimoni-
o humano: ergo debet pro-
venire à fide infusa. Prob. quoad
ultimam partem; quia quilibet
actus cæteris partibus intensior
est elicitus à potentia cum ha-
bitu, quam sine ipso: ergo etiam
requiritur ob intensionem ac-
tum fidei.

Solvuntur argumenta.

7 Arguitur 1. ex Doct. cit. sub num. 5. ubi docet, quod ut homini firmiter credat omnibus articulis reuelatis, & determinetur ad alteram partem sine oppositi formidine, non opparet posse fidei infusum, nec necessitas ejus potest ex hoc considerari. Et sub num. 16. excludit fidem infusam ob deceptibilitatem adhesionis, & infallibilitatem; quia haec omnia possunt haberi per fidem acquisitionem: ergo juxta Subt. Doct. fides infusa non est necessaria, nec ob infallibilitatem ab solutam assensu supernaturalis, nec ob ejus maiorem certitudinem. Resp. 1. quod Subt. Doct. ibi solutionem intendit probare, quod nulla est ratio metaphysica demonstrativa existentiae actualis fidei infusae supernaturalis, ut diximus num. 3. quest. 1. huius; non vero negat absolute necessitatem talis fidei; quia hoc ipse probat rationibus congruentibus.

8 Resp. 2. quod unice negat necessitatem fidei infusae propter firmitatem assencionis excludentem formidinem; ad hoc enim sufficit fides acquisita; quia haec est tuper opinionem,

quæ adhæret uni parti cum formidine alterius; non vult negare fidem infusam ob infallibilitatem, & certitudinem perfectiorum, & superiorum requisitam necessitatem in acta fidei divinæ ad salutem; qualis est certitudo, & firmitas repugnans cum fallitate, quamque actus non habet ex fide acquisita. Unde num. 18. in solutione ad primum principale ait Doct. sicut enim fides acquisita sufficiat ad assertum, & certitudinem assertus prout credere opponitur opinari; tamen non est ita perfecte certus, sicut cum fide infusa. Legatur atiente Doct. in prefata quest.

9 Arguitur 2. contra 3. partem: æqualis intensio, immo & maior potest orihi ex fide acquisita, quam ex infusa: ergo ad hoc non requiritur ista. Prob. antec. : hereticus intensissime credens mysteria falsa, sicut & vera, ita ut sit paratus effundere sanguinem ob defensionem omnium, habet intensiorem actuam, quam fidelis non sic paratus ad mortem subvendam; sed in tali heretico non est fides infusa: ergo. Confirmatur in cathechizato, qui absque fide infusa credit mysteria sibi edocita, ita firmiter, ut etiam sit paratus mori pro ipsis, quod non faciunt multi fideles, in illo est in

intensior actus fidei ; quam in isto : sed in illo non est fides infusa , sed solum acquisita : ergo cum acquisita potest haberi intensior actus , quam cum infusa.

10 Respondeo , quod talis firma adhesio heretici articulis tam veris , quam falsis , non provenit ex fide acquisita formaliter sumpta , sed ad summum ex fide subjectiva , & adhesiva ; immo forte proveniet ex pertinaci ; unde potius est dicendus error , quam assensus fidei . Ad illud de cathecumeno , dico , quod talis intentione non oritur à fide acquisita , sed ab auxilio superno ex suppositione , quod non sit justificatus per baptismum flaminis ; si namque hoc baptismo justificatus sit , tam tunc intensio actus ortum ducit ab habitu infusa fidei ; unde quod poterat habere per auxilium , habet ex ordinatione divina per habitum infusum fidei .

11 Arguitur 3. : absque fide infusa cum sola acquisita potest quis infallibiliter credere , vera esse , quæ à Deo revelata sunt ; supposito auxilio superno : ergo non est necessaria fides infusa . Prob. antec. : adulterus cathechizatus , & non dum baptizatus , nec justificatus , omni remoto dubio , &

formidine , certissime credit mysteria fidei , sibi proposita ; alias non admitteretur ad baptismum ; sed in isto est sola fides acquisita cum auxilio superno : ergo &c. Respondeo , verum esse , tale ipso assensum in cathechizado esse omnino infallibilem ; verum hæc infallibilitas non oritur à fide acquisita , ut pote absolute fallibili , sed ab auxilio superno , cui si-
cūt fidei divinæ nequit subsistere falsum ; ita nec isti . In justificato vero oritur & à fide infusa , & ab auxilio superno intellectum movente ad assensum supernaturalem : diversimodè ramen ; nam à fide infusa provenit tamquam à principio superno permanenti , & elicente simul cum potentia ; ab auxilio vero tamquam à principio excitante , & movente medo explicato disp. antec.

12 Arguitur ultimo : si fides acquisita concurrit cum infusa ad assensum fidei , hic erit fallibilis absolute ; sed hoc non est dicendum : ergo . Prob. mai. : quando duæ causæ concurrunt simul ad eundem effectum , effectus sequitur debiliorem partem : ergo si &c. Resp. negando mai. & disting. antec. probationis : quando duæ causæ &c. si pars debilior concurrit sub illa ratione , conc. antec.

ant. : si non concurrat , sed ut elevata per superiorem , nego antec. & consequent.. Totum hoc patet in intellectu respectu visionis beatificę. Intellectus est potentia naturalis ; & quia non ut naturalis , sed ut vitalis , & elevata per lumen gloriae concurredit ad visionem , ideo haec est absolute supernaturalis. Sic in praesenti : licet fides acquisita sit fallibilis ; quia tamen non concurrit , ut fallibilis , sed ut proponens credenda , & sic ut elevata per infusam ; ideo actuī fidei supernae , nequit subesse falsum. Ex dictis in tota hac quest. patet responsio replicę positę num. 6. quest. ant.

QUÆST. III.

An aliquis possit certo cognoscere se habere fidem infusam.

NON loquimur de sola certitudine morali ; de ista enim certum est , omnem fidem posse esse certum de sua fide infusa. Solum ergo est questio de certitudine evidenti , sive haec evidentia habeatur per demonstrationem , vel a priori , vel a pos-

teriori : & de certitudine fidei ; etiam de certitudine theologica : unde difficultas est , an aliquis possit cognoscere certo , se habere fidem infusam ; & hoc independenter a revelatione ? nam si Deus hoc alicut revelaret , talis esset certus certitudine fidei. In qua difficultate communior sententia est negativa contra Caietan. & alios vindicatos apud Mastriū hic disp. 6. quest. 14.. Sit ergo

CONCLUSIO.

Nemo absque revelatione Dei potest esse certus plusquam moraliter de sua fide infusa supernaturali. Prob. conclusio discurrendo per omnes gradus certitudinis : in primis non est evidens , dari talen fidem infusam per demonstrationem ; nam si hoc possit demonstrari , vel esset a priori , vel a posteriori ; sed neutro modo potest demonstrari : ergo &c. Prob. min. quoad primam part. : demonstratio a priori sit per causam omnino necessariam ; sed Deus , qui est causa talis habitus in linea gratiae , non est causa necessaria , sed solum libera : ergo &c. Prob. quoad 2. : ex actibus credendi nequit haec demonstrari ; tum , quia si

ne illo habitu possent produci actus ab intellectu mediante solo auxilio supernaturali; tum, quia cathechumeni credentes omnia, quæ eis proponuntur, ut à Deo revelata, & ab Ecclesia proposita, experiantur eisdem actus: ergo ex actibus &c.

3. Probatur, quod nec certitudine fidei; nam hac solum potest cognosci, quod est à Deo revelatum, & ab Ecclesia propositum; sed dato, quod sit revelatum à Deo, est fidem infusam in fidelibus per modum habitus: (quod aliqui negant) non est revelatum esse in hoc, vel illo individuo; cum hic præcindamus à revelatione: ergo &c. Confirmatur: certitudo fidei est certitudo omnino infallibilis, & absoluta, cui repugnat subesse falso; sed nullus in hac vita, independenter à revelatione, potest esse ita certus de sua fide, sicut nec de sua prædestinatione, gratia, aut perseverantia finali, ut docet Concil. Trid. ses. 6. cap. 12. & can. 16. ergo &c.

4. Prob. denique, quod nec certitudine Theologica: hæc habetur ex duabus præmissis de fide; vel ex una de fide, & alia naturali evidenter evidencia metaphysica, aut physica experimentali cognita; sed

nullo ex his modis potest quæ esse certus de sua fide habituali infusa: ergo. Min. quoad 1. partem probatur sicut in §. antec.. Quoad 2. vero sic: licet esset de fide, omnem rite baptizatum habere fidem infusam, non est evidens evidentia physica, me esse ritè baptizatum; quia non est evidens, baptizantem habuisse intentionem; quia hoc solum potest constare ex fide humana, seu ex dicto ojus: ergo &c. Unde solum restat, quod quis posset habere certitudinem moralem excludentem omnem prudentem dubitationem; consequenterque nullus fidelis potest prudenter dubitare de sua fide infusa, nisi appareat aliquid fundamentum ad oppositum judicandum.

Solvuntur argumenta.

5. Arguitur 1.: ex Div. Aug. 13. de Trinit. cap. 1. aiente: homo fidem suam tenet certissima scientia, tamque in se videt: ergo. Confirmatur ex Deo. cit. ubi ait: *sicut credo, Deum esse Trinum, & unum*, ita credo me habere fidem infusam, qua hoc credo; sed Deum esse Trinum, & unum credit certitudine fidei; ergo & habere fidem infusa-

fassam. Urgetur ex ipso dicente, quod non potest demonstrari, fidem infassam inesse alicui, nisi præsupposita fide. Infero : ergo hac præsupposita, potest aliquis hoc demonstrare; & consequenter poterit esse certus de sua fide habituali; vel certitudine demonstrativa, vel saltem theologica.

6 Respondeo ex ipso met Subt. Doct. in eodem loco: Div. Augustinum esse intelligendum de fide acquisita, genita ex actibus credendi: sic enim, sicut quis est certus evidenter, se habere aliquam scientiam ex eo, quod experiatur varios actus arguendi circa illam; ita similiter ex eo, quod habeat varios actus credendi mysteria fidei, est certus de sua fide acquisita. Ad confirmationem ex Doct. ipsum explico: *sicut credo* &c. prout ly *credere* opponitur sciti rigurose, conc. mai.; nam utrumq creditur, scilicet, *mysterium Trinitatis*, & *habere fidem infassam*: & non scitur rigurose; cum versentur circa objectum obscurum: prout ly *credere* dicit *unummodam infallibilitatem assensus*, nego mai. & conces. min. nego conseq.

7 Solutio est Doct. cit. *S. sed quid dicas: ubi ait sicut credo, Deum esse Trinum, & unum, & non scio, nee scire*

possum illud pro statu isto; si credo, me habere fidem infassam inclinantem in illud sicut verum, quod est in se verum. Unde scopus Scotti: hic principue versabatur excludenda circa demonstrationem rigurosam de existentia fidei infallæ habitualis. ex quo ad urgentiam, distinguo consequens: ergo hac præsupposita potest demonstrari fides habitualis infossa *demonstratione morali*, conc. conseq.: *demonstratione rigurosa*, nego conseq. Solutio latius constat ex dictis.

8 Arguitur 2. : ex Apost. 2. ad Corinth. 13. aiente: *vosmetipos tentate si estis in fide, ipsi vos probate*: ergo hoc potest probari à posteriori per effectum. Confirmatur: quilibet fidelis exprimitur, se credere mysteria fidei, prout à Deo revelata, & ab Ecclesia proposita; sed cognitio experimentalis est certa certitudine evidentiæ physice: ergo hac certitudine poterit aliquis esse certus de sua fide. Respondeo 1. autoritatem Apostoli debere intelligi juxta Glossam, vel de fide actuali, vel de acquisita; vel de certitudine moralis; non vero de fide habituali; nec de certitudine physica, aut metaphysica. Ad confirmationem, distinguo mai.: quilibet fidelis

experitur , se credere myl-
teria fidei *fide acquisita* , conc.
mai.: *fide infusa* , nego mai.; &
concessa min. nego conseq. So-
la ergo fides *acquisita* eadit
sub experientia ; & de hac,
sicut de quolibet alio habitu
acquisito , potest haberi ex-
perientia , seu certitudo physicas;
non vero de infusa , quæ non
generatur ex actibus.

9. Arguitur 3.: quilibet
Christianus eadem fide , qua
credit mysteria fidei , debet
credere se habere fidem ; sed
credit certo , & infallibiliter mys-
teria fidei à Deo revelata: er-
go &c. Prob. mai.: quilibet
Christianus tenetur credere suum
ad eum fiduci esse omnino in-
fallibilem ; sed hoc nequit
credere , quin credit eadem
certitudine ; se habere fidem
infusa , ex qua oritur infalli-
bilitys attensus : ergo &c. Res-
pondeo , negando ma. , & dist.
mai. probationis: quilibet Chris-
tianus tehetur credere suum as-
sensum esse omnino infallibilem
objective , conc. mai.: *subjective* ,
subdistingo mai.: *absolute* , nego
mai.: *sub conditione* , *quod sit rite*
baptizatus , conc. mai. , nego
min. & conseq.

10. Replicabis : ergo
sub conditione , quod sit rite
baptizatus , potest quis crede-
re certitudine fidei , se habere

re fidem infusam. Nunc sic;
sed potest quis evidenter se re.
se esse rite baptizatum , sicut si
est Sacerdos , se rite consecrassæ,
quod impossibile est sine bap-
tismo : ergo &c. Resp. conce-
dendo conseq. Et nego mina-
subsumptam , cum ejus imbibita
probatione; nam posset du-
bitare , vel saltem evidenter non
sciet , Ministrum baptisimi , vel
ordinis habuisse intentionem:
unde de hoc solum potest ha-
bere moralem certitudinem ex-
cludentem prudentem dubita-
tionem. Vide quæ diximus disp.
4. huius quæst. 4. à num. 25.

11. Arguitur 4. qui-
libet Christianus habet maiore-
rem certitudinem de sua fide,
quam de objecto cuiuslibet scien-
tiae ; sed de isto habet certitudi-
nem evidentem: ergo &c. Prob.
mai.: potius debet negare quod-
libet aliud , & se exponere
amissioni vitæ pro sua fide,
quam pro tuenda veritate cuiuslibet
scientiæ: ergo quia de illa
habet maiorem certitudinem.
Respondeo , neg. mai. Et & con-
seq. probationis. Disparitas est;
quia fides est necessaria ad sa-
lutem æternam , non vero scien-
tia ; & sic potius debet ne-
garé quamlibet scientiam , quam
veritatem nostræ fidei. Deinde ,
vita exponitur pro veritate
ob.

objectiva fidei iuenda, hoc est, quod non potest esse falsum, quod Deus revelavit, & Ecclesia proponit; non vero protuendo, quod in ipso sit fides infusa.

12 Arguitur ultimò: potest quis certo cognoscere, se habere actum fidei supernaturalem requisitum ad salutem æternam; sed ex hoc certo cognoscit, se habere habitum infusum, vel auxilium supernaturale, de quo est eadem difficultas: ergo &c. Prob. mai: potest certo cognoscere, se credere mysteria fidei; quia sunt à Deo revelata, quod pertinet ad ordinem supernaturalem gratiæ: ergo &c. Resp. negando mai., & mai. probationis; nam solum potest certo, cognoscere suum actum esse objective supernaturalem, quia lis cognitio eiim habetur à cathechumeno, immò ab heretico circa mysteria revelata; non vero potest cognoscere esse supernaturalem subjective, hoc est, quod sit à principio supernaturali se tenente ex parte potentias, & hoc intelligendum est tam de principio habituali permanenti, quod est fides infusa, quam de actuали, & transeunte, quod est auxilium supernum.

QUÆST. IV.

An habitus fidei sit unus:

& an practicus, vel
speculativus?

I SECUNDA pars huius

quæstionis plene resoluta manet tom. I. dilp. I.
q. 5. cursus huius aliae Provinciæ. Videte ibi; quia non est necesse quod in hoc amplius immoremur. Pro resolutione primæ, notate, quod fides potest sumi, vel solum pro habitu supernaturali infuso fidei, ve prout etiam includit habitum acquisitum, quo facilitatur intellectus ad cognoscenda mysteria credenda, sine qua fides infusa numquam exiret in proprium actum, ut patet in Parvulo baptizato, qui si non doceatur, aut non legat mysteria credenda, numquam credet determinatè. In præsenti ergo loquimur præcisè de fide infusa habituali; non vero de acquisita hi enim duo habitus specie differunt; cum fides acquisita regulariter nitatur testimonio humano; si que naturaliter acquisibilis; at fides in-

fusca, & est simpliciter supernaturalis, & nitor testimonio di-
vino.

2 Ratio dubitandi ergo ori-
tur ex illo Apostoli ad Ephes.
cap. 4.: *quod est unus Deus, una
fides, & unum baptisma*; ubi cum
non determinet de qua unitate loquitur, an de genericis;
an de specifica aethera; an ve-
ro de numerica; merito quæ-
ritur: qua ex unitatibus gau-
deat habitus supernaturalis in-
fusus fidei ad credenda omnia
eius mysteria? quantumcumque
diuerla sint, uti sunt de facto;
*ut Deum esse Trinum, verbum
fuisse Incarnatum: Canem Thobiae
movisse caudam.* Et nota, quod
licet quæst. moveatur de fide
infusa habituali, potest etiam mo-
veri de fide actuali: an, scilicet,
actus procedentes à fide infusa
sint, vel non sint specificè diversi.
Uttumque breviter resolvemus?
Sit ergo

Conclusio.

3 Fides infusa tam habitua-
lis, quam actualis est una num.
in quocumque fideli respectu
omnium credibilium, quantum-
cumque diversorum; & est in
omnibus fidelibus una unitate
specificè infusa. Est communis.
Prob. que ex Doct. in 3. dist.
23. quæst. unic. §. 2. de fide in-

fusca, ubi docet: fidem esse
Unam respectu omnium credibi-
lium, quia fides illa non respicit
sub proprijs rationibus, sed ut
revelata sunt à Deo; & concludit,
quod quamvis geometricalia,
& Physicalia, & quantuncum-
que diversa, & alterius rationis
introducerentur hic tamquam
credibilia, in omnibus esset una
ratio credendi, illa esse vera,
scilicet; quia revelata sunt à
Deo. Ex quibus sic probatur
conclusio ratione: Habitus
(idem dic de actu) desumit
suam unitatem ex unitate sui
objecti formalis; sed objectum
formale fidei est unicum, scilicet,
authoritas Dei revelantis; quan-
tumcumque objecta credend sint
diversa: ergo &c. Min. constat
ex dictis disp. 1. huius.

Solvuntur argumenta.

4 Arguitur 1. contra
probationem: authoritas Dei
revelantis est una num., sicut
ipse Deus revelans: ergo si ex
unitate objecti formalis atten-
ditur unitas fidei, hæc erit
una numero. Confirmatur: fi-
des est una, sicut unus est Deus;
sed Deus est unus num.: ergo
&c. Resp., quod authoritas Dei
revelantis est una num. in ipso
Deo; non vero terminative,
prout

prout denominat omnia mysteria revelata; licet enim omnia mysteria credantur praecitsé, quia à Deo revelata, & ideo in motivo credendi sint ejusdem speciei; quia tamen sunt multiplicita, & disparata; ideo fides habitualis erga ipsa est multiplex numero. Ad confirmat. dico, Apostolum non dicere, quod est una fides, sicut unus Dominus; sed solum unus Dominus, una fides, unum baptisma, quod proportionaliter descendam est de unoquoque; non vero uniformiter.

Arguitur 2.: fides est una unitate generica: ergo &c. Antec. constat ex Glos. super dictum Apostoli ubi ait: *una fides, non numero, sed generes, quia similis est in omnibus*: ergo &c. Respondeo, neg. antec. & explico Glossam: una fides non numero sed genere, sumpta fide objective, conc. antec. sumpta formaliter, & pro motivo credendi, nego antec., & conseq. ipsa enim Glossa ait: quod alia sunt, quae creduntur, & alia fides, quae creduntur. Et N. Lyra: *una fides, quia licet articuli multi in fide catholica, tamen omnes innituntur veritati divine propter quam assentimur eis, que est una.*

Arguitur 3.: actus fidei sunt specie diversi: ergo & ipsa fides habitualis, à qua procedant. Prob. antec. 1.; quia actus fidei alij sunt assensus, alij dissensus; qui specie different. 2. quia divisio propositionibus in affirmativam, & negativam, est generis in species: ergo assensus fidei affirmativus differt specie ab assensu negativo; seu dissensu. 3.; quia assensus praestitus mysterijs cum evidentijs revelationis specie differt ab assensu praetito sine tali evidentijs. 4. tandem; quia fides alia est implicita, explicita alia; sed fides implicita specie differt ab explicita; quia licet utraqne attingat idem objectum formale, tamen sufficit hoc ad diversificandos specie actus: ergo &c. Resp. distinguendo antec.: actus fidei sunt specie diversi materialiter, & entitative, conc. antec.: formaliter, & motivè, nego antec. & conseq.

Hac distinctione explicantur probationes. Prima; nam eodem modo, eodemque motivo, quo credo, Christum surrexisse à mortuis, dissensio, seu non credo, mansisse post triduum in sepulcro, & sic de omnibus alijs. Unde ad summum concluditur esse specie diversos assensum, & dissensum

sum materialiter entitative, non vero formaliter objective, & hoc sufficit ad salvandam divisionem propositionis in affirmativam, & negativam tamquam generis in species, per quod patet ad 2. probationem. Ad 3. concedo, tales assensus esse specie diversos, non formaliter, & motive; cum ambo nitanur eidem motivo, scilicet, authoritati divinæ revelanti; sed solum materialiter, & entitative. Ad ultim. dico, fidem implicitam, & explicitam etiam convenire in ratione formalis, & motivo credendi, licet differant penes magis, & minus: & sic licet ponantur differre specie materialiter, ut alij; nequit formaliter, & motive, quod erat necessarium.

8 Arguitur 4.: in alijs scientijs non sufficit unicus habitus; ergo nec in fide. Prob. conseq.: ideo in illis non sufficit; quia & periuntur variae difficultates diversæ; sed etiam in mysterijs credendis reperiuntur nam maior difficultas est credere mysterio Trinitatis; quam Deo, ut uno, Omnipotenti &c. ergo. R sp. conc. antec., negando conseq. Ali probationem distinguo min.: sed etiam in mysterijs credendis reperiuntur materialiter, & terminative,

concl. min.: formaliter objective, nego min. & conseq. Non sufficit unicus habitus in scientijs; quia ille difficultates non superantur per eadem media, ut difficultas arguendi per facilitatem precissam definitandi, ut dicitur in Logica. Attamen omnes difficultates in objectis credendis videntur ex eodem medio, scilicet, ex veracitate, & autoritate Dei revelantis; dummodo intellectus sincere captivetur in obsequium fidei.

9 Arguitur 5. ideo fides est una specificé, quia situtus eodem motivo specifico; sed hæc ratio est falsa; ergo &c. Prob. min.: ratio formalis assentiendi rebus fidei est auctoritas Dei revelantis; sed hæc non est eadem specificè in omnibus mysterijs revelatis ergo &c. Prob. min.: talis auctoritas, ut revelans, habet pro objecto pccatio ipse mysteria revelata; sed hæc sunt specificè, immo & genere diversa: ergo &c. Resp. neg. min. & min. probationis, ad cuius maiorem probationis, dico quod ad summum sequitur diversitas objectiva, & materialis in rebus fidei; non autem motiva, & formalis, de qua est difficultas. Fides enim non spe-

Specificatur a mysterijs in se, sed prout a Deo revelatis: & prout sic ratio formalis specificativa ipsius unica est.

10 Arguitur ultimo: fides viva specie differt a fide mortua: ergo habitus fidei, & etiam actualis non est una specifica. Prob. antec.: nam fides viva est meritoria vite externe; non vero mortua; sed quod est meritorium vite eternae specie differt ab illo actu, vel habitu, qui non est talis: ergo. Respondeo, disting. antec.: fides viva specie differt *intrinsecè*, & in ratione fidei a mortua, nego antec.: *extrinsecè*, & in ratione meritoria, conc. antec., & nego conseq. Itaque utraque fides, seu (ut melius loquar) eadem utroque modo considerata, eodem ntititur motivo; nam ex eodem motivo credit fidelis mysteria a Deo revelata, quando est in gratia, ac quando est in peccato letali.

QUEST. V.

An fides habitualis fit discursiva; & an distincta ab habitu theologico?

1 Ut monui quest. 5. disp. 2. huius. Num. I. a mul-

tum de nomine laborant Theologi circa istam difficultatem: pro cuius breviori, & clariori resolutione noto 1. quod non est sensus questionis: an fides sit discursiva, ita ut ex illa possent deduci conclusiones; nam hoc certum est; quia ex illa deducuntur omnes conclusiones theologicae, & tota nostra theologia in ea fundatur. Unde sensus est: an sit argumentativa, ita ut intellectus non assentiatur immediate alicui conclusioni, sed praescire propter premissas, ex quibus talis conclusio inferatur, ut accidit in scientijs, in quibus assertus conclusionis non est immediate propter se, sed propter premissas, ex quibus necessario sequitur. In hoc sensu procedit questione. Pro cuius clariori intelligentia.

2 Noto 2. quod est discriminem inter *discursum*, & *simplicem adhesionem*. Discursus enim in rebus fidei non solum nititur in prima veritate Dei, seu revelatione, sed etiam in lumine supernaturali, & naturali ipsius fidei, quo, superpositis ejus principijs, unum ex alio inferatur propter eorum necessariam connexionem. Sic deducitur per veram, & rigorem argumentationem vera-

rei revelatae ex veritate revelationis: & veritas necessaria revelationis ex summa Dei veritate, quæ non potest fallere, nec faili. *Simplex autem adbasio* est assensus ipsius intellectus rei revelatae, intendo solum primæ veritati ipsius, eiusque testimonio, quin ad hoc moveatur ex aliquo discursu, seu necessaria connexione unius cum alio.

3. Noto 3. quod discursus est duplex: unus formalis, alias virtualis. Formalis est, quando intellectus v. g. diverso actu assentitur conclusioni, ac præmissis; ita ut non assentiantur conclusioni propter se, sed præcisè propter præmissas, vel propter connexionem, quam habet cum ipsis: & tunc intellectus magis assentitur præmissis; cum eis assentiat proprie se quam conclusione, cui assentitur propter præmissas: ad modum quo voluntas magis amat finem, quam media, que solum amat propter finem. Discursus virtualis est, quando unico, & eodem acto intellectus assentitur obiecto conclusionis, & præmissorum; ita ut intellectus unico actu, & simplici habeat, quod posset habere per discursum formalem, & distinctos actus. Et hic modus assentiendi

rebus fidei verificatur in communiter credentibus; eodem enim actu credunt mysteria, revelationem, veritatem Dei, & omnia requisita ad verum assensum fidei.

4. Noto 4. quod discursus formalis, de quo solum est quælio (nam virtualis communiter conceditur) adhuc est duplex: unus procedens ex proprijs principijs, aut effectibus, qualis est demonstrativus, sive physice, sive metaphysice, de quo egimus disp. 5. quest. 2. & 3. huius. Alius vero procedens ex sola auctoritate dicentis, & de isto discursu formali solum agimus in praesenti. Circa quam difficultatem triplex est sententia: prima est absolute negativa, & est communis inter Thomid. & aliquos R.R.. Secunda vero absolute affirmativa, estqué communis inter Scotistas, ut teneat N. Mastr. hic disp. 6. quest. II.. Tertia vero sententia est veluti media; quæqué tenet, quod fides de facto non est discursiva; tamen absolute loquendo ei non repugnat, quod sit argumentativa. Hæc sententia ut pote reconciliativa extremarum, & auferens item de nomine nobis placet. Quare sit

C o n c l u s i o .

5 Fides non est discursiva formaliter de facto , licet hoc ei non repugnet. Prob. prima pars conclusionis ex Div. Aug. lib. 18. de Civitat. Dei cap. 41. ubi loquens de S. c. Script. ait : *quod illa commendata sunt nobis divinis eloquij quanvis per homines non argumentorum concertationibus inculcata , ut non hominis ingenium , sed Dei eloquium contemnere formidaret , qui illa cognosceret.* Subt. Doct. dist. 24. §. ad propositum ait : *quod si aliqua tradita in Sac. Script. probarentur ex alijs , non assentiret eis , quia sic probata ; sed cuilibet dicto in Canon. assentit , non quia probatur modo dicto , sed solum propter authoritatem , ratione eius immediate assentit omnibus traditis in Scriptura , & non uni propter alium per syllogisticum discursum:* ergo quia juxta Div. Aug. & Subt. Doct. fides non est formaliter discursiva , & argumentativa.

6 Prob. 2. conclusio : si fides esset discursiva , & argumentativa , intellectus magis assentiret revelationi propter quam credit rem revelatam,

quam ipsi rei revelata ; sed hoc est fallum , cum æquè credat utrumque : ergo &c. Mai. patet ex illo axiomate : *propter quod unumquodque est tale , & illud magis ; sed propter revelationem creditur rei revelata :* ergo &c. Min. 1. discursus patet ; cum æquè obscura sit revelatio , ac ipsa res revelata , ut docet Subt. Doct. cit.. Confirmitur : in omni argumentatione , ut pote modo sciendi , debet procedi à magis noto ad minus notum ; alias ignotum per æquè ignotum probaretur ; sed revelatio non est magis nota , quam mysterium revelatum : ergo &c.

7 Probatur ultimò hæc prima pars præcipue contra Mastri. : si fides est argumentativa formaliter , non solum debet esse talis extrinsecè , & à revelatione ad rem revelatam , sed etiam intrinsecè , & ex proprijs principijs ipsius fidei ; sed hoc secundum negat Mastrius : ergo &c. Prob. sequela maioris : tunc discursus formalis procedit ex proprijs principijs , quando conclusio probatur per aliqua principia , ex quibus necessario sequitur ; sed ita probatur , & probabilis est conclusio fidei : ergo. Prob. min. : veritas mysterij v. g. infertur tamquam ex causa præcisa saltim attestativa

ex veritate revelationis : & veritas infallibilis huius infertur ex infinita veracitate Dei, prout dicit infinitam sapientiam , ratione cuius non potest falli , & infinitam veritatem , ratione cuius nequit fallere ; sed infinita Dei veritas est principium , ex quo necessario sequitur veritas revelationis , semel quod detur: ergo &c.

8 Prob. conclusio quoad 2. part. , scilicet , quod absolute non repugnet fidei esse discursivam : non repugnat, Deum revelare omne verum etiam artificiale ; sed si Deus revelaret , quamlibet rem non solum quoad substantiam , sed etiam quoad modum inferendi unum ex alio , talis illatio esset de fide , ut patet ; & etiam discursiva; quia est verus discursus formalis , in quo proceditur , sive à revelatione ad rem revelatam , sive ex proprijs principijs , aut effectibus : ergo &c. Confirmatur; nam Deus potest revelare non solum , se esse Trinum , & Unum ; sed etiam rationem , qua ipse est Trinus , scilicet ; quia per intellectum generat Verbum se solo , & per voluntatem simul cum filio spirat Spiritum Sanctum ; & alia huiusmodi , quæ sunt omnino vera: ergo non repugnat &c.

Solvuntur argumenta.

9 Arguitur 1. ; ex definitione Apostoli: *fides est argumentum rerum non apparentium*; ergo fides est argumentativa. Confirmatur ex ipso Apost. ad Corinth. 15. ubi probat Resurrectionem mortuorum ex resurrectione Christi , & Div. Joann. Epist. 1. cap. 4. ait: *diligamus nos invicem , quoniam ipse prior dilexit nos*: ergo idem quod prius. Urgetur: nam sunt plures veritates de fide , quia deducuntur ex principijs fidei ; ut quod in Christo sunt duæ voluntates , quod dicitur ex eo , quod sunt duæ naturæ , scilicet , divina , & humana: ergo &c.

10 Respondeo ad 1. quod fides dicitur argumentativa , non quia in ea unum inferatur ex alio per syllogisticum discursum ; sed quia sicut per argumentum certificatur intellectus de re ; ita per fidem certificatur de mysterijs. Unde sicut non est *substantia* propriè , sed solum *analogicè* ; ita non est proprio argumentum sumendo illad , ut debet sumi. Ad confirmationem , nego , quod ex argumentationibus Apostoli , & Joan. sequatur unum credi proper-

ter aliud , seu quia infertur ex illo ; sed solum creditur propter autoritatem divinam id revelantem , nam ut ait Scotus , ita credidisset Apostolo simpliciter narranti resurrectionem mortuorum abique tali illatione , ac cum illa . Ad urgentiam nego similiter , tales veritates esse formaliter de fide ; quia deducuntur ex talibus principijs ; sed solum quia sunt a Deo Ecclesiæ revelatae , & ab ista ut tales definitæ .

II Arguitur 2. : tunc datur verus discursus formalis , quando unum creditur propter aliud , ex quo vere sequitur ; sed in fide unum creditur propter aliud , scilicet , res revelata propter revelationem : ergo &c. Ptc. mai. : sicut , quando unum diligitur propter aliud , sunt diversi actus , quorum unus est causa alterius , ut patet in volitione finis , & mediorum ; sic quando unum creditur propter aliud , sunt diversi assensus , quorum unus est causa alterius ; sed hoc sufficit ad verum discursum formalem : ergo &c. Confirmatur : in tali casu adsunt omnes conditiones necessariae ad verum , & formalem discursum , scilicet , quod intellectus intelligat hoc post hoc prioritate , & posterioritate naturæ : quod intelligat hoc per hoc , seu hoc se-

qui ex hoc : & denique quod hoc fiat ex diversis actibus ; sed totum hoc reperiatur in assensu fidei ; quia prius intelligit revelationem , quam rem revelatam : & assensus huius sequitur necessariò ex revelatione ; ac denique actus terminatus ad antecedens non est idem ac terminatus ad consequens : ergo &c.

12 Respondeo , distinguendo maiorem : tunc datur &c. , quando unum creditur propter aliud , propter connexionem alterius cum illo , conc. mai. : quando unum creditur propter aliud , tamquam per rationem formalē credendi , nego mai. , inversis terminis disting. min. & nego conseq.. Itaque eodem actu creditur res revelata , & revelatio ; cum ratio credendi illam sit revelatio , sicut eodem actu videtur objectum illuminatum , & illuminatio ; quia haec est ratiō formalis , vel ad minus conditio sine qua non ; ad modum quo revelatio respectu rei revelatae . Nec exemplum finis , & mediorum est contra nos ; nam licet unum propter aliud diligatur , ly propter dicens causalitatem , vel finalem , scilicet finis respectu mediorum ; vel effectivam , ut mediorum respectu finis ; nulla tamen est ratio formalis al-

terius. Coeterum in fide ipsa revelatio simul cum re credita est ratio formalis constituens unum objectum *quod* formale, & *adæquatum*: & sic utrumque eodem actu creditur; quia res ipsa non creditur secundum se, sed præcise ut substitut revelationi.

13 Ad confirmationem, possent omnia concedi, & responderi, quod illud, quod sequitur ex alio, non est objectum credendum formaliter; quia sequitur ex illo; hoc enim pertinet ad habitum theologiae; sed præcise creditur, quia est revelatum, ly *quia* dicente præcissam rationem formalem credendi. Unde non negamus, in fide posse fieri discursus, sed solum quod propter tales discursus res ipsæ revelatae credantur. Respondeo **2.**, eodem actu credi rem revelatam, & revelationem; & sicut possit intelligi unum post alium; & unum ex alio; negamus, quod hic modus intelligendi pertineat formaliter ad assensum fidei, sed solum ad assensum theologicum. Ex his

14 HABES resolutionem **2.** partis questionis, scilicet, quod habitus fidei infusæ sit distinctus realiter ab habitu theologiae. Hoc ostensum est in processualibus theologiae, & hęc-

viter ostenditur; quia fideles, infantes, & rudes, habent habitum fidei, & carent theologia. Per oppositum Theologus catholicus lapsus in hæresim caret habitu fidei, & tamen in eo remanet habitus theologiae erga ea mysteria, quę non negat: ergo hi habitus possunt separari; & consequenter realiter distinguuntur.

QUÆST. VI.

De subiecto fidei habitualis infusæ.

I DIFFICULTAS non procedit de subiecto immediato potentie, seu informationis, & inhalationis; quia cum fides habitus intellectualis sit; huiusmodi subjectum est intellectus. Procedit ergo quæstio de subiecto Personarum. Hoc est, an fides habitualis fuerit in Angelis Visitatoribus; in primis parentibus in statu innocentiae? An sit in Demonibus, & damnatis: in animabus Purgatorij: in Beatis: ac tandem in Hæreticis? De his omnibus procedit quæstio, breviter per varias conclusiones resolvenda,

2 Dico 1.: in Angelis Viatoribus sicut fides infusa habitualis, & similiter in primis parentibus in statu innocentiae. Probatur: ex dictis in tractat. de Angelis, & primo homine: isti non fuerunt creati in beatitudine supernaturali: ergo eam meruerunt, qui ipsam consecuti sunt: & qui non conseruati sunt eam, potuerunt illam mereri; alias mali sine demerito proprio fuissent ea privati, quod non est dicendum. Nunc sics; sed sine fide hoc est impossibile; nam ut ait Apostolus: *sine fide impossibile est placere Deo*: & Trid. ses. 6. cap. 8. *vocat fidem habitualem fundatum, & radicem omnis justificationis, & meriti*: ergo tam Angeli, quam homines in statu innocentiae habuerunt fidem infusam.

3 Dices 1.: Angeli habuerunt speciem quidditativam, & representativam Trinitatis, & cognitionem saltem abstractivam ipsis, ut probabiliter tenet Scotus in 2. dist. 3. q. 9. §. ad quest.; sed fides repugnat cum tali cognitione, ut diximus quest. 3. disp. 4.; ergo &c. Aliqui respondent, negando mai.; quia Doctor solum concedit Angelis speciem representativam Deitatis, non

vero Trinitatis. Sed omisi majori, distinguo min. ex ibi dictis; sed fides *actualis* repugnat cum tali cognitione, concedo min.: fides *habitualis*, nego min., & distinguo conseq.: ergo non habuerunt fidem *actualē* de tali mysterio, conc. conseq.: fidem *habitualē*, nego conseq.. Vide quæ ibi diximus conclus. 1.

4 Dices 2.: Angeli non habuerunt cognitionem de mysterio Incarnationis: ergo nec fidem. Antec. est D. Hieronymi supra illa verba Apostoli ad Ephes. 3.: *mysterij absconditi à seculo*, ubi ait: quia illud ignoraverunt omnes spirituales, & rationales creature: & etiam docet, quod Angeli ex prædicatione huius mysterij in Ecclesia multa didicerunt, quæ ante ignorabant: ergo quia non habuerunt fidem de hoc mysterio. Respond. neg. antec.: ad probationem dico, quod Div. Hieronymus solum intendit, Angelos ipsum ignorasse non quoad substantiam, sed quoad aliquam circumstantiam vel temporis, vel modi, quo erat determinatum, vel quoad fructum ex ipso sequendum in Angelis, & hominibus; quæque descendere potuerunt ab Ecclesia.

5 Dico 2. : in Dœmonibus , & damnatis non est fides habitualis infusa. Est communior , & probatur ex Div. Dyonis. cap. 4. de divinis nominibus , ubi ait : *damnatos carere omnibus divinis donis* ; sed fides est donum prætiosissimum: ergo &c. Confirmatur : fides juxta Apost. est *substantia sperrandum rerum* ; sed nec Dœmones , nec damnati habent aliquid , quod sperent de ordine superno beatitudinis : ergo &c. Tandem : per fidem supernaturalis infassam efficiunt membra Christi ; sed nec Dœmones , nec damnati sunt ejus membra: ergo &c.

6 Dices contra hoc : Div. Jacobus cap. 2. ait : *Dœmones credunt , & contremiscunt* : & comparat fidem nostram mortuam fidei Dœmonum ; nam ait : *tu credis , quia unus est Deus , bene facis , & Dœmones credunt , & contremiscunt* ; sed fides nostra , licet sit mortua , est vera virtus supernaturalis infusa : ergo & Dœmonum. Confirmatur: Christus est caput Dœmonum , & damnatorum ; nam influit in Dœmones , & damnatos aliquam gratiam , & beneficium , scilicet , quod puniantur *citra condignum* : ergo & ipsi sunt

membra Christi , & consequenter recipiunt fidem habitualem infusam. Ungetur : in damnatis remanet character , ut pote indeleibile : ergo & manet fides.

7 Resp. , dictum Divi Jacobi intelligi debere de fide acquisita , & coacta , quamvis illam comparet fidei nostræ mortuæ ; quia comparatio soli tenet in hoc , quod sicut fides Dœmonum illis non prodet ad salutem , sic nec fidelibus sua fides sine operibus. Ad confirmationem respondeo , quod etsi Christus aliquomodo possit dici caput Dœmonum , & damnatorum propter rationem in ipsa attractam ; non ramen est verum , & proprium ; nam ad hoc influxus , vel causalitas debet esse in linea gratie ordinis supernaturalis , natum ipsam elevans ad aliquod esse supernum , qualis non est diminutio poenarum , licet sit gratia , & beneficium indebitum. Ad urgentiam , nego consequent. , & paritatem ; quia in hæreticis , manet character , quin maneat fides habitualis , ut possea videbimus.

8 Dico 3. : probabilius est , quod in Beatis non datur fides habitualis. Est satis communis. Prob. 1. ex Apost. ad Chorint. 13. aiente : *cum venierit*

rit, quod perfectum est, eva-
cuabitur, quod ex parte est:
id est, cum venerit visio bea-
ta, evacuabitur cognitio per
fidem, ut pote obscura, &
xægomatica: ergo &c. Prob. 2.
ex Doct. in 3. dist. 31. ubi do-
cet, quod in Beatis nullus ha-
bitus est ponendus ibi manere
frustra ob solum ornatum animæ;
i.e. habitus fidei esset frustra in
Beatis: ergo &c. Prob. min.:
talis habitus inclinat ex ratione
sua in verum latens; sed objec-
tum fidei ibi erit patens intui-
tive; quia tunc videbitur facie
ad faciem: & sicuti est: ergo
&c.

9 Dices 1. contra hanc
conclusionem: Div. Irenæus lib.
4. aduersus hæreses cap. 25.
ait: Paulus inquit: omnibus cæ-
teris evanuitis manere fidem,
spem, & charitatem: ergo in
Patria permanet fides. Respon-
deo, Div. Irenæum esse intelli-
gendum de fide, & spe objec-
tive accepta, quatenus idem
objectum, quod hic credimus,
& speramus, videbimus ibi clare,
& distincte; non autem lo-
quitur de fide, & spe (maxime de
fide) nam de spe formaliter
capta dicam tractat. sequent.

ro Dices 2.: licet fides
habitualis non sit ponenda in
Patria propter objectum pri-

matum, tamen debet ponî
circa aliqua mysteria, ut pro-
babiliter docet ipsemet Subt.
Doct. cit. in 3. dist. 31. in res-
ponsione ad 3., ut videre est
apud ipsum: ergo. Confirmat-
tur in Beatis est potentia saltim
remota peccandi, & potentia
vegetativa, quamvis hæ neque-
ant exire in suum actum: er-
go nec erit frustra fides habi-
tualis, licet non possit proximè
inclinare erga suos actus.
Respondeo, quod Doct. ultimò
allegatus solu n probabiliter ju-
dicat, fidem manere in Beatis
respectu aliquorum mysteriorum,
non vero assertivè; qua-
re opositum hic, ut probabi-
lius judicamus, cum quo stat,
quod opposita sententia sit pro-
babilis. Ad confirmationem res-
pondeo negando conseq.; quia
potentia sive peccandi, sive
vegetandi identificantur cum
anima; secus vero fides habi-
tualis infusa, ex quo patet dis-
paritas.

11 Dico 4.: in anima-
bus Purgatorij datur fides ha-
bitualis infusa. Prob. ex Conc.
Senonensi in decreto 12. contra
Luther. ubi dicitur, qui gra-
tia fit particeps, & p xne tem-
p ralis tantum debitor: ex re-
manentibus in eo file, spe, &
charitate de sua interim salute
securus: ergo &c. Prob. ratio-
ne:

ne : animæ Purgatorij firmiter sperant visionem beatam : ergo & illam credunt. Prob. conseq.: quoties aliquid objectum non est in perfecta assecutione sui objecti, potest moveri ad illud consequendum modo possibili; sed animæ Purgatorij non sunt in perfecta assecutione Dei sibi possibili, immò sibi futura: ergo poterunt moveri ad illam. Nunc sic ; sed talis motus fit maxime mediantibus virtutibus fidei, spei, & charitatis: ergo &c.

12 Dico 5.: in hæreticis non datur fides infusa, & supernaturalis. Est definita in Conc. Trident. ses. 6. cap. 15., ubi dicitur: *afferendum esse, non modo infidelitate, per quam fides amittitur &c.* Idem docet August., & alij SS. PP. etenim hæreticus, qui credit unum articulum, & alium negat, est extra Ecclesiam, quamvis intus esse videatur. Et Joann. cap. 2. sua Epist. ait: *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permanissent utique.* Prob. hac brevi ratione: implicat, quod fidelitas, & infidelitas sint simul in eadem anima; sed habens habitum fidei infusa est fidelis; & hæreticus infidelis: ergo &c.

13 Dices contra hoc: licet

repugnet fidelitas, & infidelitas in eodem respectu ejusdem articuli, non tamen respectu diversorum: sicut licet repugnet assentus, & dissentus simultaneus respectu ejusdem, non tamen respectu diversorum; sed hæreticus credit aliquos articulos fidei, licet alios neget: ergo &c. Confirmatur: supponamus, quod hæreticus pro instanti B. fuit magnas theologus pro instanti A.; hic pro instanti C. adhuc manet Doctor in theologia; sed nequit salvare sine fide; cum fundetur in illa; ergo &c. Urgetur: hæreticus credit, quæ credit, eodem motivo, ac nos, scilicet, propter autoritatem Dei revelantis; sed ubi stat motivum fidei infusa, stat ipsa fides infusa: ergo &c.

14 Respondeo distinguendo mai.: licet repugnet & non tamen respectu diversorum habentium distinctum motivum formale assentiendi eis, conc. mai.: habentium idem motivum formale, nego mai. & disting. min.; sed hæreticus credit aliquos articulos fide humana, vel aquista, conc. min. fide divina infusa, nego min. & conseq. Ad confirmat. neg. quod sit verè theologus, sed solum Sophisticus; vera enim theologia pendet à fide, non solum

Iam in fieri, sed etiam in conservari. Ad urgentian distinguo mai.: hereticus ea, quæ credit, credit eodem motivo, ac nos, ut proposito per proprium spiritum falsum, & fallacem, conc. mai.: ut proposito per Ecclesiam, quæ est regula infallibilis fidei, nego mai.: inversis terminis distingu. min., & nego conseq.

15 Dices 2. contra hoc; habitus non repugnat cum actu opposito, ut diximus quæst. 3. disp. 4.; sed peccatum hæresis est actus oppositus habitui fidei: ergo &c. Confirmatur: si fides deperditur per hæresim, vel est in genere causæ efficientis, vel in genere causæ formalis; sed non primum; quia ab illo definit esse fides in genere causæ efficientis, à quo habet esse in tali linea; sed habitus fidei solum habet esse per creationem: ergo non definit esse per peccatum hæresis in tali genere. Sed alias nec in genere causæ formalis; quia fides non habet oppositionem ex natura rei cum cum hæresi, sicut calor, & fagus: ergo &c.

16 Respondeo, distinguendo mai.: habitus non habet oppositionem cum actu opposito ex natura rei, conc. mai.: ex ordinatione divina, subdisting. mai. in omnibus, &

generaliter loquendo, concedo mai.. in aliquibus actibus, maxime peccaminosis, nego mai. & concessa minori, nego conseq. Itaque, sicut peccatum mortale actuale est actus oppositus gratiæ habituali, & tamen illam excludit ex ordinatione divina; ita patiter dicendum de fide habituali. Ad confirmation. dico ex Doct. in 3. dist. 23. fidem destrui per hæresim in genere causæ quasi formalis de meritorię, & ex ordinatione divina; quia ad positionem peccati mortalis aufert gratiam.

17 Dico ultimo: in alijs peccatoribus non hæreticis est habitus infussus fidei. Est definita in Concil. Trident. Ses. 6. cap. 15. per hæc verba, si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & & falem semper ammitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, anathema sit. Nil Ex his ultimis verbis, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, colligitur contra aliquos, quod fides infusa, ut separata à gratia sanctificante est vera, & propria virtus supernaturalis, licet informis, seu non formata, de qua Jacobus cap. 2. fides sine operibus mortua est. Et Apostolus 1. ad Corin.: si habueris tantam fidem &c.

charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest : & Div. Aug. cap. 1. de Trinitat. : fides sine charitate potest esse, sed non prodest. De hoc postea.

18 Si pro complemento huius disputationis quæras: à quo fides habitualis habeat esse? Respondeo, quod à solo Deo per creationem, sicut gratia habitualis. Vide dicta tom. 3. nostræ theologie disp. 1. quæst. 4. à num. 13. Si tan-

dem inquiras: an necessario cum alijs virtutibus infusis producatur? Resp. , quod regulatiter sic sit, ut ait Trident. Ses. 6. cap. 7. quod cum remissione peccatorum hac omnia simul infusa accipit homo: fidem, spem, & charitatem; sed absolute loquendo potest infundi sine illis, ut docet Doct. in 3. dist. 36. §. quantum ad 4. artic. Vide dicta Tract. antec. agendo de connexione virtutum inter se.

D I S P. VIII. DE FIDE DIVINA actuali.

Præmissa disputatione de fide divina habituali, consequens est, ut de ejus actibus, seu de fide actuali sermonem instituamus. Sit ergo

QUÆST. I.

Quid, quotplexque sit fides actualis?

I **E**X dictis, tum quæst. 1. disp. 1. num. 2. tum quæst. 1. disp. antec. fides ac-

tualis supernaturalis, & divina Scholasticæ loquendo sic definiti potest: est actus supernaturalis, quo quis assentitur aliqui propositioni ex eo, quod Deus illam revelaverit. Magnus Parrens August. lib. de prædestin. S. S. cap. 2. sic eam definit; credere nihil aliud est, quam

cum

rum assensione cogitare ; & alibi : quid est credere ? Nisi consentire, verum esse, quod dicitur. De fide ergo in hoc rigore sumpta agimus in prælenti ; quæque formaliter pertinet ad intellectum ; cum sit actus ellicitus illius simul cum habitu fidei , vel auxilio supernaturali ; licet imperative pertineat ad voluntatem modo dicto , quæst. 2. disp. 6. huius. Per hoc ergo manet resoluta prima pars difficultatis.

2 Pro resolutione 2. dico, quod fides actualis , seu assensus fidei primò dividitur *in credere Deo ; credere Deum , & credere in Deum.* Credere Deo est dictis ejus assentire , juxta illud Gen. 15. : Abraham credidit Deo. Credere Deum est credere , Deum esse , seu existere , ut ex illo Actor. 8. : Credo Filium Dei ; Tandem credere in Deum , est credere , Deum esse ultimum finem , juxta illud Symboli Apostolorum : credo in unum Deum. & Joann. 14. : creditis in Deum , & in me credite . Dubitant hinc theologi : an hi actus , seu assensus sint diversi ? Res est parvi momenti. Magnus August. stat pro parte affirmativa lib. de cognitione veræ vitæ cap. 37. ubi ait: differt aliquid: credere Deo , & credere in Deum ; demones enim , & Pagani credunt Deum , sed non credunt in Deum.

3 Secundo dividitur assensus fidei in supernaturalem , & naturalem : primus est , qui procedit à principio supernaturali simul cum potentia , scilicet , habitu , vel auxilio supernaturali. Secundus est , qui procedit , vel à solo intellectu , & objecto naturaliter proposito ; vel simul cum habitu acquisito : & hunc actum possunt naturaliter habere Pagani , & Cathecumeni , credendo fide humana lectiones Sac. Scriptaræ , sicut alij historijs fide dignis , vel Parrocho , aut Prædicatoribus. Sed notate hic quod circa objectum naturale , & naturaliter cognoscibile potest esse actus supernaturalis ex parte principij eliciti , ut si fiat medio auxilio supernaturali. Et patiter circa objectum supernaturale potest esse actus supernaturalis ex parte principij , ut si quis crederet Trinitatem , vel Incarnationem , tolum ex autoritate hominis ipsam proponentis. De hoc quæst. 3. hujus.

4 Tertiò dividitur actus fidei sive naturalis , sive supernaturalis in explicitum , & implicitum. Primus est qui terminatur ad mysteria expresse cognita. Secundus est qui terminatur ad mysteria non in se , seu expresse cognita , sed in aliqua ratione

musai, in qua continentur. Tali est assensus, quo in communione credo omnia, quæ sunt in Sac. Scriptura, credendo in communione omnibus, quæ traduntur ab Ecclesia tamquam à Deo revelata. Quarto, dividitur actus fidei, in *internum*, seu *formalem*, & in *externum*. Primus consistit in assensu nullo modo manifestato. Secundus est manifestatio assensus interni, quomodo cumque facta, hoc est, vel per verba, vel per facta, vel per quicunque alia signa illius manifestativa. Quinto dividitur in fidem *formatam*, & *informem*. Prima est, quando homo eliciens talum actum est simile cum gratia, & charitate, alijsque comprincipijs necessariis ad meritum. Secunda vero est, dum Catholicus amittens gratiam per aliquod peccatum mortale; quod non sit hæresis, retinet fidem. De hac egimus quæst. ult. ant. in fine,

5 Alij denique, dividunt fidem in fidem *historicam*, in fidem *promissionum*, & in fidem *miraculorum*. Prima est, qua credimus hanc propositionem: *in principio creavit Deus Cœlum, & terram*, que est historicæ. Secunda, qua assentimur isti: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; quæ est pro-

mista. Tertia tandem, est qua credimus, quod Jesus Christus suscitauit defunctum Lazatum quatriuanno mortuum. Circa hanc ultimam fidem dubitant AA., an sit fides catholica, qua creduntur mysteria fidei; an vero sola sit fiducia? Res est parvi momenti. Respondeo, quod in patrante miraculum est fiducia, seu confidentia: In credente miraculum factum, ut propositum ab Ecclesia, est fides catholica. Videantur N. Pichon disp. 2. de fide cap. 2. sectione 3., & N. eruditissim. Vega in Trident.

QUÆST. II.

An assensus filei infuisse sit supernaturalis quoad substantiam?

I D E fide tenent Catholicæ, actum fidei infuisse esse supernaturalem; dubitant tamen, an sit supernaturalis quoad substantiam, an vero quoad modum? Et certe huius difficultatis resolutio pendet ex resolutione alterius, scilicet, in quo consistat ratio entis supernaturalis prout à naturali distincti? Quare ut claritate pro-

cedamus, questionem in duas sectiones dividemus. Sit ergo

SECTIO I.

*In quo consistat supernaturalis-
tas entis creati?*

2 Noto 1. ex communione Theologorum sententia, duplarem dati ordinem rerum, *naturalem*, & *supernaturalem*: & Utriusque Deus est Author. Dicitur Author naturalis respectu rerum, quas producit concurso communis, & debito ex ipsa natura rerum. Author supernaturalis est respectu rerum, quas operatur concurso speciali, & nulli debito ex natura rei. Unde dum dicitur, supernaturale esse illud, quod excedit vires naturæ, & naturalis agentis, per hoc non excluditur, sed includitur concursus communis Dei, sine quo nulla creatura quidquam agere valet, ex quo supernaturale sic recte definitur: *est quod pro-ducitur per concursum specialem Dei omnino indebitum.* E contra; naturale, est quod producitur per concursum naturalem debitum alicui.

3 Noto 2. quod natura multipliciter sumitur. Primò, pro natura *naturante*: hæc est

ipse Deus Author nature dans, seu conservans naturam creaturatum, quæ *natura naturata* dicuntur. Secundò sumitur prout definitur 2. Physicor., scilicet, *est principium, & causa motus,* & quietis &c. Tertiò sumitur natura *theologicè*, prout, scilicet, complectitur omnem naturam, seu totum ordinem rerum naturalium. Unde ens supernaturale non superat naturam *naturantem*; quia hæc est ipse Deus, cuius vires nulla natura superare valet; debet ergo superare naturam theologicè sumptam, prout complectitur totum ordinem rerum naturalium, ita, ut non solùm non sit producibile ab aliqua creatura de facto, sed etiam creatibili; dummodo Deus unice concurrat concurso generali, & debito. De natura sic sumpta loquimur in praesenti.

4 Noto 3.: ens supernaturale aliud esse *quod substantiam, aliud quod modum.* Primum est, quod secundum suam iatrinscēam rationem, & entitatem ita exuperat omnem causam naturalem, ut à nulla, nec ab omnibus collective sumptis valeat causari, qualitercumque dispositis causis naturalibus applicatis modo naturali; huiusmodi sunt *unio hypo-*

*postatica , visio beata , habitus
virtutum theologicarum , &
hoc quærimus de earum acti-
bus. Supernaturale quoad mo-
dum est , quod secundum se
producibile est ab agente na-
turali ; modus autem , quo hic,
& nunc habetur , superat om-
nes vires naturæ. Sic est visus
restitus cœcq , & alia huius-
modi. His præmissis sit*

Conclusio.

5 *Ens supernaturale
(respectu ad nostram limitatam
cognitionem impotentem cog-
noscere naturas , & quidditates
rerum) est quod excedit om-
nes vires producivas cuiuscum-
que agentis naturalis , & solum
producere valet ab aliquo agente
supernaturali. Hæc conclusio
infertur ex N. Subt. Doct. in
4. dist. 6. quæst. 10. num. 14.
ubi ait : quod naturalitas , &
supernaturalitas non sunt con-
ditiones , nisi per ordinem ad
agens. Et dist. 10. quæst. 8.
num. 9. ait : quod ideo dicitur
aliquid supernaturale , quia à
supernaturali agente : Et natu-
rale , quia à naturali agente ,
scilicet , produci valet : ergo
juxta Scotti mentem illud est su-
pernaturale , quod excedit &c.*

6 Prob. conclusio rati-
tione : distinctivum immedi-
atum rei est illius constitutivum;
sed supernaturale à naturali dif-
fert in eo , quod naturale con-
tinetur intra vires , & exigen-
tiā naturæ , ac proinde va-
let produci ab aliquo agente
naturali : ergo per oppositum
supernaturale erit , quod à nul-
lo agente naturali produci va-
let. Confirmatur : nam huius-
modi constitutivum , sicut &
distinctivum , convenit omni ,
& soli enti superno ; nam entia
supernaturalia quoad modum
tantum ratione modi , quo sunt
supernaturalia , etiam excedunt
omnes vires naturæ : ergo in
hoc excessu stat formaliter su-
pernaturalitas. Urgetur : illud
est formaliter constitutivum ali-
cuius rei , quo præcisso posito
res formaliter intelligitur : &
quo ablato , seu præcisso per
intellectum , res formaliter non
intelligitur ; sed posito respec-
tu ad agens supernaturale , in-
telligitur formaliter ens super-
num ; & illo ablato , seu præ-
cisso per intellectum , auferatur :
ergo &c.

7 Dices primo : Subt.
Doct. in 3. dist. 16. ait , quod
tormenta Christi Domini fue-
runt quodam modo miraculosa:
ergo & supernaturalia. Nunc
sic;

sic; sed non per ordinem ad agens supernaturale; siquidem inflata fuerunt à flagellis, spinis, lancea &c.: ergo non omne supernaturale constituitur per ordinem ad agens supernaturale. Respond. quod Subr. Doct. ibi, non ait, quod illa tormenta fuerunt miraculosa, & supernaturalia in se, & immediate formaliter, sed tantum presuppositivæ, quatenus supponebant miraculum non resultantiæ gloriæ animæ in corpus. Unde qua parte erant miraculosa, & supernaturalia, jam respiciebant agens supernaturale impediens illam resultantiam.

8 Dices 2. : cognitio, qua quis reflexè cognoscit actum supernaturalem fidei, & etiam memoria damnatorum de gratia perdita, sunt actus pure naturales; sed tales actus nequeunt haberi sine fide, & gratia, qua petunt agens supernaturale: ergo sunt actus naturales, qui dicunt respectum ad agens supernaturale; & consequenter hic ordo non est constitutivus, & distinctivus entis supernaturalis à naturali. Confirmatur: cuiilibet potentiarum habenti habitum supernaturalem debetur concursus Dei ad actum supernaturalem; sic intellectui creato elevato lumine

gloriæ est connaturalis visio beatæ: ergo Deus non erit agens supernaturale respectu talis visionis; sed nihilominus talis visio est entitative supernaturalis: ergo supernaturalitas non constituitur per ordinem ad agens supernaturale.

9 Resp. dist. mai.: cognitio, qua quis &c. & etiam memoria &c. sunt puræ naturales *intrinsecæ* ex le., conc. mai.: *presuppositio*, & *extrinsecæ*, nego mai.: & concess. min., disting. conseq. : ergo dantur actus naturales, qui nequeunt esse absque respectu ad agens supernaturale *presuppositive*, & *extrinsecæ*, conc. conseq. : absque respectu *intrinsecæ*, & *essentiali*, nego conseq.. Itaque præfati actus, ut pote *presuppositive*, & *extrinsecæ* supernaturales dicunt ordinem ad Auct. supernaturalem. Ad confirmat. Resp., quod potentia cum habitu supernaturali elevata non est natura secundum se, sed aliquomodo supernaturalizata; qua ratione debetur ei concursus divinus ad visionem; sed hoc *naturaliter*, prout opponitur violento; in quoque sensu dicitur viatio illa connaturaliter debita; non vero *naturaliter*, prout naturale opponitur supernaturali.

10. Dixi notanter in conclusione respectu ad nostram cognitionem limitatam impotentem cognoscere naturas, & quiditates rerum; quia, meo visu, si formalissime, & strictissime loquamur: ens supernaturale, prout tale, & primario, constituitur per sua intrinseca, & essentialia predicata, que nos pro hoc statu imperfectionis circumloquitur; Deus vero, & Angelus ea reple cognoscunt. Hęc doctrina licet pauci eam expresse tradant, quoad rem tamē omnes in ea convenient. Suadeturque primo sic: gratia fides, charitas, & alia huiusmodi sunt formaliter intrinsece adhuc, ut supernaturalia, entia absoluta; sed nullum absolutum, primario, intrinsece, & in esse talis potest constitui, nec distinguui per aliquid respectivum: ergo constituuntur in esse entis supernaturalis per aliquid predicatum intrinsecum, distinctum à tali respectu.

11. Soadetur 2.: quia gratia, fides &c. sunt talis naturae, ideo exigunt fundare tales respectum ad agens supernaturale; non vero écontra: ideo sunt talis naturae, quia petunt fundare talem respectum: ergo per prius intelliguntur in

esse supernaturali, & quod sint talis naturae, quam quod fundent talem respectum: ergo per aliud prius constituitur ens supernaturale, per quod ab omnī ente naturali primariō distinguitur. Suadetur 3.: quia si praedicta entia supernaturalia per sua praedicata intrinseca non distinguerentur ab omni ente naturali, & constituerentur intrinsece, non distinguerentur inter se specifice: & sic quidquid competit fidei, prout supernaturali, competenter etiam charitati prout tali; cum omnia entia supernaturalia æqualiter respiciant Deum, ut Auctorem supernaturalem; sed consequens est absurdum: ergo &c.

12. Nec nos terrere debent contra hanc doctrinam aliquæ authoritates, quæ adducunt ex N. Subr. Doct, quaque hic preferam. Prima habetur in 4. dist. 10. quæst. 8. ubi ait: quod naturale, & supernaturale non distinguunt naturam alicuius in se, sed tantum in comparatione ad agens; ideo enim dicitur aliquid supernaturale; quia à supernaturali agente; naturale vero, quia à naturali agente; sed habitudo ad agens aliud, & aliud, non necessario concludit, aliquid esse aliud, & aliud in se secundum August. Secunda habetur eod. loc.

Ioc. num. 11. ubi ait: *quod quantumcumque aliquid supernaturale ponatur in esse, postquam tamen positum est in esse, est quoddam ens naturale.* *Tertia babetur ex eod. 4. dist. 12. q. 1. num. 4.* ubi ait: *licet aliqua virtus supernaturalis dicatur, tamen postquam ineſt, naturale est babens, eam habere, vel posſe habere illud, ad quod est illa virtus.* Hæc Scotus, ex quibus inferiori videtur, quod ens supernaturale, ut tale, non constituitur per aliquid proprium intrinsecum, & in se abolutum prædicatum, sed unice per respectum ad agens supernaturale.

13 Præfatae ergo authoritates, & si quæ aliæ adduci possunt, nos tertere non debent, ut à præfata doctrina desistamus; quinimò si bene penduntur, eam aliquomodo confirmant. Ratio est; quia ex illis infertur, quod si supernaturale formalissime, & intrinsecè esset tale per respectum ad agens, cum talis respectus non constituat naturam alicuius absoluti in se, supernaturale in se, & intrinsecè non esset tale. Cum ergo nos dicamus, supernaturale esse tale in se, & intrinsecè, recte dicitur, quod ordo ad agens supernaturale non constituat naturam intrinsecam,

& absolutam alicuius, nec faciat aliud, & aliud secundum se, & intrinsecè; quia antecedenter ad tales ordinem, supernaturale est talis naturæ per sua prædicata intrinseca, & solum per tales ordinem passioniter, seu dignoscitive cognoscitur respectu limitari nostri intellectus, qui res, ut sunt in se, percipere non valet.

14 Deinde Subt. Doct. in omnibus his autoritatibus loquitur de ente supernaturali quoad modum, non vero quoad substantiam; quod optime infertur ex ipsomet exemplo, quod adducit in duabus ultimis authoritatibus, scilicet, de restitutione visus cœco illuminato, quæ quidem visio est naturalis in substantia, esto quoad modum restitutionis supernaturalis sit, & dicatur. Unde licet habitudo ad agens aliud, & aliud non concludat necessariò aliud, & aliud in se intrinsecè, & essentialiter, bene tamen concludit aliud, & aliud ut supernaturale.

15 Ex hac doctrina colliges primò, quod ens supernaturale quoad substantiam, & quoad modum differunt in eo, quod primum ex iis prædicatis intrinsecis exigit cauari a Deo Auct. supernaturali; non

vero secundum. Colliges 2. quod ens supernaturale quoad substantiam nullatenus spectat ad bene esse naturæ integræ, & perfectæ in esse naturæ, immo est supra totam ipsam naturam, non solum quoad primum esse, sed etiam postea. Gratia v. g. postquam asselta est, adhuc censetur extra perfectionem naturalem hominis, & semper de ordine gratiæ, & non naturæ. Vetus vero cœco restitutus, qui est supernaturalis quoad modum, licet viribus naturæ acquiri non possit; tamen semel habito, homo naturaliter per illum operatur, & ad perfectionem naturalem ipsius hominis, integratemque ipsius naturæ pertinet. Ex quo cœcus dicitur naturaliter defectuosus; privatus vero gratia non sic defectuosus in esse naturæ dicitur.

16 Colliges tandem, quod solum illa entia propriæ, & rigore supernatura quoad substantiam dicuntur, quæ non sunt debita debito naturali, nec alicui, nec toti naturæ, nec possunt viribus naturæ acquiri: & talia sunt, quæ maxime de facto ad ordinem gratiæ, & gloriæ spectant, & ut talia à Deo Auct. supernaturali petunt causam. Unde uno Verbo concludo, quod ex præciso ordine ad agens su-

pernaturale non bene deducitur supernaturalitas intrinseca, & quoad substantiam; estò hoc communiter dicamus respectu nostri imperfecti modi concipiendi. Et ratio in summa est; quia etiam supernaturale quoad modum dicit talem respectum. Unde ergo ut inferatur talis intrinseca supernaturalitas, neesse est, quod ens taliter supernaturale ex suis intrinsecis exigita produci ab agente supernaturali. His prædictis, sit

SECT. II.

In qua resolvitur difficultas in questione proposita.

17 Licet solum in præsenti queramus, an assensus fidei iofusse sit supernaturalis quoad substantiam? tamen transcendentalis, & communis est respectu actuum aliarum virtutum theologicarum. Unde quidquid in præsenti dicamus, dictum erit pro actibus, spei, & charitatis. Circa quam difficultatem duplex est sententia. Prima tenet, quod assensus fidei, & actus aliarum virtutum solum sunt supernaturales quoad modum, non vero quoad substantiam. Sic quamplures Scotistæ inter quos N. Mast.

in

in 3 Disp. 6. qust. 6. ; & ut verum fatear pro hac opinione videtur N. Subt. Doct. in aliquibus locis cit. à N. Mastr. Sed etiam stare videtur pro nostra ; quare censeo in re hac problematicum stetisse , & sic libere posse quemlibet Scotistam utramque defensare. Secunda sententia tenet actus talium virtutum esse supernaturales quoad substantiam. Sit ergo

Nostra conclusio.

18 Actus fidei infusæ est intrinsece & quoad substantiam supernaturalis. Est communis inter Thomistas, & R. R. Probarique potest primo ex Subt. Doct. in 3. dist. 23. quæst. unic. §. ad quæst. ubi ait: *quod non solum propter actum primum dat Deus habitum per se infusum, sed propter actum secundum, ut sit perfectior actus.* Et addit: *nec pono habitum fidei solum propter gradum in actu, sed etiam propter assensum.* Nunc sic ; sed gradus pertinet ad modum ; assensus autem fidei nequit non importare substantiam : ergo juxta Subt. Doct. ipsa substantia assensus fidei infusæ exigit habitum per se infusum , ut supernaturaliter causantem; ac per consequens

assensus quoad substantiam est supernaturalis. Legatur Doct. in 1. dist. 27. quæst. 2. §. ad argumenta. Et in 4. dist. 49. quæst. 11. respondeo. Sed quia, ut dixi in hac re problematicus videtur, ideo.

19 Prob. conclusio ratione juxta dicta Sect. antec.; illæ entia sunt intrinsece , & quoad substantiam supernaturalia , quæ ex sua natura , & intrinsecis prædicatis exigunt causari ab agente supernaturali; sed tales sunt actus virtutum theologicarum , inter quos est actus fidei infusæ : &c. Maior est doctrina exposita in præced. Sect. Prob. min. : licet , juxta Scotistas, actus virtutum infusarum non exigant determinatæ causari ab habitibus infusis supernaturalibus ; exigunt tamen ex sua natura, & essentia causari à principio supernaturali : ergo actus talium virtutum &c. Prob. antec.: si non causantur ab habitibus supernaturalibus , exigunt causari, vel immediate per omnipotentiam divinam, vel per auxilium actuale supernum , supplete Deo concursus habituum supernaturalium: ergo semper salvatur , quo exigunt causari tales actus ab aliquo agente supernaturali ; & consequenter . &c.

20 Prob. 2. concilio: juxta contrarios, actus virtutum infassatum sunt tantum supernaturales quoad modum. Inquiro nunc de illo modo: an exigatur ab intrinseco talium actuum, vel non exigatur? Si hoc secundum: ergo actus salutaris, secundum omne quod dicit ab intrinseco sui, potest fieri viribus naturalibus; cum mere naturale sit ab intrinseco sui; quod sane nescio, an dicerere quis audeat? Si primum: ergo talis actus cum tali modo est quoad substantiam supernaturale. Prob. hæc conseq.: nulla entitas ab intrinseco naturalis exigit ab intrinseco sua naturæ modum supernaturalem ad suam existentiam, ut patet in restitutione visus cœco; visus enim secundum se, ut existat, non exigit modum supernum; quia ab intrinseco sui naturaliter existet, licet hic, & nunc, nequeat existere in cœco, nisi modo supernaturali: ergo si actus virtutum infassatum exigunt ab intrinseco modum supernum, erunt ab intrinseco sui, & quoad substantiam supernaturales.

21 Confirmatur: entia tantum quoad modum, & non quoad substantiam supernaturalia semel habita sunt na-

turalia subiecto, illudque naturaliter perficiunt, & pertinent ad ordinem naturalem, ut patet in exemplo apposito de visu restituto cœco: ergo si cut visus restitutus semel positus in rerum natura est homini naturalis, illumque naturaliter perficit, & ad ordinem naturæ spectat, simili ter actus salutares virtutum infassarum semel eliciti erunt naturales homini, illamque naturaliter perficiunt, & ad ordinem naturalem pertinebunt; quod sane fateri, mihi valde arduum videtur. Deinde A. A. talis sententia multum laborate tenebunt, ut ponant discrimen inter entia supernaturalia quoad substantiam, & supernaturalia quoad modum.

Solvuntur argumenta.

22 Arguitur I.: juxta Trid. can. 6.; actus virtutum supernaturalium solum sunt supernaturales quoad modum: ergo &c. Prob. antec. adducendo ejus verba: *bominem non posse sine gratia credere, sperare, & Deum super omnia diligere, ut opportet, ad hoc ut ei justificationis gratia conferatur; sed ex illa particula, ut opportet, inferitur, quod gratia Dei solum*

Ium dicit modum actus; ad modū quo velociter currere, solum dicit modum cursus: ergo juxta Concil. tales actus solum sunt supernaturales quoad modum; & consequenter nec gratia, nec habitus requiritur quoad substantiam eorum. Hoc argumentum est Achilles contrariae sententiae. Sed ante solutionem nota, quod in verbis Trid. non apponitur restrictivum, *solum*, quod ponitur in argumēto. Hoc notato

23 Respondeo negando antec.: & min. probationis. Dum ergo P. P. & Concilia dicunt, habitum, aut gratiam supernaturalem influere in actus virtutum, ut *opportet ad salutem*, non significant modum aliquem supervenientem entitati specifici illorum actuum. Sed hoc faciunt; quia ex duabus speciebus actionum, quae versari possunt circa idem objectum materiale, & formale, ut quæst. sequenti dicemus, opus fuit exprimere, auxilium gratia requiri ad opus salutare, ad hoc ut distinguatur à non salutari. Attamen, quod tale auxilium, aut habitus supernaturalis requiratur ad opus salutare, hoc habet tale opus ex suis intrinsecis, & sic ex ipsis est supernaturale, & distinctum ab actu non salutari, qui versatur erga tale objectum. Nec hic

actus se habet sicut velocitas ad cursum, sed sicut dependencia à suo principio; unde non tenet paritas.

24 Arguitur 2.: habitus non datur ad substantiam actus: ergo actus virtutum theologicarum non dependent quoad substantiam à suis respective habitibus. Probatur antec.: si habitus darentur ad substantiam actus, jam non essent habitus, sed potentia: ergo &c. Confirmatur: ipsa substantia assensus fidei non exigit ab intrinseco principium supernaturale: ergo non est supernaturalis quoad substantiam. Pto. antec.: in omnium Scotistarum sententia, potest dari assensus mere naturalis circa objectum fidei supernaturale, ut tale (idem dic de actibus aliarum virtutum) ergo assensus fidei potest esse naturalis quoad substantiam.

25 Respondeo distinguendo antec.: habitus *naturalis* non datur ad substantiam actus, cōc. ant. habitus *supernaturalis* nego antec., & conseq. In hoc ergo juxta Subt. Doct. habitus insusus differt ab acquisito, & naturali; quia primus requiritur ad simpliciter posse, & sic ad substantiam actus; secundus vero solum ad faciliter poss.

Nec

Nec ex hoc sequitur, habitum infussum esse potentiam; nam hæc radicatur in substantia animæ: est formaliter vitalis, & est indifferens ad plura etiam mala, quod non habet habitus, quamvis quatenus requiritur ad simpliciter posse assimiletur potentia.

26 Ad confirmationem distinguo antec.: ipsa substantia assensus fidei *infusæ* non exigit &c., nego antec.: *fidei non infusæ*, conc. antec., & nego conseq.. Ad probat. conc. antec., & distinguuo conseq.: ergo aliensensus fidei acquisitione, & divinæ tantum *objectivæ* potest esse naturalis quoad substantiam, conc. conseq.: ergo assensus fidei *infusæ*, seu divinæ tam *objectivæ*, quam *subjectivæ*, nego conseq.. Itaque actus ille naturalis circa *objectum formale supernaturale fidei infusæ* non est actus fidei *infusæ subjectivæ*, de quo hic loquimur, sed tantum fidei *infusæ*, seu divinæ *objectivæ*, in quantum substantia est naturalis, & ex parte principij non habet supernaturalitatem aliquam, quallem habere dicimus, actum, qui est supernaturalis quoad substantiam.

27 Arguitur 3.: virtus intellectus elevata per habitum infusum fidei, & producens actum infusum ipsius est entitati-

ve naturalis: ergo talis assensus erit naturalis quoad substantiam. Confirmatur: talis assensus non minus exigit fieri à virtute naturali, quam à supernaturali: ergo non minus erit supernus, ac naturalis; & sic parcialiter erit utrumque. Respondeo, disting. antec.: virtus intellectus &c. est entitative naturalis, & producit actum fidei infusæ, ut *reduplicative naturalis*, nego antec.: & producit prout vitalis, elevata per principium supernaturale, conc. antec. & nego conseq.. Ad confirm. resp., quod hoc ipso, quod ad assensum fidei concurrat principium supernaturale, totus assensus est supernaturalis. Hæc aliaquæ argumenta videri posunt in tom. 4. disp. 5. quæst. 3. agendo de visione beata. Unde videbis, quod inconsequenter procedunt Scotistæ contrarij.

QUÆST. III.

An posuit dari assensus fidei naturalis acquisitæ circa objectum tam materiale, quam formale fidei infusæ?

I **H**ÆC difficultas etiam communis est alijs virtutibus Theologicis. Certum ergo est, quod circa objecta ma-

materialia harum vittatum pos-
sunt dati actus ex viribus natu-
ræ , & sine gratia eliciti. Datur
enim amor naturalis Dei, prout
est bonus in se : & actus natu-
ralis fidei humanæ , quo credo
Trinitatem, Incarnationem, aut
Christum esse mortuum ; quia
hæc audivi ab aliquo homine
propria autoritate proponente.
Unde difficultas est de objectis
formalibus : an , scilicet, posset
quis actu mere naturali , & eli-
cito sine aliqua gratia , credere
Verbum divinum esse incarna-
tum , & alia similia , & hoc ex
divina autoritate.

2 Circa quam difficul-
tatem triplex est sentia. Prima
communis inter Thomistas , &
plures RR. cum Suarez tenet,
actum naturalem , & supernatu-
ralem semper differre ex par-
te objecti formalis ; ita ut cir-
ca idem objectum formale non
possint tendere. Secunda est
Scotistarum econtra asserentium,
non semper differre actus na-
turales , & supernaturales ex
parte objecti formalis ; nám li-
cet semper ita differant ; tamen
ali quando circa ipsum versan-
tur. Sic Subt. Doct. in 3. dist.
25. quæst. 2. & clarius dist. 27.
quæst. unic. : Ipsum sequuntur
omnes Scotistæ , & aliqui RR.
citantes Angelic. Praceptor.

21. 2q. q. 171. art. 2. ad 3..
Tertia demum media tenet, hoc
posse esse de possibili ; non ve-
ro de facto. Sic Cardinalis de
Lugo cum alijs. Sit

NOSTRA CONCLUSIO.

3 Actus naturalis fidei
potest elici viribus nature circa
ipsum objectum formale fidei
infusæ ; & consequenter circa
idem omnino motivum dantur
fides divina acquisita , & infusa.
Prob. 1. ex Doct. cit. dist.
27. ubi docet : quod dilectio,
qua Deus propter se diligitur,
sive sit naturalis , sive super-
naturalis , habet idem objectum
formaliter , scilicet , bonitatem
Dei , qua in se bonus est , quæ
eadem est , sive quis diligat
Deum amore naturali , sive su-
pernaturali : ergo uterque ac-
tus potest habere idem objectum
formaliter. Si respondeas , ait
Doctor , Deum esse objectum
amoris supernaturalis , prout
est Auctor rerum supernaturalium ;
amoris vero naturalis ,
quatenus est Auctor naturalium.

4 Contra ex Doct.: li-
cet istæ considerationes possint
in nobis excitare diversos amo-
res concupiscentiæ , quibus di-
ligimus Deum tamquam nobis

bodum; tamen omnino imper-
tinentes sunt ad diversificandos
amores amicitiae, quibus Deus
amatur propter se, & quia in
se bonus est, abstrahendo ab
eo quod sit auctor naturalium,
aut supernaturalium bonorum;
nam prout sic consideratur pot-
tius ut bonus nobis, quam in
se: ergo non tenet responsio.
Antec. constat; quia Deus non
solum est bonus, & amore dig-
nus; quia est auctor istorum
bonorum supernaturalium, sed
ab his abstrahendo. Unde Sanc-
ti ex consideratione creatura-
rum s̄pē in amorem Dei exci-
tabantur; sed tunc non consi-
derabant eum, ut Auctorem re-
rum supernaturalium: ergo in
tali casu actus amoris superna-
turalis, & naturalis tendebant
in idem motivum, & objec-
tum formale.

5 Prob. 2. conclus. sp̄cialiter de actu fidei: fides ac-
quisita potest tendere in quod
cumque objectum motivum, &
terminativum, in quod potest
fides infusa: ergo &c. Prob.
antec.: fide acquista potest
quis credere, Nam esse tri-
num, & unum propter Dei au-
thoritatem, supposita ejus re-
velatione; sed hoc est ubi cum
formale fidei infusa: ergo &c.
Prob. mai.: credit aliquis fi-
delis fide infusa omnia myste-

ria nostræ fidei, neget postea
mysterium Incarnationis, abs-
dubio amittit fidem infusam;
sed hoc non obstante ex codem
motivo, quo antea credebat,
credet fide acquisita mysteria,
quaꝝ antea credebat: ergo cre-
det fide acquisita. Prob. min.:
alias ex diversitate, quam ex-
peritur in modo credendi illa
mystera, quaꝝ antea credebat,
posset naturaliter, & ex pro-
prio experimento cognoscere,
quod fidem infusam amisit per
negationem mysterij Incarna-
tionis, et si postea hunc articu-
lum credit, posset naturaliter
cognoscere, & ex experimento,
quod fidem infusam haberet;
sed hoc nemo concedit ex dic-
tis quaꝝ. 3. disp. antec.: ergo
&c.

6 Respondent com-
muniter contrarij, quod licet
ille fidelis antea, & postea cre-
deret v. g. Trinitatis Myste-
rium propter Dei veracitatem
non tamen codem modo. Dei
ergo revelatio potest duplice er
considerari: primo quatenus est
credita fide divina, sub qua
ratione est objectum formale
fidei. Secundo, quatenus est
credita fide, vel opinione hu-
mana, & prout sc̄ non est ta-
le objectum. Unde fidelis ille
antea credit articulum Trinita-
tis propter revelationem fide-
di-

divinā creditam; post peccatum vero infidelitatis non credendo Incarnationem, unice credit Trinitatem propter revelationem fidei, vel opinione humana creditam: & sic actus ille non tendit nisi objectum formale, & motivum intrinsecum fidei.

7. Contra: supposita response, adhuc instat argumentum; an, scilicet, homo ille experietur se eodem modo credere, & ob eandem rationem mysterium Trinitatis, postquam negavit Incarnationem, ac antea credebat; vel alio modo? si primum? habetur intentum, scilicet, quod antea, & postea credit ex eodem motivo: si secundum? ergo proprio experimento cognosceret, se an illis habitum fidei infusa per negationem Incarnationis, quod nullus concedit. Si respondeas, quod cum in his actibus concurrent saepe motiva naturalia, & supernaturalia, non post homo satis clare distinguere, quo motivo moveatur ad credendum. Contra: hic actus: *credo, quia à Deo revealatum*: *credo, quia video miracula*, faciliter possunt percipi, & cognosci à docto attendente, non minus, ac isti: *amo Deum, quia bonum supernaturale*; *amo Deum, quia bonum naturale*;

sed isti possunt clare, & faciliter cognosci: ergo & illi.

8. Prob. ultimò conclusio: si aliquid obstat, ut actus naturalis possit attingere objectum formale actus supernaturalis, maximè, quia actus naturalis, & supernaturalis debent differre specie; sed hoc non obstat: ergo &c. Prob. min.: visio increata Dei, & visio creata Angeli distinguuntur plusquam specie; sed hoc non obstante, in omni sententia habent idem motivum formale, scilicet, idem objectum beatitudinis: ergo distinctio specifica horum actuum non obstat, ut attingant idem objectum formale.

9. Confirmatur: licet actus dicantur specificari ab objectis, non ut a specificativo adäquato, sed inadäquato; nam etiam specificantur per ordinem ad principia: ergo estò objectum sit idem, si principia productiva sint diversa, actus diversi erunt. Antec. constat; quia actus quoad intrinsecum sui magis dependent à principio, quam ab objecto; ab isto enim solùm accipiunt extrinsecum ordinem, & habitudinem; ab illo vero intropossum est. Nunc sie; sed principium productivum actus su-

pernaturalis est diversum à principio productivo actus naturalis : ergo licet prædicti actus habeant idem objectum formale, & motivum , tamen actus erunt diversi ; & consequenter identitas motivi formalis non destruit distinctionem specificam actuum,

Solvuntur argumenta.

10. Arguitur. i. natura ex suis viribus est insufficiens ad attingenda objecta supernatura-
lia : ergo actus naturalis. &c.
Prob. autem. ex 1. ad Thetalo-
nic. cap. 2. ; non sumus suffi-
cientes cogitare aliquid ex nobis,
quasi ex nobis. Et ex illa Joann.
cap. 3. : sine me nihil potestis
facere. Ex quibus verbis PP. &
Concil. determinant contra Pe-
lagian. , gratiam supernaturalem
esse necessariam ad actus fidei,
spei , & charitatis : ergo actus
naturalis fidei acquisita nequit
tendere in idem objectum for-
male , & motivum fidei infusa.
Resp., quod Sac. Script. & Con-
cil. loquuntur de actibus super-
naturalibus conducentibus per
se ad vitam æternam ; agebant
enim contra Pelagianos docen-
tes , posse dari ex viribus na-
turae dispositionem immediatam

ad justificationem ; actus autem
de quibus in praesenti loquimur,
nec conducunt in vitam æter-
nam , nec sunt dispositiones im-
mediate. Unde non agunt contra
nos.

11. Arguitur 2. : si ac-
tus fidei acquisitæ tenderet na-
turaliter erga idem objectum
formale , & motivum , ac actus
fidei infusa , esset æque infalli-
bilis , ac actus fidei supernæ; sed
hoc est contra Subt. Doct. in 3.
dist. 23. q. ad quest. : ergo &c.
Mai. probatur ; quia talis actus
haberet pro formali motivo in-
fallibilem autoritatem Dei : er-
go. Respondeo , distinguendo
mai. : si actus &c. esset æque in-
fallibilis infallibilitate objectiva,
conc. mai. : omnimoda infalli-
bilitate , & certitudine , nego
mai. , & concessa min. in sensu
distinctionis , nego conseq.. Nec
amplius probat ratio maioris.
Philosophus ergo , vel hereticus ,
supposita revelatione huius ve-
ritatis , Verbum est incarnatum;
actu naturali attingere valet hoc
mysterium ; sed non æque infal-
libiliter subjective , & adhesive ;
sicut catholicus attingit fide in-
fusa ; ille enim credit huic mys-
terio prout proposito à Parro-
cho v. g. , qui potest fallere , vel
cui non repugnat fallere ; ca-
tholicus vero ipsi assentit prout

proposito ab Ecclesia Universali infallibili in proponendo. Vide Doct. cit.

12 Arguitur 3. : sicut potentiae specificantur per actus, sic actus per objecta formalia; sed potentiae *specifice* diversè habent actus specie diversos; ergo & actus specie diversi debent habere objecta specie diversa; nunc sic; sed actus naturalis, & supernaturalis sunt specie diversis, non minus, ac virtutes naturales acquisitæ, & supernaturales infusæ: ergo &c. Respondeo, quod tam potentiae per actus, quam actus per objecta formalia specificantur solum extrinsece, & in aequalitate, non autem intrinsecè, & adæquatè; ut docetur in Animistic.

13 Unde, sicut eadem potentia potest habere actus specie diversos, non solum circa diversa objecta formalia, sed etiam circa idem, quando diverso modo tendit in illud, ut patet in simplici apprehensione, & judicio: in amore efficaci, & inefficaci: in cognitione intuitiva, & abstractiva; sic pariter actus specie diversi possunt versari circa idem objectum, & sub eadem ratione formalis, licet non eodem modo, & ex eisdem principijs; quod sufficit ad hoc, ut actus naturales, & supernaturales liget sint erga idem ob-

jectum, & motivum; sint specificè distincti. Vide quæ diximus in ultima probatione conclusi.

14 Arguitur 4. : quod est supernaturale nequit naturaliter cognosci; sed objectum fidei infusæ est quid supernaturale: ergo actus naturalis fidei acquisitæ non potest versari erga tale objectum. Prob. mai.: cognoscibilitas est passio entis: ergo ens supernaturale non potest naturaliter cognosci. Resp. distinguendo mti.: quod est supernaturale nequit naturaliter cognosci absolute loquendo, conc. antec.: *supposita divina revelatione*, nego maiorem. Ad prob. conc. antec. nego conseq.; nam sicut ens infinitum potest cognosci cognitione finita, ut patet in Beatis: & finitum cognitione infinita; & ens naturale cognitione supernaturale; sic pariter, ens supernaturale, supposita illius revelatione, potest deinde naturaliter cognosci; sicut supposita restitutione visus cœco, potest deinde naturaliter videre.

15 Arguitur 5. : si actus naturalis posset versari circa idem objectum, ac supernaturalis, sequeretur, quod fides infusa non esset supernaturalis ex suo objecto motivo; sed hoc est falsum: ergo &c. Mai. conf-

eat; quia objectum indiferens ut attingatur actione naturali, aut supernaturali, non potest specificare actum, vel habitum tendentem circa illud. Prob. min.: si fides nostra non est supernaturalis ex objecto motivo, non erit necessarium aliquid auxilium ordinis supernaturalis ad illud attingendum; sed hoc est tum contra Script. & Concil., tum contra rationem: ergo &c.

16. Respondeo, negando mai.; nam sicut objectum virtutis naturalis v. g. temperantiae, aut iustitiae potest attingi actu supernaturali quin

obster, ut per se respiciatur a virtute ipsa naturali, tamquam principium specificativum ipsius; sic in praesenti veritas, ut a Deo obscure revelata, per se pertinet ad fidem infusam; per accidens vero, & supposita revelatione potest per accidens attingere, seu pertinere ad fidem naturalem, & acquisitam. Alia quamplura, quae contra hanc conclusionem objici solent, pendunt ex philosophia ex quaest. inquirente, quomodo potentiae specificentur per suos actus: & actus per sua objecta? Videte ibi.

D I S P. IX.

DE NECESSITATE, OBLIGATIONE, ET confessione externa fidei.

Explicata natura, & essentia tam fidei habitualis, quam actualis in antec. disputationibus: consequentia doctrinæ exigit, ut aliqua breviter de utriusque necessitate, obligatione, ac confessione externa ipsius dicamus. Sit ergo

QUÆST. I.

An fides fuerit necessaria ad salutem, & justificationem omnitempo?

I. Circa presentem difficultatem plura dicta sunt tom. I. quest. 8. disp.

proemial. Videte ibi. Sed nunc pro clariori resolutione notate I., quod necessitas alia est *medijs*, alia vero *præcepti*. Prima est, sine qua finis, qui prout ad præsens est justificatio, obtineri non potest. Secunda vero est, quæ ratione alicius *præcepti* obli-

obligit. Unde illud est necessarium *necessitatem medij*, sine quo, quamvis inculpabiliter, & ignoranter omittatur, finis non consequitur; illud vero est necessarium *necessitate precepti*, quod quidem omitti non potest, nisi culpabiliter, (non mediante ignorantia invincibili) si tamen omittatur, finis consequetur. Nunc ergo querimus, an fides sit necessaria, necdum necessitate precepti, sed etiam necessitate medij ad justificationem, & salutem consequendam?

2 Nota 2., quod cum necdum adulti, sed etiam Parvuli sint capaces justificationis; isti autem non sint capaces fidei actualis; respectu ipsorum solam querimus de fide habituali; respectu vero adulorum, qui in infantia fuerunt justificati, querimus de fide actuali. Nota 3. quod homines possunt considerari in triplici statu: in statu, scilicet, *natura*, qui duravit ab Adamo, usque ad Moysem: in statu legis scriptae, quia a Moyse usque ad Christum Dominum extenditur: & tandem in statu legis Evangelice, a Christo, scilicet, usque ad consumationem seculi. De hoc triplici statu est dubium: an, scilicet, in omni tempore facit necessaria fides ad justificationem, & salutem, qua-

que necessitate? His suppositis sit.

Conclusio.

3 Post peccatum primi Parentis fides supernaturalis fuit omni tempore necessaria *necessitate medij* ad salutem, & justificationem; cum haec tamen differentia, quod Parvulis fuit necessaria habitualis; adultis vero habitualis, & actualis. Haec conclusio est communis. Et nostri Doct. quest. 1. Prolog. Et in 3. dist. 25. §. de primis. Opposita tribuitur N. Vega, Soto, & alijs panceis. Prob. 1. author: & 1. Apost. ad Hebt. 11. : *sine fide impossibile est placere Deo*. Et Marci cap. ult. : *qui vero non crediderit, condenabitur*. Trident. ses. 6. cap. 4. docet, quod Baptismus sit fidei Sacramentum, sine qua nulli unquam contingit *justificatio*. Et cap. 8. : *fides est humaine salutis initium, ac fundementum*; & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo. & ad filiorum ejus, consortium pervenire: ergo quia fides est necessaria necessitate medij ad justificationem, & salutem.

4 Prob. conclusio ratione, tam de fide actuali, quam de habituali; & primò de habituali:

tuali : juxta Subt. Doct. in 3. dist. 25. §. de primo dico , sicut in omni statu anima non est accepta Deo , nisi perficiatur per charitatem quoad voluntatem , sic etiam non est accepta Deo , nisi perficiatur habitus supernaturali quoad intellectum ; cum iste potentia sit subordinata : nam intelligere praeceps velle , &c in perfectionibus suis prius natura perficitur intellectus , quam voluntas ; sed ista supernaturalis perfectio , qua anima determinate assenit vero , & verum credit , est fides infusa : ergo sicut omni tempore fuit homini necessaria charitas , sic etiam fides ; cum Deus non perficiat animam nisi perficiat eam secundum totum ; & consequenter non perficiat voluntatem charitate , nisi perficiat intellectum fidei . Hæc ratio probat de necessitate fidei habitualis tam quoad Parvulos , quam quoad Adultos .

5 Prob. de fide actuali quoad Adultos : duobus modis potest quis ad salutem pervenire : vel alieno merito , vel proprio ; sed primo modo unice pervenient Parvuli , & amenites baptizati ; secundo vero modo Adulti , qui meritis Christi propria conjugunt : ergo adulti rationis capaces de-

bent habere proprium meritum , ut salutem consequantur . Nunc sic ; sed repugnat dari actum meritorium supernæ virtutis sine actu fidei superno : ergo nullus adultus rationis capax potest in hac providentia salvari sine fide actuali . Prob. min. subsumpt. : omnis actus virtutis supernæ postulat necessitatem præcognitum objectum supernum ipsis actus ; sed hic est actus fidei explicita : ergo fides actualis est necessaria &c.

6 Confirmatur primò : nullus adultus rationis capax potest justificari , nisi justificationem speret , & de peccatis doléat , ac Deum super omnia diligit ; sed hæc omnia de lege ordinaria fieri non possunt sine actu explicito fidei supernaturalis , quo credat Deum esse , & posse hæc bona omnia illi conferre : ergo &c. Confirmatur 2. : homo rationis capax debet cognoscere finem propter quem operatur ; sed hic finis est supernaturalis : ergo debet Deum cognoscere cognitione supernaturali , qualis est cognitione fidei : ergo . Ratio omnium horum est divina voluntas , qua statutum est , ut gratia justificationis nulli adulto conferatur sine fide ; quæ divina voluntas nobis sane innotescit ex Script. Conc. & PP. Ref-

7. Respondent aliqui cum N. Vega, omnia hæc posse intelligi de fide late sumpta; cum non loquantur textus solum de fide, quæ est ultima dispositio justificationis, sed de omni fide, qua disponitum ad quodcumque opus salutare; quæ quidem est vera fides, sed non stricta in re, sed in voto, adeo ut si quis ex supernaturali illuminatione circa Dei bonitatem, Deum amaret super omnia, hic haberet fidem strictam non in re, sed in voto, & ita posset justificari. Contra primo; nam fides late sumpta ex testimonio creaturum, similivè motivo ad justificationem sufficit; est propositio 23. damnata ab Innoc. XI.: ergo notitia comparata ex testimonio creaturatum, vel alio motivo naturali non sufficit, ut homo justificetur; ergo requiritur fides superna actualis.

8. Contra 2. quia P. P. Concilia, & Scriptura loquuntur de fide stricte sumpta: ergo &c. Prob. antec.: textus ille divi Pauli, accedentem ad Deum oppotet credere &c. intelligitur à Trid. Ses. 6. cap. 6. de fide stricte sumpta, qua homo libere movetur in Deum, credens vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt; sed hoc est fides stricta: ergo &c. Quomodo

fides in voto non sufficiat ad justificationem, sicut sufficit baptinus in voto, dicetur in solutione argumentorum. Deinde, si fides in voto sufficeret, esset fides omnium articulorum; sed hoc est fallum, ut constabit ex quest. sequenti: ergo &c.

Solvuntur argumenta.

9. Arguitur 1. ex illo ad Rom. 2. ubi postquam Apostolus dixi: quod non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores, subdit: cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, que legis sunt, faciunt, ipsi sunt sibi lex; sed his verbis Apostolus solum exigit naturalem Dei cognitionem, quæ lex impletatur, ad justificationem: ergo &c. Min. patet ex illa particula naturaliter. Confirmatur in statu naturæ ab Adamo usque ad Moysen: homines justificabantur per solam naturalem cognitionem Dei; ideo enim dicebatur status nature; quia in tali statu homines vivebant, & non habebant cognitionem supernaturalem Dei, sed pure naturalem. Respond. 1. quod ly naturaliter non extenditur ad totam legem; sed ad aliqua præcepta; non enim ait Apostolus: omnia, quæ legis sunt;

nullus autem justificari valet ex sola obseruantia alicuius præcepti, nisi legem totam observet, juxta illud Iacobi: *qui in uno delinquit factus omnia reus.*

10. Respond. 2. ex S. & P. P., quod *ly naturaliter ex sensu* Apostoli non excidit auxilium divinæ gratiæ, & cognitionem fidei, sed tantum **excludit** cognitionem legis scriptæ, quam **Gentes** non habebant, sicut Judæi. Unde sensus illius vocis *naturaliter* est, non ut **opponitur** gratiæ, sed legi scriptæ: nempe **Gentes**, qui non habebant scriptam legem, sicut Judæi, loco legis scriptæ utebantur lumine naturæ, adjutato tamen per gratiam, & sic legem obserabant, dum ipsi forent sibi lex. Ad confirmat. nego antec. & similitudinem probationem; qui ille status naturæ non excludebat gratiam, ut pote necessariam omni tempore.

11. Arguitur 2.: Apostolus ad Roman. 1. loquens de Philosophis ait: *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerūt;* sed Philosophi cognoverunt solum Deum cognitione naturali: ergo haec potuerunt justificari, & salvari absque fide superna infossa; & consequenter haec non est necessaria. Respon-

deo; , negando conseq. ; quo d. ergo no juxta Apoitoli Philosophi Gentiles potuerunt ex cognitione naturali, erat; Deum glorificare, & gratias ei agere per actus naturales moraliter bonos, & honestos, ac per illos mereti aliquod præmium naturale retribuendum in hac vita; non vero potuerunt per tales actus justificari, & salvari, aut ad justificationem se disponere, nisi ad summum dispositionem negativa, hoc est, non apponendo nova impedimenta ad suam justificationem.

12. Arguitur 3.. ille qui elicit opera bona naturalia ante fidem, se disponit ad justificationem: ergo sine fide infalsa potest hæc haberi. Probat. tec.: qui Deum orat, & ab eo lumen fidei petit, utiliter petit: sicut qui egregie exercetur in operibus misericordiæ, utiliter facit: ergo isti se disponunt ad justificationem per opera bona naturalia facta ante fidem. Confirmatur exemplo Centurionis, qui, ante quam in fide instrueretur à Div. Petro, faciebat opera meritoria, ut ei dictum fuit ab Angelo Actor. **10.** *orationes, & eleemosynæ tuae ascenderunt in conspectu Dei:* ergo ante fidem habuit dispositio nem ad justificationem.

Ref.

13 Respondeo ad argum. neg. antec. , ad cuius probat. dico , quod qui petit a Deo lumen fidei , hęc oratio aliquomodo pertinet ad ipsam fidem , & in ratione doni computari cum ipsomet dono fidei, ut ait Div. Gregorius homil. 9. in Ezequiel. dicens : *opera sine fide non djuvare, nisi pro fide percipienda fiant.* Unde tunc concurrent Deus auxilio supernatura- li ad illam voluntatem , quę non procedit ex lumine mere naturali , sed ex lumine fidei, licet , sub obscuro , ut quærat idem lumen clarius , & oret pro illo obtinendo. Alij Auctores negant absolute antec. in præ- senti providentia , & ipsum con- cedunt de potentia Dei absolu- ta. Vide N. Mastr. hic.

14 Ad confirmationem respondeo negando conseq.; quia Cornelius Centurio ante adventum Div. Petri habebat fidem strictam unius Dei ha- bitam ex scripturis , & tra- ditione , quam degens diū in- ter Judaeos ignorare non pote- rat ; postea autem à Petro acce- pit fidem Christi , quam nondum habebat. Idem dicendum est de Job , & alijs Gentilibus salvatis, quod habuerint notitiam unius Dei , non quidem ex solis crea- turis , aut sola ratione phylo- sophica deductam , sed ex priva-

ta Dei revelatione. Atque ideo habuisse fidem stricte sumptam.

15 Arguitur 4. : suffi- cit ad salutem fides late sumpta erg. Prob. antec. : si fides late sumpta non sufficeret , non videtur, quomodo Deus omnibus fide- libus provideat de medijs ne- cessarijs ad salutem ; cum ad aliquos prædicatio Evangelij possit non pervenire. : ergo &c. Resp. negando antec.: ad cuius probat. nego antec.; quia ut constat ex dictis tom. 2. tract. de volunt. Dei, disp. 1. quæst. 3. : Deus vult omnes homines salvos fieri , & ad agnitionem ve- ritatis venire ; consequenter que, sic illi , quibus prædicatio Evangelij non pervenit, faciant, quod in se est observan- do legem naturalem, Deus illos illuminabit ad fidem. Vide quod ibi dictum est argum. 5. à num. 39. & applicat. hic.

16 Arguitur : 5. ad justificationem sufficit fides in voto , hoc est velle credere omnia mysteria fidei , omniaque Dei mandata servare : ergo non requiritar fides habitualis in re. Prob. antec. : licet bap- tismus sit necessarius necessita- te medijs ad justificationem, suf- ficit tamen in voto : ergo à pari. Resp. negando antec., & paritatem. Disparitas est; quia

Baptismus potest haberi in voto per gratiam contritionis, & amoris Dei super omnia, quæ de facto sufficit ad salutem; at fides non potest haberi in alio priori actu sufficienti ad justificationem; cum ipsa fides sit initium justificationis; & quia cognitio supernaturalis fidei requiritur ad actum contritionis, vel attritionis.

17 Arguitur Ultimò: in adultis non requiritur fides actualis ad salutem: ergo non tenet conclusio quoad 2. partem. Prob. antec.: posito casu, quod quis baptizetur dum infans, & quod perveniat ad usum rationis, hic (si non occurrit obligatio credendi) non habebit fidem actualem; & si non peccavit peccato lethali, habebit gratiam; moriatur ergo post breve tempus postquam pervenit ad usum rationis, hic ergo abs dubio salvabitur; sed non habebit fidem actualem: ergo. Respond. quod in hoc casu particulari abs dubio salvabitur sine fide actuali; sed non salvabitur, ut adultus, sed ut infans, hoc est, per modum hereditatis, non per modum præmij, & coronæ; nostra autem conclusio procedit de his, quæ communiter eveniunt, & non raro, sicut, & procedit

de potentia ordinaria, & non in alia providentia, quod hic valde notandum est.

• QUÆST. II.

De quibus mysterijs sit necessaria necessitate medijs ad salutem fides supernaturalis explicita?

1 Quid sit fides explicita; quid implicita dictum manet quest. 1. Disp. antec. num. 4. Nunc pro resolutione huius difficultatis, noto 1. fidem explicitam alicuius mysterij fuisse necessariam omni tempore ad justificationem, & salutem, quod sat is constat ex illo ad Roman.

II. accedentem ad Deum opportet credere, quod Deus est, & quod remunerator sit. Nota 2. quod non omnes tenentur explicitè credere equali modo mysteria nostræ fidei; Episcopi enim tenentur credere omnia; Ecclesiastici quamplura; Rustici aliqua.

2 Quænam autem sint, quæ teneantur omnes credere necessitate medijs est quod in præsenti queritur. Et iterum hic distinguendum est, de tripli sta-

tu, sed lege, scilicet natura scripta, & gratia; nam non pro omnibus eadem necessitas fuit, ut communiter tenent Theologi, licet pro una qualibet aliqua mysteria explicite credere semper fuerit necessarium. Quare in praesenti duo praeципue queruntur. Primum est: Utrum ante Adventum Christi, tam in lege naturae, quam scripta necessaria fuerit necessitate medijs ad salutem fides explicita Incarnationis, seu Redemptoris futuri? Secundum est, utrum post Christi Dni adventum, & Evangelicae legis promulgationem sit necessaria necessitate medijs fides explicita mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis? Cui duplaci difficultati per sequentes conclusiones respondebimus. Sit ergo

Prima Conclusio.

3 In lege naturae, & scriptae fuit necessarium necessitate medijs credere explicite, Deum esse, esse creatorem, justificatorem, & remuneratorem supernaturalem. Constat haec conclusio primo ex illo textu Pauli cit. *accidentem ad Deum &c.* qui textus universalis est, & de omni lege intelligi debet. Deinde constat ex illa propos. damnat.

ab Innoc. XI.: *non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medijs, non autem explicita remuneratoris.*

4 Prob. conclusio ratione: justificatio in omni statu est necessaria: ergo & fides explicita Dei, & existentis, creatoris, justificatoris, & Remuneratoris supernaturalis. Prob. conseq.: justificatio habet necessariam connexionem cum omnibus his conceptibus: ergo si in omni statu &c. Prob. antec.: justificatio perficitur media dilectione Dei super omnia; sed ad istam debet cognosci Deus existens, ut objectum talis dilectionis, & quidem ut distinctum a creaturis, ac proinde ut creator; alias non esset super omnia diligibilis: ac etiam debet cognosci ut acceptans, & remunerans talem actum, ac justificans animam: ergo justificatio habet necessariam connexionem cum fide explicita omnium predicatorum; unde cum justificatio in omni lege fuerit necessaria, etiam fides explicita omnium predicatorum.

Secunda conclusio.

5 In statu naturae, & Moyse fait necessaria necessitate medijs fides explicita Christi,

seu Messiae vētūri, sub ista generica ratione, mediatoris. Prob. ex Apostolo ad Rom. 3. ubi ait: *justitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. Non enim est distinctione: omnes enim peccaverunt, & regent gloria Dei:* ergo juxta Apost.; quia omnes in Adam peccaverunt, *omnes indigent gloriam Dei, & iustitiam Dei per fidem Iesu Christi.* Nunc sic; sed omnes, qui vixerunt ante Christi Domini nativitatem peccaverunt in Adam: ergo omnes cuiuscumque status sint eguerunt iustitia Dei per fidem Iesu Christi. Confirmatur ex illo ad Colosens. 1.: *Christus est primogenitus omnis creature, & caput corporis. Ecclesia, qui est principium & primogenitus exercitii: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipso:* ergo quotquot post Adam peccatum iustificati sunt, ex meritis, & ex fide explicita Christi (*sicut in mediatoris*) iustificati sunt.

6 Nec valet dicere, omnia hæc intelligi posse de fide implicita, contenta in fide explicita Dei, ut Remuneratoris supernaturalis. Non valet; quia hæc fides implicita requiritur necdum Christi *ut*

mediatoris, sed etiam ut *institutoris* aliorum mediorum ad justificationem, scilicet, Sacramentorum; sed maior fides requiritur Christi ut *mediatoris*; ergo requiritur fides explicita huius veritatis. Deinde Magn. Par. Aug. lib. 18. de Civ. Dei cap. 47. ait: *nemini ante adventum Christi concessum est, quod esset justus, nisi cui dictinus revelatus est, mediator Dei, & hominum homo Christus.* Nunc sic; sed cui explicite revelatus est Christus ut *mediator*, explicite debet credere in Christum, ut *mediatorem*: ergo cum omni tempore, iusta Augustinum, sit necessaria revelatio Dei, ut *mediatoris*, ad justificationem, in omni lege est necessaria fides explicita huius.

Tertia conclusio.

7 In lege naturæ, & Moyisis non fuit necessaria necessitate medijs fides explicita Smæ. Trinitatis, nec Christi sub conceputu Dei veri, & hominis, mortientis vere pro liberatione à peccatis; fuit tamen sic necessaria fides implicita istorum. Prob. conc. quoad 1. part.: quia neque vetus Testamentum, neque traditiones continebant aliquam expressam mentionem, vel no-

tiam distinctam de SSma. Trinitate : ergo in talibus legibus &c. Confirmatur : disponente divina providētia, congruum videbatur legem novam perfec- tiorem , & clariorem cognitio- nem exhibere articulorum fidei, quam lex naturæ , & scriptæ; cum illa fuerit perfectior istis: ergo &c.

8 Prob. 2. pars con-
clusionis : medium necessarium ad salutem debet praedicari omnibus , ut omnes possint habere notitiam ipsius ; sed in statu legis naturæ , & legis Mosayæ Melsias ut mediator non fuit predicatus sub distinctis conce-
ptibus Dei , & hominis , qui sua morte redempturus esset ge-
nus humanum , sed tantum ob-
cure sub metaphora serpentis , &
Agni Paschalis : ergo &c. Con-
firmatur ex Apost. ad Ephes. 3.
dicente, Mysterium Incarnationis Christi , & mortis ipsius, non fosse agnitus superioribus saeculis, sed
fibi commissum esse evangeli-
zare Gentibus investigabiles di-
vitias Christi : ergo in talibus non potuerunt habere fidem ex-
plicitam Christi sub his pecu-
liaribus conceptibus.

9 Prob. 3. pars con-
clusionis: nullus justificatus fuit
sine fide; sed hæc gratia nō potest
haberi ab hominibus , nisi per

fidem Christi , vel explicitam,
vel implicitam : ergo cum ita
illis Statibus, ex immediate dictis,
non fuerit fides explicita Christi,
sub conceptibus distinctis Dei,
& hominis , Passionis , & Mortis,
qua nos redimeret , sequitur
quod horum fuit necessaria fi-
des implicita. Sicque intelligen-
dus est Div. Aug. dum lib. de
gratia Christi ait : *sine fide Incarnationis, Mortis & Resurrectionis Christi, neminem sive ex fide, sive, ex Gentibus justificatum esse, hoc est, sine fide implicita.* Contra
has conclusiones , ut pote com-
manes nihil se offert objicien-
dum. Nunc vero sit

Quarta principalis conclusio-

10 Post adventum Christi Do-
mini, & promulgationem sufficien-
tem Evangelij est necessaria ne-
cessitate medijs fides explicita
divinitatis , & humanitatis,
Mortis , & Resurrectionis Christi : ac etiam Mysterij Sma-
Trinitatis ad primam justifica-
tionem , & æternam beatitudi-
nem consequendam. Hæc con-
clusio est contra communem Thomist. Vide ipsos cit. apud
N. Mastr. hic quæst. 16. Sed
antequam conclusionem probemus,
ne in æquivocum procedamus,
notate 1. , quod fides explicita
Christi , & Trinitatis , quam
sta-

statuimus in praesenti conclusione, non debet esse cum omnibus subtilitatibus, & cunctis cunctis ieiunis ieiunum mysteriorum; sed solum juxta capacitem hominis justificandi, ita ut explicite credat Christum esse Filium Dei, natum, Crucifixum, mortuum, & resuscitatum pro nobis. Et respectu mysterij Trinitatis explicite credat: Deum esse unum in essentia, & trinum in Personis.

11 Ratio huius est; quia Deus impossibilia non precipit ex Trid. Sef. 6. cap. 11. & can. 18.; immo neque gravia, ex prima Joan. cap. 5; sed est impossibile, quod omnes homines, & Mulieres rudes, & Idiotae sint theologi, ita ut distincte & clare percipient omnia, quae de mysterijs Incarnationis, & Trinitatis docet theologia; non enim possunt ita cognoscere processiones Personarum, harum constitutionem, notiones, & distinctiones inter se, & ab essentia: ergo sufficit, quod ea cognoscant explicite cognitione confusa, modo sibi proportionato. Hac doctrina est N. Doctoris in 3. dilt. 25. quæst. 1.

12 Noto 2., quod consulto dixi in conclusione, *banc fidem explicitam esse necessariam necessitate medijs ad primam justificationem*, hoc est, cum Adul-

tus primo venit ad fidem; nam non est necessaria in alijs justificationibus. Ratio huius est; quia homo in prima justificatione induit Christum, ejusque legi se submitit, & de merito ipsius redēptionis participat circa deletionem peccati originalis, & actualium: ergo in hac prima justificatione necessaria est fides explicita Christi Quid vero in alijs justificationibus non sit sic necessaria talis fides; probatur: omnes alias justifications suunt medio Sacramento Pœnitentiarum; sed Christus dum hoc Sacramentum instituit, nullam mentionem fecit de fide, sicut fecit, dum baptisimū instituit; nec fides explicita iotrat in constitutio-ne Sacramenti pœnitentiarum: ergo ad alias justifications, praeter primam, non est necessaria talis fides explicita.

13 Minor quoad 2. part., constat; quia ex parte pœnitentis ad Sacramentum pœnitentie tantum sunt necessaria cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio, quibus, accidente absolutione, habetur integrum Sacramentum pœnitentiarum: ergo cum hic nulla fiat mentio fidei explicitæ Christi, aut alterius mysterij, sequitur, quod ad justifications Sacramenti pœnitentiarum non sit necessaria talis. Deinde: nec ab

Ecclesia, nec à DD., nec à praxi cuiuscumque Catholici habetur documentum de hoc actu expresso eliendo, sicut ad hoc monetur in Ritual.Roman., Adultus primò veniens ad fidem. His notabilibus bene animadversis pro intelligentia conclusionis, de facili solventur, quamplura argumenta contra ipsam. Nunc vero

14 Prob. prima pars ipsius, scilicet, quod fides explicita divinitatis, & humanitatis, Mortis, & Resurrectionis Christi sit necessaria medij ad primam justificationem post adventum ipsius, & sufficientem Evangelij promulgationem. Et primo ex illo Joann. 17. : *bac est vita aeterna, ut cognoscant te solum Verum Deum, & quem misisti Iesum Christum;* sed ad vitam eternam est necessaria necessitate medij fides explicita Dei, ut constat ex prima conclusione : ergo & Christi Domini ; cum textus eodem modo loquatur de utroque. Secundò ex illo Marci : *prædictate evangelium omni creature :* qui non crediderit (hoc est Evangelio) condemnabitur ; sed fides Evangelij includit fidem divinitatis, humanitatis, & mortis Christi , per quem redempti sumus : ergo ad salutem &c.

Tertio ex illo ad Galat. 2.7. scientes autem, quod non justificatur homo, nisi per fidem Jesu Christi : *& nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi :* ergo.

15 Prob. 2. eadem pars ex Verbis Christi Domini Joan. 9., qui loquens cum cœco dixit : *credis in Filio Dei?* Et cœcus interrogans : *quis est Dominus, ut credam in eum?* Jesus, respondit : *crede in Filium Dei,* & qui loquitur tecum ipse est : ergo Christus expressè postulavit fidem explicitam ipsius ; alias dixisset : crede, quod credunt Apostoli. Confirmatur : si fides explicita Christi non foret sic necessaria ad salutem, nec fuisset necessarium explicite annuntiare Christum toti mundo ; sed hoc est falsum, ut constat ex Dominicis præceptis ; & sic Apostolus ad Rom. 3. ait : *non est aliud nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri :* ergo quia fides explicita Christi fuit necessaria ad salutem.

16 Prob. tandem hæc eadem 1. pars ratione deducta ex Trid. ses. 6. cap. 4. : post promulgationem Evangelij impius nequit justificari sine baptismō in re, vel in voto ; sed baptismus in re, vel in voto post præ-

prædictam promulgationem non potest haberi sine fide explicita Christi: ergo &c. Min. quoad baptismum in re est certa. Quoad baptismum in voto probatur: si baptismus in voto cum fide implicita Christi esset sufficiens ad justificationem , sufficeret baptismus contentus in fide, si-
cūt continebatur in fide Antiquorum , & eorum gestis tamquam in figuris; sed hoc est falsum; cum Tridentinum ad baptismum in voto requirat fidem ortam ex promulgatione evangelij, quæ est fides explicita : ergo post promulgationem Evangelij necessaria est fides explicita Christi ad baptismum neendum in re, sed etiam in voto.

17 Preb. iam 2. pars conclusionis , scilicet , quod sit necessaria fides explicita mysterij Sanctissimæ Trinitatis , & primo ex ultimis cap. Matth., & Marci : *docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ; sed sic credere est credere explicita : ergo necessaria est fides explicita mysterij Trinitatis.* Secundò ex Symbolo Div. Athanasij : *quicumque vult salvus esse , ante omnia opus est , ut teneat catholicam fidem : fides autem catholica haec est , ut Unum Deum in Trinitate , & Trinita-*

tem in unitate veneremur. Hac ergo ratione non recipiuntur ad baptismum cathecumeni, nisi instructi, & credentes præ alijs mysterium Sanctissimæ Trinitatis : ergo quia fides explicita hujus &c.

18 Prob. tandem ratione utraque pars conclusionis: ex præallegatis locis concluditur, quod post promulgationem Evangelij Deus nulli tribuerit primam salutem , nisi illis, qui explicite noverunt eam , qui est Auctor totius vitæ ; sed talis cognitio non potest haberi sine fide explicita Sanctissimæ Trinitatis , & Christi Redempt.: ergo. Prob. min. : beatitudo nostra stat in visione Sanctissimæ Trinitatis , & ad eam promovemur per mortem , & Resurrectionem Christi Redemptoris: ergo videtur necessarium , quod qui beandi sunt visione Sanctissimæ Trinitatis , per ejus fidem explicitam, & dilectionem Christi justificantur, & mundentur à peccatis : & hoc maxime in lege Evangelica , in qua haec omnia supponuntur promulgata. Qui plura alia circa hoc desiderat , legat nostrum Mastr. cit..

Solvuntur argumenta.

19 Arguitur 1. : perfecta dilectio Dei , & contritio pcc.

peccatorum sunt proximæ dispositions ad justificationem, quibus positis infallibiliter consequitur justificatio; sed hæ dispositions possunt esse sine explicita fide Christi, & mysterij Trinitatis: ergo &c. Prob. min.: istæ dispositions fueront sine tali fide in justis veteris Testamenti, & certe ex sola cognitione unius Dei, & æternæ beatitudinis possunt haberi dilectio Dei, & detestatio peccati: ergo &c. Respond. disting. mai.: perfecta dilectio &c. sunt proximæ dispositions Adulti peccatoris cum Sacramento pœnitentia, & in alijs justificacionibus à prima distinctis, conc. mai.: adulti peccatoris in prima justificatione, & post promulgationem Evangelij, nego mai, & distinguo min.; sed hæ dispositions possunt esse sine fide explicita in fideli peccatore in alijs justificationibus distinctis à prima, conc. min.: in prima justificatione, nego min.: & conseq. Vide dicta in 2. notabili antè probat. conclusionis.

20 Ad probationem conc. antec., & nego conseq. & paritatem. Itaque licet illæ dispositions fuerint sufficietes Antiquis in lege veteri, non tamen modo Adultis in prima justificatione: & hoc non ex

natura rei, sed ex libera Dei ordinatione; cum modo magis Christus sit revelatus, sic consequenter, & magis explicite credendus. Non tamen dico, posse aliquem pœnitere, aut Deum diligere, ut finem supernaturalem, & quod ei denegetur gratia justificationis ob defectum fidei explicitæ in Christum, ut volunt intelligere aliqui; sed potius dieo: non conferri à Deo auxilia efficacia divinæ gratiæ necessaria ad contritionem, nisi præcedat fides explicita Christi, quam Deus non denegat illi, qui voluerit ipsius gratiæ cooperari. Unde Deus ex lege ordinaria semper illum illuminaret.

21 Arguitur 2.: communis modus concipiendi fidem est per auditum externæ prædicationis, in quo modo nequeunt omnia simul proponi: ergo cathæcumenus prius audiens; Deum esse, & remuneratorem esse, & Salvatorem, potest hoc statim credere mediante auxilio divinæ gratiæ, quin pro tunc credat explicitæ Christum Verum Deum, & hominem; quia nondum de illo instruitus est. Nunc sic; sed tunc datur in illo fides explicitæ sufficiens ad primam justificationem, sine fide explicita Christi: ergo hæc non est necessitas. Prob. min. subsum

sumpta : talis cathecumenus ante instructionem de Christo poterat directione cathechizantis accipere baptismum , & habere contritionem supernaturalem , & hoc maxime urget , si esset constitutus in periculo mortis , vel in periculo amissionis usus rationis ; sed semel posita contritione supernaturali , concedetur ei superna justificatio ; alias damnaretur , quod videtur valde durum : ergo rancidatur in illo fides explicita sufficiens ad priam justificationem sine fide explicita Christi .

22 Respondeo 1. hoc argumentum etiam urgere ipsos adversarios ; quia ipsi requirunt necessario ad salutem fidem explicitam Christi , & allorum , saltim in confusso ; sed talis cathecumenus non instructus de hoc , nec potens habere contritionem supernaturalem , quia solum sciret , Deum esse , non vero Remunerationem , poterat mori ; quid ergo esset de isto cathecumeno ? Quidquid enim dicant contrarij de contritione , baptismo , beatitudine , & alijs , dicemus , & nos de cathecume no ab ipsis proposito .

23 Resp. tamen directe concessio primo entymemate , distinguendo min. subsumptam : sed tunc &c. sine fide explicita Christi , non supposita sufficienti

promulgatione Evangelij , conc. min. : ipsa supposita , nego min. & conseq.. Ad cuius probatio nem dico , falsum esse , quod tunc cathecumenus possit habere contritionem supernaturalem ; quia ad hanc non haberet auxilium efficax , eo quod Deus sine fide explicita Christi non conferat tale auxilium ad contritionem , & justificationem ; haec enim est mens Trid. ses. 6. cap. 6. ubi docet ordinem dispositionis ad justificationem , & exigit fidem Christi . Unde ille cathecumenus juxta communem legem piissimam Dei non moreretur antequam sibi proponeretur Christus Dominus , ut tenet gravissimi Theologi ; quia Deus non deserit hominem pie volentem in ipso vivere . Sed admisso casu metaphysico , quod moreretur ante fidem explicitam Christi .

24 Respondeo quod damnaretur ; nec durum videatur ; quia hoc juxta praxim Ecclesiæ , & doctrinam Conciliorum necessum est dicere . Ideo dico de Puerto infidi baptizato post usum rationis . Si statim enim moreretur : vel habuit ante baptismum fidem explicitam Christi : & sic salvaretur : vel non habuit : & sic damnaretur ; quia tunc casus so-

Ium acciperet characterem, qui est primus effectus baptismi, non gratiam justificationis; cum fides sit initium ipsius. Circa hoc, quamplura, & pulchra dicta sunt tom. 2. Disp. 1. de voluntate Dei, quæst. 3. a num. 39.

25 Arguitur 3.: ad justificationem cum sacramento Baptismi sufficit attritio supernaturalis, sicut cum Sacramento pœnitentiae; sed ad attritionem non requiritur cognitio Christi; nam sufficit dolor conceptus ex meo gehennæ, vel ex turpitudine peccati, aut ex amissione gloriae: ergo ad justificationem Adulti per baptismum non requiritur fides explicita Christi. Resp., distinguendo mai.: ad justificationem primam cum Sacramento baptismi sufficit attritio supernaturalis, suppositis supponendis, conced. mai.: his non suppositis, nego mai., & distinguo min.: sed ad attritionem secundum se non requiritur cognitio Christi, conc. min.: ad attritionem simul cum baptismo primo justificantem, nego min. & conseq.. Quilibet ergo Adultus, dum baptizatur, scire debet, esse Sacramentum institutum à Christo Domino; unde de Christo Domino debet habere fidem expressam.

26 Arguitur 4.: multi Rustici ex fidibus ignorant

mysterium Incarnationis, & Trinitatis; ergo quia horum fides explicita non est necessaria necessitate medijs ad justificationem; alias eorum confesiones forent nullæ; quod videtur nimis durum. Respondeo, quod etsi multi Rustici ignorant hæc mysteria quoad subtilitates ipsorum, ea tamen sciunt modo crasso, ubique proportionato, modo quo diximus num. 10. huius. Sed admissio, quod hoc modo ignorant, dico, quod non est durissimum, ipsos malé confiteri, cum ignorent necessaria ad consequendam vitam æternam; & hoc idem sequeretur, si solum esset necessarium necessitate præcepti.

27 Arguitur 5.: Apost. ad Hæbr. 11. de justificatione ait: accedentem ad Deum opportet credere, quia est, & quia Remunerator est; sed hic nulla facit mentionem de Christo, née de Trinitate: ergo quia fides explicita eorum non est necessaria necessitate medijs ad justificationem. Resp. negando conseq.: Apostolus ergo hic loquitur de fide in omni statu necessaria; alibi autem loquitur expresse de necessitate fidei in lege Evangelica: & ibi requirit cognitionem horum mysteriorum. Nec est necesse, omnia

nia media necessaria tradi in una clausula, sed sufficit, quod in alijs locis Sac. Script., Conciliorum, & SS. PP. tradantur, sicut evenit in praesenti, ut constat ex authoritatibus a nobis traditis.

28 Arguitur ultimò in statu legis naturæ, & scriptæ non fuit necessaria necessitate medij fides explicita de mysterijs Incarnationis, & Trinitatis: ergo nec in lege Evangelica. Conseq. prob.: quantum ad necessitate in medij eadem est ratio in nobis, ac in antiquis Parentibus; alias lex Evangelij ducior esset, quam antiqua; quod non est dicendum; cum lex gratiæ sit suavior lege naturali, & scripta: ergo si fides &c.

29 Respondeo, concessio autem negando conseq.. Ad probationem nego antec.; quia non est par ratio de necessitate fidei Christi in antiquis Parentibus, ac in nobis; nam si post Evangelij promulgationem sufficeret fides implicita Christi, sequeretur, Judæum modo habentem ignorantiam invincibilem Evangelij, posse justificari, credendo implicite venturum Messiam, cum animo parato, quod crederet explicite venisse, si adventus Christi sufficienter promulgaretur, quod quidem non est credendum. Nec sequi-

tur, legem nostram esse duriorēm; quia mutato tempore, mutata est lex, nec justificatio nunc est difficilior; quia facienti, quod est in se, Deus solum præstat auxilium, & illuminat; & ex alijs capitibus lex gratiæ est suavior lege scripta, ut docent SS. PP.. Nota hic, quod ipsi net contrarij fatentes, fidem explicitam horum mysteriorum esse necessariam necessitate præcepti, tenentur solvere tam hoc, quam alia argumenta.

QUÆST. III.

De obligatione orta ex præcepto circa mysteria nostræ fidei.

1 IN antecedentibus egimus de necessitate medij erga mysteria nostræ fidei; nunc vero agendum est breviter de necessitate præcepti; de quaque materia agunt ad longum Cassistæ tractando de primo præcepto Decalogi, quod ut clarus, breviusque exequatur, questionem in varia dubia dividemus.

2 Dabitabis r.: an sit præceptum fidei actualis, quale, quotuplexque sit? Dico pri-

primo : datur præceptum credendi , quæ sunt credenda necessitate medij : & hoc præceptum necdum est divinum, sed etiam naturale. Prima pars est Doct. dist. 25. quæst. 1. & in 4. dist. 5. q. 1. & constat ex illo Marci : *qui non crediderit, condemnabitur.* Et etiam , quia si credere talia mysteria non caderet sub præcepto , caderet solum sub consilio ; sed hoc est falsum ; alias omissione credendi, quæ sunt de necessitate ad salutem non esset peccatum lethale: ergo &c. Sed nota ex Doct. cit. in 3. quod omnes fideles tenentur ex præcepto ad credenda mysteria , quæ capere possunt ; sed non æqualiter , nec æquo modo ; nam Rustici tenentur credere crassio modo ea , quæ sunt necessaria , & de quibus quæst. antec. Ecclesiastici alia plura : Episcopi verò omnia, & hoc clare , & distinctè , ut oves suas alere possint spiritualiter.

3 Quod tale præceptum sit divinum , constat tum ex prima Joann. cap. 3. : *hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filij ejus.* Tum quia non credenti ponitur poena damnationis æternæ ab ipso Deo, ut constat ex textu Marci ; sed poena poritetur transgressorι ab eo , cuius est præceptum : ergo

præceptum credendi est iuris divini. Quod vero sit naturale probatur ; quia jus naturale ostendit ea esse applicanda , quæ sunt necessaria ad salutem æternam , non minus quam quæ sunt necessaria pro vita temporali, ut cibis, & potus : ergo &c. Deinde , quia in omni natione , & Religione jus naturale dictat, quod si Deus loquitur , ipsi credatur ; nam vel non adoratur , ut Deus , vel tenendus est, ut summe verax : ergo præcepto naturali tenemur credere revelata à Deo.

4 Dico 2. : præceptum credendi est duplex : aliud *negativum* ; aliud vero *positivum*. Primum est , quod obligat ad numquam discredendum mysterijs revelatis sufficienter propositis ; quod obligat *semper*, & *pro semper*. Positivum *c^a*, quod obligat ad eliciendos actus assentiendi , & credendi mysterijs à Deo revelatis , sufficienterque propositis : & hoc præceptum non obligat semper, & pro semper. Quando vero obliget , seu assignare determinatum tempus pro quo hoc præceptum affirmativum obliget, non est levis difficultas inter Theologos. Certum est , ex N. Doct. cit. in 3., quod quilibet habens ussum rationis tenetur pro aliquando aliquem actum ex-

explicitum fidei elicere, & maxime ad illa, quæ sunt grossa ad cōpiendum, sicut quod Christus natus est, passus, & alia, quæ pertinent ad Redemptionsēm. Sed ut clarius hoc resolvatur.

5. Dubitabis 2.: quando, & quoties hoc præceptum affirmativum fidei obliget? Dico 1.: quivis fidelis perfecte pertingens ad ussum rationis tenetur elicere priūm actum fidei, quando ei fides sufficiēt proponitur. Probatur: quilibet tenetur credere, Deo loquente per se, vel per alium, statim ac illi sufficiēter constat, Deum loqui per se, vel per alium, & hoc est, commune secundum respectu fidelis, sed etiam infidelis; ergo fidelis perfecte pertingens ad ussum rationis teneretur elicere priūm actum fidei, si pro tunc fides fuerit ei sufficiēter proposita.

6. Dico 2.: quando concurrit vehemens tentatio contra fidem alicuius mysterij, ita ut sit imminentis periculum consensus, nisi resistatur, tunc debet elicere actum fidei. Prob.: adveniente tali tentatione non potest homo tali mysterio dissentire, neque de eo dubitare, neque suspendere assensum: ergo debet assentire tali mysterio.

Conseq. inferitur; quia non datur medium. Antec. constat quoad primam, & secundam partem. Quoad 3. patet; nam suspendere assensum alicuius mysterij, dum est graviter tentatus contra fidem talis mysterij, est signum dubij; sed dubius in fide est infidelis ex Sexto I. Epist. 1. Et Julio I. Epist. 2.: ergo &c. Confirmatur ex illo 1. cap. 5. Petri: *resistite fortes in fide*: ergo intentione contra fidem tenemur elicere actum internum fidei.

7. Dico 3. Adultus cāthecumenus veniens ad Religionem Christianam, dum baptizandus est, tenetur explicite credere pro sua capacitate mysteria Trinitatis, Incarnationis, & ipsum articulum baptismi, si hic fuit sibi propositus sufficiēter, ut objectum revelatum: sicut & Adulti baptizati tenentur ex præcepto credere explicite alia Sacra menta, quæ recipiunt, dum ea sunt recepturi, si fuerint eis proposita tamquam à Deo revelata. Prima pars conclusionis, hoc est, quoad mysteria Trinitatis, & Incarnationis sufficiēter constat ex dictis quælibet antec. conclus. 4. principalib[us] num. 10. Et ex dictis à num. 12, etiam constat, quod si Adulti antè primam cuiuslibet Sacramenti suscep-

ceptionem , aliqua vice illud explicite crediderunt , tunc non tenentur acta illud explicite credere; quia nec ex Scriptura, neque ex Concilijs , neque ex praxi Ecclesiae constat de tali obligatione.

8 Quid vero tam **Adulti** cathecumeni, de novo venientes ad Religionem catholicam; quam Adulti baptizati, recepturi aliqua Sacraenta teneantur ea, quæ recepturi sunt, explicite credere , si ea antea non crediderunt , sic breviter probatur: omnes isti tenentur talia Sacraenta recipere humano, & deliberato modo ; sed ad hoc, ut sic ea recipient; debent ea, ne cum scire proportionato sibi possibili modo , sed etiam , & interne credere ex *suppositione*, quod eis fuerint sauficierter propria , ut proponi debent à Parrocho, vel Magistro : ergo omnes hi Adulti &c.

9 Dico 4.: Pueri baptizati , dum ingrediuntur usum rationis (quod regulariter solet esse circa septenium) tenentur ex præcepto fidei , credere illa mysteria , quæ illis proponuntur, ut à Deo revelata. Probatur primo: quia tunc Ecclesia obligat ipsos ad confessionem ; cum ex tunc judicentur , regulariter , ut doli capaces : ergo tunc etiam obligantur ad actum fidei. Prob.con-

seq.; quia non est maior ratio de uno præcepto , quam de aliorū ergo &c. Confirmatur: si dum ingrediuntur usum rationis, non obligantur , nec postea in ætate adulta obligarentur ; sed hoc est absurdum : ergo. Deinde: ex tunc incipiunt esse capaces infidelitatis peccaminosæ ; ergo & præcepti fidei.

10 Maior difficultas est: quo tempore postea teneantur eliere actum fidei? Et enim propositio damnata ab Innoc. XI. quæ dicebat : *fides non censetur cadere sub præcepto speciali, & secundum se;* & *satis est, actu fidei semel in vita elicere.* Unde hoc nequit asserti a Catholicō. Per opp̄s̄itum alij afferebant , hanc obligationem stare singulis diebus ; sed hęc assertio est nimis rigida. Quare cum N. Doct. in 3. dist. 27. quæst. 1. §. *quantum ad 2..* Dico , quemlibet fidem teneri ad actum dilectionis Dei , & consequenter ad actum fidei singulis diebus Dominicis. Hoc satis patet ex illo Exodii 20. ubi ad præstandum Deo debitum cultum p̄cipitur: *Sanctificate Sabbathum Qui plura circa hoc voluerit, legat Theologos Cassistas ab initio quæstionis citatos.*

11 Dubitabis 3.: quænam mysteria sint credenda ex præcepto tantum ? Omnia re-

revelata, si audiantur, sunt credenda; cæterum Deus non obligavit omnes, ut omnia scire curarent; quia impossibile moraliter est, ut omnes sciant omnia, quæ continentur in Sac. Scriptura, divinis traditionibus, & Sac. Concilijs; quare Deus non obligat omnes, & singulos sub præcepto ad ista omnia scienda. Quare Adulti rationis capaces tenentur explicite credere omnia illa, quæ ipsis sufficienter ab idoneo Ministro propounderunt; non vero tenentur omnes inquirere omnia, & singula, ut ipsa credant explicite. Quænam autem sint, quæ tenentur ex præcepto sic scire, & credere? est difficultas.

12 Dico primò: fideles Adulti ad usum rationis pervenientes tenentur pro suo captu explicite credere ex præcepto articulos fidei contentos in symbolo fidei; nisi ad sit ignorantia invincibilis, vel impotentia insuperabilis: sic N. Doct. cit. in 3. Prob. prima credibilia tenetur homo explicite credere; alia vero solum *implícite*, & in præparatione animi; sed articuli fidei contenti in Symbolo sunt prima credibilia: ergo &c. Confirmatur ex præxi Ecclesiæ, quæ non admittit Adulos ad Baptismum, ni-

si Symbolum profiteantur: Prob. 2. pars: tum quia impossibilia Deus non præcipit; tum, quia distinguenda sunt, quæ sunt, necessaria necessitate præcepti solum: ergo respectu eorum potest adesse ignorantia invincibilis; & consequenter &c.

13 Dico 2.: fideles adulti etiam tenentur sic credere omnia præcepta Decalogi. Prob. ex illo Math. 19.: si v'is ad vitam ingredi, serva mandata; & ex illo: docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis; sed Apostoli docebant servare mandata Decalogi; quod sane valde difficile erat, si ea non credebant: ergo &c.

QUÆST. IV.

De obligatione confitendi fidem externe.

I E Gimis in antec. de actu interno fidei: restat, ut nunc de ipsis externa confessione breviter tractemus. Nota primo, quod duplex est etiam præceptum externæ confessionis fidei: unum *affirmativum*, hoc est, de fide exterius profitenda: & alterum *negativum*, scilicet, de fide non neganda, & nihil unquam agendi exterius, quod fidei repugnet.

Utrum-

Utrumque constat ex illo Matthei 10. *Omnis ergo, qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego coram Patre meo :: qui autem negaverit coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo.* De utroque ergo praecepto agemus in presenti: quando, & quomodo obliget? Sed per prius

2 Nota 2. quod confessio externa fidei potest fieri vel *dictis*, vel *scriptis*, vel *factis*, manifestando aliquo ex his modis assensum internum circa mysteria fidei. Fit *dictis*, quando quis interrogatus de fide interna eam manifestat verbis; sic est praxis Ecclesiae, dum reconciliat ad fidem aliquem haeticum, a quo querit: an credat mysteria nostra fidei? Et audita confessione ejus ipsum ad Ecclesiam reconciliat. Fit *scriptis*, dum quis suam fidem scriptis confitetur, ut fecit Justinus Martyr, & Div. Athanasius in illo percalebri Symbolo: *quicumque vult salvus esse &c.* Fit *factis*, medijs signis specialibus Religionis Christianae, ut est suscepitio sacramentorum, adoratio Crucis, & SS. Imaginum, obbedientia Summ. Pontificis; & alia huiusmodi facta. His ergo notatis

3 Dabitabis primò: quomodo, & quando præceptum

affirmativum de fide ex eius profitenda obliget fides? Dico primò: præceptum hoc non obligat fides data quavis occasione profiteri, sed tantum in quibusdam casibus infra explicandis. Probatur: alia præcepta affirmativa non obligant hominem semper, & pro tempore: v. g. homo non semper tenet recipere Eucharistiam, sed interdum, & aliquibus casibus: nec semper tenet diligere proximum: ergo similiter præceptum affirmativum externe confessionis fidei non semper obligat, sed tantum in aliquibus casibus. Et ratio totius est differentia, qua communiter assignatur a Theologis inter præceptum affirmativum, & negativum, quæque satis constat ex numero primo. huius.

4 Si autem scire vellis, quinam sint hic casus, in quibus obligat præceptum affirmativum externæ confessionis fidei? Respondeo, quod varij assignantur a Theologis, sed nos breviter principaliores ad quinque reducimus. Primus est, quando omissione confessionis fidei cederet in injuriam fidei, aut Dei, aut in scandalum proximi. Ratio est; quia qualibet virtus obligat ad ejus defensionem, quando ejus honestas periclitatur: & similiter qualibet fidelis tenetur

conseruare divinum honorem, & fidem proximi, quando eminet periculum detrimenti. Unde quando quis catholicus publice interrogaretur: an Verbum divinum in arnatum est? Tenetetur respondere affirmativa. Dixi publice; quia si interrogetur private a private infideli, tunc non tenetur se manifestare; nisi adsit scandalum, vel timeatur ruina spiritualis sui proximi ex ejus taciturnitate, & silentio.

5 Secundus casus est, quando Adulterus corpori Ecclesiae aggregatur; quia cum tunc fiat membrum visibile visibilis Ecclesiae, media susceptione baptismi, debet in se signum visibile ipsius incarnationis date, & profiteri. Tertius est, quando homo constitutus in articulo mortis, rationisque compos non potest exercere aliquem actum Religionis debite, & ut oppotet, nisi verbis, aut signis ipsam fidem profiteatur. Quartus est, quando quis videt alios ab hereticis depravari, & nequit eis alio modo providere, nisi fidem tuendo, & profiendo; tunc enim ex precepto charitatis, quod Deus unicuique mandavit, habere cutam de suo proximo, tenetur fidem profiteri, & defendere. Quintas tandem casus habetur ex Tridentino ses. 24. cap. 12. & ses. 25. cap. 2. & ex Pio V,

motu proprio, sacro sancta Eccl. & est, quando aliqui promoventur ad beneficia habentia curia animarum: ad Canonicatus, vel Dignitates in Ecclesijs Cathedralibus: & ad gradus Doctoratus in Academijs &c.

6 Si autem ultra scire velis, quanto periculo obliget huc externa fidei confessio in aliquibus casibus? Respondeo, quod satis probabile est, quod etiam cum periculo vita. Siquidetur; quia cum hoc onere, & obligatione Christus Dominus precepit fidem confitendam, ut satis constat ex illo Math. 10.: tradent enim vos in Concilijs, & in synagogis sui flagellabunt vos &c. Qui autem perseveraverit usque in finem hic salvus erit &c. Et quamvis verum sit, quod hoc preceptum immediate sit, traditum solis Apostolis; tamen per illos, & in nos quoque ut in huc editarios Discipulos transmisit; narrantur aucti Christus: tradet autem Frater, Fratrem, & Pater Filium in mortem, & insurgent Filii in parentes. Quod latè de omnibus fidelibus intelligendum venit; sic ad Literam Tertullianus in Scorpione cap. 9. usibdo munis
7. Dico: non obstante hoc precepto affirmativo, per se loquendo si itum est, etiam Pastoribus, & Prelatis su-

gēre , vel se occultare pro tempore persecutionis. Prob. ex illo Matth. cap. 10. *cum autem per sequentur vos in Civitate ista , fugite in aliam ; ergo licitum erit aliquando Prælati , & Pastoribus fugere in aliam terram tempore persecutionis.* Confirma tur exemplo Div. Pauli , quod de se refert , 2. ad Corinth. cap. 11. *ubi fugit prepositum Damasci ipsum volentem comprehendere.* Et hoc etiam constat ex historia Ecclesiastica ; nam plures S.S. Pontifices fugerunt , vel se occultavere tempore persecutionis.

8 Dices ex illo Joann. cap. 10: *bonus Pastor debet animam suam pro ovis ponere:* ergo Prælati , & Pastores juxta Scripturam tenentur non fagere tali tempore. Respondeo , negando consequent. ; quia Christus Dominus in hoc loco non imputabat eos , qui fugiunt , sed tantum plurimum laudat eum , qui non fugit. Fuga enim non est per se mala ; cum non sit negatio fidei , sed solum quedam professio ipsius , & quando exilium pro fide suscipitur , est quedam pars martyrij. Unde aliquando potest esse necessaria ad maius bonum , vel ad vitandum maius malum , scilicet , ad consulendum sue fragilitati , vel ad vitam necessa-

riam pro aliorum salute servanda ; quæ utilitas , vel fragilitas tanta interdum potest esse , ut fuga non tantum sit licita , sed etiam moraliter necessaria. Sed ut hoc plenius intelligatur.

9 Notate , quod aliquando Prælati , & Pastores tenentur non fugere : ut quando ex fuga maximum detrimentum posset accidere saluti spirituali suarum oviū , ut si ex fuga Pastoris , oves inferrent fidem nostram esse falsam ; vel si hæretici persecutores ex hoc inferrent argumentum ad tuendum errorem , vel hæresim : aut de nimis si præsentia Pastoris sit necessaria ad confirmandos alios in fide ; quia salus spiritualis suę ovis anteponenda est proprio speculo vitri ; & hoc non solum ex charitate , sed & ex justitia.

10 Dubitatibz 2. : ad quid obliget præceptum negativum de fide non neganda? Respondeo , quod obligat semper , & pro semper ad nihil agendum exterius , quod fidei repugnet. Proindeque , hominem graviter peccare , si exterius neget fidem ; quamvis eam in corde retineat. Prob. : non licet mentiri , nec veritatem impugnare , neque injuriam alteri irrogare ; sed negare fidem , est mentiri , est im-

pugnare veritatem *positivè*; cum propositio de fide sit vera: & est etiam interrogare injuriam primæ veritati revelanti, & Ecclesiæ: ergo &c. Confirmatur: numquam licet facere illud, ex quo sequitur suinum malum; sed neganti fidem accidit summum malum; ut patet ex illo Lucae 10.: *qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*: ergo &c.

11 Dubitabis ultimo: quibus modis posuit externe negari fides? Circa istam difficultatem varijs casis proponi valent, de quibus merito dubitari possit: an sint contra fidem, aut fidei externam confessionem? Aliquos breviter referam, de alijs inquiram. Primo certum est, non licere tempore persecutio- nis fidem externe negare, retenta in corde vera fide. Hæc veritas constat ex facto Eleazari 2. Machab. cap. 7.. Et etiam ex illo Math. 10.: *qui negaverit me coram hominibus &c.* Certum est 2., quod non licet fidelibus ocul- tare fidem per actiones, quæ explicite continent falsum cul- tum; quia actus isti sunt ex- præsse Idolatriæ, & instituti ad cultum Idolorum. Unde ædificatio, detersio Idolorum, vel Templorum infidelium; ad orna- tio domorum, viarum, plate-

rum, & cætera huiusmodi, que in honorem false religionis sunt ab infidelibus in eorum festi- tatibus, sunt illicita fidelibus.

12 Tertio constat, non licere fidelibus commedere ci- bos veritos ad occultandam fi- dem, quando talis commestio est in cultum Idolorum; vel quando ex illa oritur scandalum in scientibus, sive fidelibus, si- ve infidelibus. Quarto constat, quod dum agit de Religione, non licet negare, se esse Chris- tianum, aut dicere, se esse Ma- humetanum, Nestorianum, vel Lutheranum; quia in his casi- bus maxima sit injuria fidei cat- holicae, & Christo. Nec quin- tum licitum est alicui dicere, se esse professorem alicuius false religionis, ut sic infideles illius sectæ convertat ad fidem cat- holicam; quia non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona; sed dicere aperto se esse profes- sorem false religionis est per se malum, non solum ob fallitatem dicti; sed etiam propter detes- tationem false religionis: ergo &c.

13 Denique sexto illi- citum est, quod aliquis se in- duat veste Gentilium, aut hæ- reticorum, ut sic interrogatus respondeat per restrictionem mentalem se esse Gentilem, aut

Tur-

Turcam secundum vestem, non vero secundum sectam, & religionem ; ratio est ; quia equivocatio in materia Religionis est illicia ; & cum nomen Gentilis, aut Turcae significet conditionem Personæ, aut illius sectæ, & non vestitum, hinc est, quod qui sic responderet, vere negaret fidem saltem externe. His ut certis suppositis, circa alias difficultates.

14 Inquires 1. : an licet fidelibus uti signis infideliū, & assumere eorum velles ut fidem occultent ? Respondeo, quod si velles, aut signa pertinent ad falsam religionem, aut ad specificam distinctionem infideliū à fidelibus, nullo modo licere, ut constat ex supra dictis ; si verò signa, aut veste non sint instituta ad profitendam falsam Religionem, sed unice pertinent ad talem nationem, aut Regnum, & quibus uerentur, etiam si Incolæ ad fidem converterentur ; tunc licet eis uti ; quia vestis illa, aut signa, nec explicite, nec implicite continent professionem falœ religionis, nec negationem fidei Christianæ, nec adest aliquod præceptum Dei, aut Ecclesiæ in contrarium.

15 Ex hoc infertur, licitum esse fidelibus, qui mittun-

tur incommodum Reipublicæ Christianæ, ut exploratores, ad terras infidelium, vel transire debent per eas in proprium comodum, ut eorum vestibus; ne ab eis, ut Christiani agnoscantur, & capiantur, ac occiduntur. Ratio est ; cum quia licet uti corum idiomate ; cum, quia huiusmodi genus vestium habet usum aliquem primarium licitum, & honestum, sci icet, tegere corpus. Tum denique; quia Militibus Christianis in plurim sententia licitum est, dum contra Turcas pugnant, ut eorum vexillis, ut eos capere possint : ergo & uti eorum vestibus.

16 Inquires 2. : utrum Catholicus existens in terris infidelium, vel hæreticorum possit licite carnes commedere tempore prohibito lege Christianorum ? Respondeo cum distinctione; vel fidelis est ignotus, & habet necessitatem commedendi carnem talibus diebus, & tunc ob necessitatem absque ulla protestatione potest licite eas commedere ; quia nec præceptum, nec scandalum eum prohibet. Vel fidelis iste ignotus habet copiam aliorum ciborum, & non est infirmus : & tunc aliqui dicunt, quod potest licite carnes commedere, ne se prodat ; quia effus ille non est character specialis,

&

& distinctivum hæretorum à catholiciis ; cum abstinentia à carnibus sit tantum juris positivi, & Ecclesiastici, quod non obligat in casu necessitatis. Sed licet hic modus dicendi probabilis sit ; securior tamen est oppositus ; quia enim habeat copiam aliorum ciborum, non video, unde excusat a lege Ecclesiastica. Qui circa hoc dubium, pluresque a iis difficultates, plura scire desideraverit, consultat N. Arbiol hic disp. 7. artic. 2. à fol. 241.

17 Inquires tandem : contra quam virtutem sit fidem exterius negare, & eam exterius non confiteri, quando est obligatio externæ confessionis fidei? Non loquimur de omissione externæ confessionis, quando haec obligat per accidens, aut ratione alterius virtutis ; nam tunc certum est, quod omissione erit contra illam virtutem, ex cuius motivo obligat externa fidei confessio ; loquimur ergo de omissione confessionis externæ fidei, quando haec obligat per se.

18 Dico : negatio externa fidei, & omissione confessionis externæ ipsius, dum est obligatio per se, est contra ipsam virtutem fidei. Prob. : ad virtutem fidei, neendum pertinet

credere, sed etiam fidem consideri : ergo negatio externa fidei, & omissione confessionis ipsius, est contra ipsam fidei. Prob. antec. : excellencia divina veritatis non solum postulat, ut credamus, quod Deus revelat ; sed etiam, ut testimonium exhibeamus, atque vera esse à Deo revelata extrinsecus confiteamur, quories id fuerit necessarium ; oppositum enim facere est injuriosum veritati ihesu, qui veram testificavit ; ut est per se manifestum: ergo &c.

19 Ex his tandem habes, quod vera extrema confessio fidei est actus imperatus à virtute supernaturali fidei. Confitat primo ex illo Apostoli ad Rom. cap. 10. ubi dicitur : *corde enim creditur ab iustitiam ore autem confessio fit ad salutem.* Et ex illo Psalm. 113.. credidi, propter quod locutus sumus sed in his testibus docetur, datur duos actus fidei inter quos datur sua causalitas, qua fides interna influit in externam : ergo quia fides interna influit imperatively in actionem confessionis externæ. Hoc parificari poterat exemplo aliarum virtutum habentium actionem internum, & externum, quorum primus imperat secundum.

D I S P. X.

DE REGULA VISSIBILI
fidei divinæ.

Hillari, gratoque animo in hac disput. discutienda ha-
benas calamo laxarem, ni alij tractatus theologici
scholastici me urgerent. Præterquamquod plurima ad hanc
materiam pertinentia tacta iam manent in antecedentibus,
principue quæst. 4. disput. 1. per totam agendo de ultimo
resolutivo fidei; disp. 2. de objecto materiali ipsius. Disp.
6. quæst. 1. de propositione necessaria ad fidem, quæst.
1. alijsque locis. Quare brevitate, qua potero me expediam
ab hac materia, quæ solum pro Tyronibus instruendis exa-
ratur; nam si ad longum tradenda foret, integra volumi-
na essent necessaria. Quare sit

QUÆST. I.

*An sit necessaria in Ecclesia Dei
infallibilis, & sensibilis regula
fidei: an una, vel plures:
quænamque hæsint?*

I **E**sto fides ex sola in-
fallibili authoritate
Dei essentialiter infallibilitatem
accipiat, ut abunde dictum ma-
net. Disp. 1. huius; tamen cum
non immediate descendat a Deo

ad singulos fideles, hinc neces-
saria est inter Deum, & nos
aliqua via, media qua doctrina
a Deo revelata nobis infallibili-
ter innotescat. Et aliunde cum
Ecclesia, ut est congregatio fi-
delium sub regimine Romani
Pontificis Christi Vicarij sit sen-
sibilis, videtur omnino necessum,
quod regula proponens toti Ec-
clesiae ea, quæ credenda sunt,
sensibilis sit. Et sic regula sensi-
bilis fidei, de qua hic agimus,

sic

sic definiri valet: *est quid sensibile proponens universaliter, & infallibiliter res credendas.*

2 Ex hac definitione sequitur primo, quod hæc regula viisibilis fidei debet esse quid distinctum ab authoritate Dei loquentis, & ab ipsa ejus veracitate, quæ est formalis ratio credendi; regula autem nobis applicat talem rationem; & hoc infallibiliter, ita ut non posset errorum causare. Secundo sequitur, quod hæc infallibilitas est conditio regulae fidei. Tertio, quod talis regula non habet eam infallibilitatem ex se, sed ex promissione Dei pernianenter. Ratio est; quia, cum ex una parte talis regula sit quid creatum, non potest ex se habere infallibilitatem; & ex alia cum sit regula toti Ecclesiæ deserviens, quæ est permanens, immo usque ad finem mundi duratura, ideo ejus regula debet esse permanenter infallibilis ex promissione Dei.

3 Sequitur tandem, quod talis regula fidei debet esse universalis, seu communis omnibus; per quodque dissentia proxime proponente, hoc est, Prædicatore, Magistro, vel Ministro. De hac ergo regula sic explicata procedit præsens difficultas, in qua plura queruntur. Primo,

an sit necessaria in Ecclesia Dei? Secundo, an sit unica, vel plures? Tertio, quænam sint regulæ fidei? Et tandem inquiremus: ante inter illa sit necessaria aliqua regula animata? Plura ex his quæstis discussa sunt toni. **1.** Cursus huius Almæ Provincie Disp. **1.** Præm. quæst. 8. & 9. præcipue sect. ultim. per totam. Quare brevi negotio ab ea expediemur per sequentes conclusiones. Sit ergo

Prima conclusio.

4 Necessaria est absolute in Ecclesia Dei aliqua infallibilis, & sensibilis regula fidei. Hæc conclusio est de fide. Imo & ab ipsis hereticis admittitur, qui omnes (etsi in vanum) laborant pro statuenda aliqua regula infallibili suæ peculiaris sectæ. Est definita in Tridentino Icf. 4. Prob. **1.** ex Scriptura. Matth. 16. dicitur: *super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prevalebunt adversus eam.* Apostolus **1.** ad Thymoth. cap. **3.** ait: *que est Ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.* Et ad Ephes. **4.**: *Una fides, unum baptisma;* sed hæc omnia non possent verificari de Ecclesia Dei, si non esset aliqua regula infalli-

libilis sensibili generalis, & omnibus communis: ergo est necessaria &c.

5 Prob. min. & in simul conclusio à ratione: si non esset talis regula, unusquisque suum judicium, & sententiam sumeret, ut regulam discernendi veram Religionem à falsa; vel ad minus singuli populi, aut Provinciae proponerent sibi aliquem doctorem pro regula; consequenterque tot capita, quot sententiae; sed hoc stante non posset prevalere Ecclesia, nec esse columna, & firmamentum veritatis, aut esse una, unumque baptismum: ergo. Vide quæ diximus, quæst. i. disp. 5. de signis prudentis credibilitatis, signo 7.

6 Dices contra istam conclusionem: ad firmitatem, & infallibilitatem Ecclesiae sufficit sola revelatio divina proposita à Ministro, vel Prædicatore; sed sic proponentes nequeunt esse regula infallibilis: ergo. Prob. mai.: dum Apostoli, & Discipuli Domini prædicabant die Pentecostes, & deinceps, ipsi audientes credebant; sed tunc nulla erat regula infallibilis sensibilis; quia pro tunc Div. Petrus non habebatur, ut Vicarius Christi, nec ut viva regula infallibilis: ergo. Confirmatur: ante Ecclesiam ædificatam à

Christo ab initio mundi fuit vera fides necessaria omnibus ad salutem; sed tunc nulla fuit regula sensibilis infallibilis fidei: ergo.

7 Respondeo, quod Apostoli, & Discipuli Domini, dum prædicabant, eam simul confirmabant miraculis, & signis, in quorum conspectu tenebantur audientes credere, doctrinam illam esse veram, & à Deo revelatam; sed quia post promulgatum Evangelium non omnibus, ac singulis sic proponuntur credenda per talia signa, hinc nunc necessaria est regula sensibilis infallibilis, quæ proponat doctrinam prædicatam ab Apostolis, & discipulis, ut infallibiliter credendam. Verum ergo est, quod si nunc proponerentur alicui credenda confirmata talibus signis, & miraculis, respectu huic non esset necessaria alia regula visibilis. Ad confirmationem, nego min.; quia pro lege veteri tam naturæ, quam scriptæ fuerunt traditiones, & post Moysem Sac. Scriptura; & sic numquam defuit regula visibilis infallibilis fidei divinae.

Secunda conclusio.

8 Regula sensibilis fidei
Qq

dei divinae non est unica , sed multiplex.clarius: sola Sac. Scriptura non est unica , & sola regula fidei. Hæc conclusio etiam videtur de fide , & est communiter contra hæreticos Calvinistas , Lutheranus , & Socinianos non agnoscentes aliam regulam visibilem fidei , præter verbum Dei scriptum. Prob. primo: ipsa Sac. scriptura non facit fidem , nec admittitur , ut regula fidei , nisi prout recepta est ab Ecclesia , ut verbum Dei ; imo de facto plures ibi ipsius olim non admittebantur , ut vere canonici , donec tractu temporis , & dirigente Spiritu Sancto , admissi sunt ab Ecclesia: ergo præter Scripturam Sac. necessaria est alia regula infallibilis propounder , & determinans , quænam sit illa vera Scriptura,consequenterq; hæc non est unica regula infallibilis,& sensibilis fidei living.

9. Prob. 2. conclusio ratione N. Doct. fundata in autoritate Augustini In Sac. Scriptura plura sunt obscuræ , & indignient explicatione , & plura iam creduntur in Ecclesia,q; ex prelēs non sunt in Scriptur. Quia propter non solum de libris canoniciis , sed etiam de sensu ipsarum scripturarum orientur controversiae in rebus valde gravibus: ergo necessaria , est alia regula infallibilis , ad quam

fiat recursus in illis controvèrsijs , ut determinet de vero sensu talium locorum. Conseq. infertur; alias Deus non sufficienter prævidisset Ecclesiæ ad fidei puritatem , & unitatem servandam. Antec. prob. contra hæreticos ex eorum hæresum origine ; nam istæ ex Scriptura male intellecta originem trahant , tam in Synagoga , quam in Ecclesia; quia singuli Hæresiarchæ prætendebant , se habere fundamentum in scripturis, ipsas corrumpebant , verum sensum pervertiebant , & detorquebant in favorem sui erroris. Hæc conclus. Ultra patet ex dicendis in sequentibus. Nunc vero

10 Dices r.contra ipsam: Christus Dominus ad solam Scripturam , ut regulam fidei mittebat Judæos : ergo quia sola Scriptura est talis regula. Antec. constat ex illo Joann. 5. Scrutamini scripturas &c. & ex Itai. 28. non addatis aliquid ad Verbum , quod loquor vobis. Et Apostolus ad Roman. 15. : quæcumque scripta sunt , ad nostram doctrinam scripta sunt ut per patientiam & consolationem Scripturarum Spem habeamus , Tandem Apost. ad Galat. cap. 1. ait: sed licet nos , aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis. anathema sit. Vide alias quamplures autho-

ritates, quas ad hoc adducunt
hæretici in Controversiis.

11 Resp. negando absolute antec.; nam licet hæc, & similia loca remittant fideles ad scripturas, non ob hoc excludunt alias regulas; quinimo eas suadet; nam juxta Apost. ad Tesalon. 2. cap. 2. ait: *tene traditiones, quas acceperitis.* Unde Deus in 1. textu damnat recursum Jædæorum ad Pythonissas, & Ariolos, & vult, ut consulant leges, & Prophetas, in quibus habebant figuræ, & prædictiones de Christo venturo illæ: *enim sunt, inquit, que testimonium peribent de me.* Sed non rejiciebat alia testimonia, & regulas, imo allegat testimonium Joannis Baptiste, & etiam miracula ipsius met Christi. Hoc modo responderetur ad testimonium Joann., & ad testimonium Div. Pauli dico, quod *ly preterquam* significat idem, ac *contra*; nam pro tunc erant iam aliqui hæretici, qui *contra* Evangelium Christi aliud conformare conabantur.

12 Dices 2.: sola Scriptura est Verbum Dei; sed hoc ipso ipsa sola debet assignari pro unica regula visibili fidei divinæ: ergo. Prob. min.: omnia alia, quæ assignari possent pro talis regula, sunt

verba, aut dicta hominum, ut pote traditiones, & decreta Ecclesiæ; sed omnia hæc non possunt esse talis regula; cum sint fallibilia: ergo &c. Respondeo distinguendo mai.: sola Scriptura est Verbum Dei *scriptum*, conc. mai.: est Verbum Dei *simpliciter, & absolute*, ne go mai. & min.: ad cuius probationem, omissa mai., nego min.; quia licet talia verba secundum se sint fallibilia (*excepe* traditiones Christi Domini) tamen, ut approbata ab Ecclesia sunt Verbum Dei, *non scriptum*, sed *traditum*, & inspiratum Ecclesiæ Sponsæ suæ, & depositariæ doctrinæ. Vide alia argumenta contra istam conclusionem Disp. 6. huius quest. 1. & alia proponentur.

13 Interim vero nota, quod licet in hac 2. conclus. dixerimus, quod sola Sac. Scriptura, non est regula visibilis, & infallibilis fidei divinæ; non ob hoc est nostri animi excludere Sac. Scripturam à vera, & certissima regula fidei; quinimo hoc ut de fide fatemur, & ex professo hæc veritas probata est in 1. tom. Disp. 1. quest. 10., Sect. ultim. à num. 7. Vide ibi, ubi proponuntur contra ipsam varia argumenta.

nos viva voce a primis Ecclesiis temporibus.

Tertia conclusio.

14 Traditiones dominicae, & etiam traditiones Apostolicæ circa res fidei, & morum receptæ ab Ecclesia ut tales sunt regula infallibilis, & sensibilis fidei Divinæ. Est contra Hæreticos iam cit. Ante probationem nota, quod traditiones aliae sunt dominicae; Apostolicæ aliae; aliaeque Ecclesiasticae. Dominicæ sunt, quæ ab ore Christi Domini, originem ducunt, seu quas Christus Dominus ore suo docuit immediate, & à Canoniceis scriptoribus non sunt scriptæ; de quibusque Joann. cap. ult. sui Evangelij ait: *sunt & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt. Apostolicæ sunt, quæ ab ore Apostolorum inspirante Spiritu Sancto immediate emanarunt, & scriptæ non sunt, de quibus Apost. 2. ad Tessalonicenses, cap. 2. ait: itaque fratres state: & tenete traditiones, quas didicistis.* Tandem traditiones Ecclesiasticae sunt, quæ nec à Christo Domino, nec ab Apostolis, originem habent, sed ab ipsa Ecclesia post Apostolos edoctæ, & non scriptæ transmissæ sunt ad

15 Similiter notaadum est, quod traditiones dominicae fuere pro omni tempore a Mundi Exordio: & Apostolicæ à tempore Apostolorum: & Ecclesiasticae post Apostolos. Prima pars constat ex eo, quod ab initio Mundi, seu à creatione Protoparentum nostrorum fuit vera religio verum Deum colens; sed pro tunc nullus erat Canonicus scriptor usque ad Moysen: ergo regebantur traditionibus dominicis. Deinde, Genes. 17. impositum fuit Abrahæ pro se, & suis posteris, quodque usque ad legem scriptam per Moysen, non nisi per traditionem constabat posteris Abrahæ: ergo traditiones dominicae negari non valent pro statu legis naturæ.

16 Multo minus negari valent pro statu legis scriptæ; cum constet ex Psalm. 43.: *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri anuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & diebus antiquis.* Etiam ex Psal. n. 77. & ex Ecclesiast. cap. 8. & Jeremias 6. ex quibus omnibus expresse constat, fuisse præter legem scriptam traditiones, per quas Doctores legis inter prætabantur eam, ac docebant Populum. Vide

de Petrum Galatin. lib. 1. de
arcana catholicæ veritatis cap.
1.: similiter & fuisse tradicio-
nes in novo testamento , Patet
ex eo , quod multa facta , &
dicta Christi Dominini non sunt
scripta , sed tradita Apostolis , &
ab Apostolis ad alios , donec
tandem scripta sunt ab eorum
successoribus ; Apostoli enim
pauca tradiderunt de his , quæ
coram eis fecerit , & dixit Chris-
tus per 40. dies post Passionem
apparens eis , & loquens de
Regno Dei , ut constat ex text.
allegato Div. Joann.. Etiam quod
fuerint traditiones Apostolicæ,
constat ex text. præalleg. Div.
Pauli. Ex quibus omnibus con-
stat , quod traditiones dominicæ
fuerunt pro omni tempore. An
vero istæ traditiones sint regu-
la infallibilis , & viissibilis Dei ?
Est quod nunc in præsentii con-
clusione resolvendum est. Et iterum

17 Dicimus , quod tra-
ditiones sive divinæ , sive Aposto-
licæ approbatæ ut tales ab Ec-
clesia sunt Regula infallibilis , &
viissibilis fidei divinæ. Est ex
pressa nostri Subt. Doct. in I.
dist. 11. quest. 1. ubi ait : *mul-
ta credimus que non reperi-
mus scripta in libris canonis;*
,, v. g. Chilum descendisse ad
,, Infros , non docetur in Evan-
,, gelio , & tamen tenendum est,

„ ut articulus fidei. *Ita multa*
„ *alia de Sacramentis Ecclesie*
„ &c. Hocidem probat. ex Conc.
„ Trid. ses. 4. in decreto de ca-
„ nonica Scriptura ait : omnes
„ libros tam veteris , quam novi
„ testamenti , cum utriusque Deus
„ unus sit Auctor , necnon tra-
„ ditiones ipsas , tum ad fidem ,
„ tum ad mores pertinentes ,
„ tamquam vel oretenus a Chris-
„ to , vel ab Spir. Sancto dicta-
„ tas , & continua successione
„ in Ecclesia Catholica conser-
„ vatas pari pietatis affectu , ac
„ reverentia suscipit , ac vene-
„ ratur. Et ita concludit : si quis
„ traditiones prædictas sciens ,
„ & prudens contempserit , ana-
„ thema sit.

18 Prob. 2. conclusio
ratione : Verbum Dei ore pro-
latum non minus est verum , &
infallibile , quam scriptum : er-
go sicut scriptum est regula fidei , ita & ore traditum. Antec.
patet ex prima Apostoli ad
Thesal. cap. 2. : *cum accepissetis*
a nobis verbum auditus fidei ,
acepissetis illud non ut verbum
*hominum , sed sicut vere est ver-
bum Dei.* Ubi notandum est ly
auditus. Prob. 2. idem antec. ;
quia Scriptura nihil addit supra
verba Dei ore probata , nisi
stabilitatem contra lapsum me-
moriae , & maiorem commodita-
tem , ut percipiatur ab absenti-
bus;

bus; quoad veritatem vero ipſus nihil juvat; cum Deus sit infallibilis in suis dictis, non minus, ac in suis factis: ergo Scriptura est aequa vera, ac verbum ore prolatum.

19 Prob. tandem conclusio contra ipsosmet hereticos: quod Scriptura Sac., quam ipſi recipiunt, ut unicam regulam fidei, sit verbum Dei scriptum, non potest certo, ac infallibiliter constare, nisi media divina, vel Apostolica traditione, quae sit fide credenda: ergo tenentur admittere tales traditiones. Prob. antec.: quod haec scriptura sit talis regula non possunt certo & infallibiliter cognoscere, per ipsammet scripturam, nec per definitionem, aut declarationem Ecclesie; sed non restat aliud medium, nisi traditio dominica, aut Apostolica: ergo Mai. quoad 2. part. constat; cum accerrime heretici negent, in Ecclesia Dei esse autoritatem declarandi, ac definendi articulos fidei. Eadem mai. quoad 1. part. prob.; quia si ex Sac. Scriptura probarent, ipsam esse unicam regulam infallibilem, maxime, quia in ea dicitur, *haec dicit Dominus;* sed ex hoc non; quia etiam Pseudo-Prophetæ dicebant; *haec dicit Dominus,* cum Dominus non fuerit locutus: ergo. Deinde quare ab

ipſis: quenam Scriptura sit unicā regula infallibilis? Et invenies discordes sententias; cum valde variata sit.

20. Dices 1. contra istam conclusiſ: etſi antea fuerint aliquae traditiones, tamen de facto non sunt: ergo. Prob. antec.: Ecclesia iam definivit omnes, quę dicebantur traditiones dominicæ, & Apostolice: ergo iam non sunt traditiones. Resp. negando antec. ad cuius probationem disting. antec.: Ecclesia iam definivit, ut traditiones &c. conc. antec.: ita ut antequam definirentur, tales traditiones non essent regula fidei, nego antec. & conseq.. Itaque ab Ecclesia decernuntur traditiones, ut sunt traditiones dominice, vel Apostolice, & sic per Ecclesię decretum tollitur dubium, & fit certum de fide, quod tales sint traditiones dominicæ, & Apostolice.

21 Dices 2.: Christus Dominus per Math. reprehendit traditiones scribarum, & Phariseorum cap. 15. ait enim: *quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* ergo. Respondeo, quod Christus Dominus ibi reprehendit traditiones prophetas, quas Div. Hieronymus vocat *aniles fabulas;* non vero im-

probat traditiones veras, & sacras, ut constat ex probationibus nostræ conclusionis. Qui plura alia circa num. & qualitatem traditionum, sive Dominicarum, sive Apostolicarum, quæ iam ab Ecclesia receptæ sunt, scire voluerit decursum temporis, videat N. Eminent. Laur. in 3. sentent. tom. 3. part. 1. disp. 4. art. 6. ubi & quamplurima alia, quæ balbutiunt hæretici ex scriptura contra traditiones, inventiet. Dicta enim pro Junioribus scholasticis sufficiunt, ne jejuni accedant ad controversias dogmaticas.

Quarta conclusio.

22 Concilium Gener. & legitimum, & a Papa confirmatum est regula infallibilis fidei: & decreta ipsius sic confirmata, & approbata sunt etiam regula infallibilis fidei. Est communis inter catholicos; inq. & de fide. Ante probationem nota: quod Concilium dicitur legitimum, si fuerit convocatum iussu, aut consensu Papæ, & ipse ei adsit, vel per se, vel per legatos, aut ejus acta approbet. Unde in præsenti non loquimur de Concilijs Dioecesis, nec Provincialibus, nec Nationalibus, quando ista non

continuantur ab Universali Ecclesia, vel à Summ. Rom. Pontifice, & approbantur, ut Generalia; nec loquimur de eorum decretis, nisi postea approbentur à Sum. Pontifice. His notatis:

24 Prob. 1. conclusio quoad 1. partem: talia concilia representant, Ecclesiam catholicam Romanam: ergo si in Ecclesia catholica Rom. est, ut in columna, & firmamento veritatis, aliqua regula infallibilis visibilis fidei divinæ, maxime in Concilijs Gener. legiunne congregatis, & à Papa confirmatis; cum in ipsis est Ecclesia per membra, & caput congregata. Confirmatur; Papa se solo est regula animata infallibilis fidei divinæ: ergo à fortiori in Concilio Gener. & cum ipsomet Concilio erit talis regula.

24 Prob. hæc eadem veritas ex SS. PP., nam Ambrosius profitetur, se velle sequi omnia, quæ in Concilijs erant definita. Aug. protestatur, se custodire quæ tradita sunt vel ab Apostolis, vel à plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas. Hoc ipsum docetur in ipsomet concilijs, simo, & in editis plurium Imperatorum damnatibus, ut desertores, fidei eos,

qui

qui contradicunt definitiones
taliū Conciliorū. Videatur,
quod ait Justinianus titulu de
Santissima Trinitate. Prob. ea-
dem pars hæc ratione: illæ sunt
regula infallibilis fidei, quas
Deus revelat per regulam in-
fallibilem cum assentia Spir-
itus Sancti; sed tales sunt defi-
nitiones, & decreta horum Con-
ciliorum Gen.: ergo. Prob. min.:
nam Christus promittit, se mi-
tttere Spiritum Sanctum, qui do-
cebit omnem veritatem; qua-
propter Div. Petrus in 1. Con-
cilio ait: *vixum est Spiritui
Sancto, & nobis*: ergo &c.

25 Prob. 2. pars con-
clusionis, scilicet, quod sit ne-
cessaria, approbatio Papæ, ad
hoc, ut talia Concilia, & eorum
decreta sint regula infallibilis
fidei divine; quia assentia Dei
ad non errandum in fide pro-
missa est Petro, ut capiti Eccle-
siæ, ut constat ex illo Luca 22.:
ego autem rogavi pro te Petre,
ut non deficiat fides tua :: & tu
aliquando conversus confirma fra-
tres tuos: ergo est necessaria
approbatio Summ. Pontificis ad
hoc &c. Confirmatur hoc ex
continua praxi Conciliorum,
qua de cœlata sua statuerunt, vel
ex instructione SS. Pontificum;
vel istorum confirmationem pe-
tierunt, ut novissime constat ex

Concilio Tridentino ses. 25.
26 Dices contra 1. par-
tem conclusionis; ut Concilia
Generalia, eorumque decreta
sint regula infallibilis fidei, de-
bet constare de eorum legitimite-
tate; sed hæc nequit nobis cer-
to constare: ergo. Probatur min.:
ut hæc legitimitas certo nobis
constaret, deberet constare de
fide omnium PP., de illorum
que bona electione; sed hæc
nobis non constat certo, ma-
xime fides; quia hæc soli Deo
nota est: ergo &c. Maior cons-
tat; nam si PP. Conciliis sint
hæretici, aut intrusii, non fa-
cerent Concilium legitimum,
nec decreta juridica. Respon-
deo, negando min., & min. pro-
bationis; nam hoc ipso, quod
Papa, vel Ecclesia Universalis
recipiat aliquod Concilium, ejus-
que decreta, certo nobis con-
stat, tale Concilium esse legit-
imum, ejusque electores legitime
congregatos. Vide quæ diximus
disp. 2. huius, quæst. 4..

27 Dices 2.: decreta,
etsi Concilij Gener., sunt de-
creta hominum: ergo non sunt
regula fidei. Confirmatur: talia
decreta transeunt ad nos per
historias fallibiles humanas: er-
go licet ipsa decreta in se sint
infallibilia, tamen respectu nos-
tri non sunt regula infallibilis;

cum

cum historiq; nos fallere valeant.
Resp. dist. antec.: decreta Concilij sunt decreta hominum *dictata à Spiritu Sancto*, conc. antec.: iunt *ex pura sapientia hominum*, nego antec. & conseq.. Ad confirmationem, dico, quod si quid probat, probat, quod articuli fidei non sunt regula infallibilis; quia ad nos veniunt per Praeceptores, & Magistros, qui nos fallere possunt; sed respondeo, negando absolute antec.; quia talia decreta transeunt ad nos, cum transeunt ad Ecclesiam Roman., quæ ex promissione divina, nec decipi valet, nec nos fallere potest.

28 Dices 3. contra eamdem partem; in aliquibus Concilijs Generalibus legitime congregatis à Summ. que Pontifice approbatis, quampluries errarunt SS. PP.: ergo quia nequeunt esse &c. Antec. constat tum ex Concilio Ariminensi sub Liberio Pontifice. Tum ex Nicæno I. Can. 19.. Tum, ex Chalcedonensi. alijque quampluribus citatis ab hæreticis mordicis lacerantibus infallibilitatem Ecclesiq;. Certe nimis longum esset huic replicæ sigillatim respondere. Quare respondeo negando absolute antec.; nam si aliqua concilia in aliquo erraverunt, vel fuit,

quando non erat legitima ex aliqua causa superveniente ex defectu subjectiōnis, & obedientiæ, ut ex defectu subjectiōnis, & obedientiæ ad Summ. Pontificem; vel postquam fuere terminata, & protequebantur sine autoritate Pontificis. Videantur latius Doctores dogmatici.

29 Dices 4. pro 2. parte conclusionis: Concilium Gener. ètiam sine instructione, & confirmatione Papæ representat totani Ecclesiam; sed hæc est, quæ est columna, & firmamentum veritatis: ergo decreta talium Conciliorum, ut sint regula fidei, non pendent à Summ. Pontifice; consequenter &c. Respondeo, negando mai. nam sicut corpus sine capite totum moritur, nec ullam habet vitalē operationem; sic congregatio Episcoporum sine instructione, & confirmatione Papæ nullam firmatatem habet, saltim ut pos sit esse regula infallibilis fidei.

30 Dices 5. contra idem: Verbum Dei non eget confirmatione Papæ; sed quampluries definitiones Conciliorum antecedenter ad confirmationem Papæ sunt Verbum Dei, ut patet in Concilio Constantiensi, quod ante electionem veri Pontificis damnavit Joannem Hus,

& Vviclef: ergo &c. Respondeo distinguendo mai. : Verbum Dei non eget confirmatione Papæ, ut sit absolute verum conced. mai. : ut agnoscatur, ut Verbum Dei, & ut verum, nego mai. : eisdem terminis distinguitur min. & negatur conseq. Itaque non obligamus agnoscere dicta Conciliorum, ut Verbum Dei, nisi proponantur nobis ut talia per infallibilem regulam animata, qualis est Summ. Pontifex ex Cathedra loquens. Alias regulas visibiles nostræ fidei solent assignare AA. : propositæ sunt principiatores, ad confutandos hæreticos. Solum hic nobis restat agendum de regula visibili animata, qualis est Summus Pontifex, de quaque sunt variæ difficultates; quarequæ sit

QUÆST. II.

An Summus Pontifex sit regula animata infallibilis fidei?

I N dupli sensu potest præsens difficultas intelligi: Primo, an Summ. Pontifex sit regula infallibilis fidei nostræ simul cum Concilio Gener. definitus? Secundo, an quando extra Concilium docet, & definit ex Cathedra, sit etiam talis regula infallibilis animata?

In primo sensu intellecta quæstio nullam habet difficultatem; quæ satis constat ex dictis quæst. antec. conclus. 4. & ultra constat; quia alias nulla esse infallibilitas in Ecclesia; nam hæc, nec ut unita suo capiti posset infallibiliter definite credenda. Unde difficultas est de Summ. Pontifice se solo definiendo ex cathedra. Sed pro resolutione

2 Nota 1. : quod Papa loquitur, ut Papa, seu ut Doctor universalis, & Vicarius Christi, aut ex cathedra, quando proponit, vel determinat credenda ab omnibus fidelibus, tamquam revelata à Deo. Ali quando vero loquitur, ut homo, & ut Doctor particulatus ex propria mente. In præsenti quæst. agimus de Papa, ut Papa, seu ut Doctore universalis; nam de Summ. Pontifice ut Doctore particulari erit sermo in quæst. sequenti. Nota 2., quod Papa in decretis fidei, & morum sollet procedere, vel cum consilio Episcoporum occidentalium omnium, aut aliquorum a se delectorum; vel se solo, aut cum magis consultis aliquot viris probis, & doctis in Sac. Theologia, vel Canonibus, & sic decernere, quæ judicat vera quoad fidem, vel mores, & ut talia proponit fidelibus omnibus cren-

denda, vel observanda. Et de his decretis, quæ aliquo ex his modis publicantur, queritur: an sint objecta, vel regula fidei? Tandem quæ potest, an, ut talia decreta sint infallibilis regula fidei, dependeant ab acceptatione Ecclesie? Omnes istas difficultates breviter per varias conclusiones resolvemus. Sit ergo.

Prima conclusio.

3 Decreta Summ. Pontificis pertinentia ad fidem credendorum, vel ad mores extra Concilia generalia emanantia sunt objecta fidei divinae; & consequenter Summ. Pontifex est infallibilis regula ipsius. Hæc conclusio ab aliquibus theologis putatur ut de fide. Prob. I.: fides Apostolica quoad potestatem, & autoritatem eadem est nunc regnante Clemente XIII., ac fuit tempore Div. Petri; sed sedente Div. Petro potuit facere, & de facto fecit decreta, quæ sunt regula fidei absque Concilio Generali: ergo & decreta Summ. Pontificis nunc regnantis, etsi fiant extra Concilium generale, erunt &c. Min. discursus constat, tum ex Epistolis canonicas Petri scriptis sine Generali Concilio;

tum ex Apostolicis traditionibus.

4 Maior autem præterquamquod definita est in Concilio Florentino ses. ultim., & à Leone IX. Epist. I. cap. 13. & à Leone X. Constit. 10. exurge &c. sic prob.: dum Christus Dominus dixit Petro: *tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua*, per talia verba non loquebatur solum cum Div. Petro, sed etiam cum ejus successoribus: ergo sedes apostolica &c. Prob. antec.: quia si solum cum Petro loqueretur, Ecclesia, non esset invincibilis contra portas inferi; nam victo capite possent debellari membra; si enim *cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadent*: ergo ne hoc sequatur, dicendum est, quod eadem authoritas, & potestas, quæ fuit in Div. Petro, est in Pontifice nunc regnante.

5 Prob. 2. ex declaratione ipsorummet Pontificum: sufficiat pro omnibus constitutio Eugenij 4. sic definitis: *definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, &*

verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesie caput, & omnium Christianorum P. trem, & Doctorem existere; & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernanti universalem Ecclesiam :: plenam potestatem traditam esse: ergo Summ. Pontifex in suis decretis, concernentibus materiam fidei, & mores, cum ex cathedra loquitur, habet eamdem infallibilitatem, quam Petrus accepit a Christo. Nunc sic; sed hanc habuit Petrus independenter a Concilio, & omni Ecclesia: ergo & eam habet Summ. Pontifex nunc regnans. Confinatur hoc urgenter ex eo, quod in tribus primis saeculis non celebrabantur Concilia, saltem cum hodiernâ solemnitate; sed tamen tunc damnatae sunt plures heresies, & errores a Summ. Pontifice: ergo.

6 Notanter diximus in Conclusione: *decreta à Summ. Pontificibus extra Concilium, concernentia ad fidem credendoram, & mores esse regulam fidei;* nam plura sunt talia decreta, que solum pertinent ad possessionem, crimina, & alia humiustmodi, & in his ut pote juris humani, quod etiam est in Summ. Pontifice, certum est, quod in his potest errare; quia in hac materia non est ei promissa spe-

cialis assistentia Spiritus Sancti. Deinde, multa ex his decretis sunt obreptitia, & alia subreptitia, quae revocari possunt. Et de his loquebatur Div. Bernardus Epist. 80. ad Summ. Pontificem Innoc. II. dum dicit: *iterum supplicatio, iterum preces: bonam causam habemus. & equum judicem, quo non cunctabitur evacuare, quod subreptum est, cum apparebit quod verum est.* Argumenta contra illam conclusionem proponentur in quest. sequenti. Nunc vero sit

Secunda conclusio.

7 Summus Pontifex absolute, & per se loquendo, valide definit credenda sine consilio, & assensu assistentum; hoc tamen regulatiter non fit, immo nec licite fieret. In hac conclusione convenienter communiter Theologi. Prob. 1. prima pars: ex dictis, potestas data Petro, & successoribus ejus, promissioque assistentia Spiritus Sancti contra tenebras erroris non fuit facta dependenter ab ullo Consilio: ergo absolute &c. Ante. constat ex textibus per se repetitis. *Tu es Petrus &c. tibi dabo: pascere oves meas: & tua confirma Fratres tuos,* in quibus

independenter a consilio aliorum fuit ipsi, & ejus successoribus tradita potestas clavium. Confirmatur: tum ex facto Petri, qui in suis duabus canoniceis Epistolis plura decrevit instinctu Spiritus Sancti, sine consilio aliorum. Deinde in veteri lege Sum. Sacerdos habebat potestatem valide explicandi dubia legis absque confortio, & consilio aliorum, ut patet Deuter. 17. & Levitic. 13. : ergo & in lege gratie potest hoc efficere Summ. Pontifex absolute, & per se loquendo.

8 Prob. 2. pars conclusionis, tum ex praxi conservata ab initio nascentis Ecclesie: nam Pontifices ordinarie utebantur Consilio aliorum, ut patet in electione Diaconorum, quam celebrarunt Apostoli convocantes multitudinem Discipulorum. Et Acto. 15., quando Paulus, & Barnabas consulserunt Petrum super necessitate circumcisionis, quam prætendebant Judæi, convenierunt Apostoli, & Seniores videre de Verbo, hoc & sugens Petrus definit questionem. Patet etiam ex consuetudine Pontificum, qui in suis decretis saepissime dicunt: *de Fratrum nostrorum Consilio, & affinitate.* Et etiam addant Pontifices; *se audivisse*

*sententiam theologorum, & pe-
ratorum: ergo &c.*

9 Prob. 3. pars conclusionis: Summ. Pontifex, si-
cut & quilibet aliis Pastor, te-
netur prudenter agere, juxta il-
lud Math. 10.: *stote prudentes,*
& I. ad Thimo. cap. 3.: *op-
portet Episcopum esse prudentem.*
Sed est moraliiter impossibile,
quod Summus Pontifex tot cu-
ris gravatus possit per semetip-
sum inspicere tot liberos necessa-
rios, ad hoc ut prudenter de-
cernat quam plura negotia, quæ
occurrunt erga materia fidei,
& mores: ergo cum teneatur
prudenter se getere, debet ha-
bere consilium Seniorum. Quia
ratione Innocentius I. sic ait: *fa-
cilius invenitur, quod à pluri-
bus Senioribus queritur.* Et hoc
eodem motivo ad Concilia vo-
cantur non solum Episcopi, sed
Theologi, & Canonistæ, quibus
comittitur examen questionum,
audienturque eorum placita,
priusquam definitur: & sic
Romæ institutæ sunt congrega-
tiones Cardinalium, & Consul-
torum, in quibus agitantur dif-
ficultates: ergo quia &c.

Tertia conclusio.

10 Ut decreta Summ.
Pontificis ex cathedra emanan-
tia

tia fuit certa , & infallibilis regula fidei divinæ , non pendent ab acceptione Ecclesiæ . Probatur p. i. mō conclusio ex dictis tom. 5. cursus huius almæ Provinciæ disp. 1. de legibus quæst. 3. seet. 4. ubi ex professō prob. quod aceeptatio , seu consensus populi non requiritur ad constitutionem legis , sive Ecclesiastice , sive civilis , adhuc ut conditio ad hoc ut proxime obliget . Vide ibi . Prob. 2. : potestas Summ. Pontificis non est data Petro cum tali conditione ; quia plenitudo potestatis , qualis est Summ. Pontificis , requirit modum habendi eam independentem , ita ut ipsi nemo ex subditis possit ei resistere : ergo &c.

II Dices primo contra istam conclusionem : decreta Conciliorum non fuerunt statim à tota Ecclesia recepta , etiam si confirmata sint à Papa : ergo hoc idem est dicendum de decretis Samm. Pontificis . Antec. constat ex varijs exemplaribus , ut de decretis Aniceti , Pij , & Victoris , circa celebrationem Paschæ . Secundo : quam plures Ecclesiæ per multum temporis non acceptarunt decreta Concilij Constantinopolitani 2. Teratio , & urgentius ; quia quamplura decreta Concilij Trid. , quantumvis confirmata à Summ.

Pontifice non statim fuerunt recepta ab omni natione ; imò nec nunc accepta omnia videntur ; nec ob hoc dicuntur non acceptantes anathematizati : ergo , quia non omnia decreta &c. & consequenter ut decreta Summ. Pontificis sint regula fidei , egent acceptatione Ecclesiæ .

12 Ut hoc , aliaque argumenta , quæ hac via procedunt ad débellandam infallibilitatem absolutam Summ. Pontificis , solvantur , nota , quod conclusio nostra procedit de definitionibus dogmaticis , & circa credenda ex necessitate fidei , & salutis ; non autem procedit de agibilibus , & in materia disciplinæ , exterioris ; in his enim , nec Papa , nec Concilia intendunt ita graviter obligare , sicut in credendis ; videmus enim , quod in moribus aliquarum nationum , & in juriibus aliquorum regnum in praxi fieri aliqua contraria his decretis : an lícite , vel illicite ? ad nos pro nunc non attinet decidere . Videantur Controversistæ . Hoc notato ,

13 Respondeo distinguendo antec. : decreta aliquorum Conciliorum facta super credenda de fide , & in ordine ad mores , non fuerunt recepta , nego antec. : alia decreta non

attinentia ad fidem , & mores non fuerunt &c. transeat antec.. Itaque , qui decreta Aniceti , & aliorum Pontificum circa celebrationem Paschæ statim non admisserunt , forte hoc fecerunt ex ignorantia , vel errore , judicantes se adhuc non obligari ad ea observanda; talis fuit Sanctus Polycarpus , qui erat in fide, de eo , quod titus celebrandi Pascha erat præscriptus à suo Magistro Divo Joann. ; unde Anicetus tolerabat eam, sicut & alios Coepiscopos in illo ussu , donec postea Papa Victor id prohibuit sub anathemate , quo facto , omnes Catholici obedierunt tali decreto. Idem dicendum est ad 2. ; quia judicabant , decretum Vigiliæ in Concil. Constantinop. præjudicabat Concilium Calcedonense ; sed posteaquam Gregorius primus contrarium decrevit , veritatem agnoverunt. Ad Trid. dico , quod omnia , quæ concernunt ad fidem , esse ubique observata ; non autem quoad ea , quæ concernunt reformatiōnē disciplinę Ecclesiasticę.

14 Dices 2. , & est replica contra solutionem : Sanctus Cyprianus non acceptavit decretum dogmaticum fidei Stephani Pontificis de non rebaptizandis baptizatis ab hereticis; sed non obstante , non habeba-

tar ut hereticus ex defectu acceptationis ; ergo quia , ut decreta concernentia fidem obligant , est necessaria acceptatio. Varie respondent huic facto Doctores. Quidam dicunt , quod Sanctus Cyprianus peccavit in resistentia. Alij autem dicunt , quod non ; quia Stephanus Papa ab initio hoc non decrevit , ut articulum fidei , sed solum ut merum præceptum ; Cyprianus autem resistebat , non præcepto , sed rationi , quæ insinuabatur in ipso præcepto. Postea vero , te bene comperta , obedivit Sanctus Cyprian. , & martyrio meruit coronari.

15 Ex dictis in his duabus questionibus , de decretis Conciliorum generalium , & de decretis Summi Pontificum , habebit studiosus sufficientem pronunc lucem ad resolvendam difficultatem de superioritate Summi Pontificis comparative ad Concilium Gener. , cuius discussiōnem Controversistæ nunc temporis ad longum proponunt. Sane fateor , quod proposita dubia prolixiores exigeant tractatus ; sed ego extensionem fugi , & nec omittenda censui , quæ dicta relinquo ; quia , qui ingeniōsi sunt , hæc pauca legentes , quamplura in Controversiis quærunt , & invenient. Ut tamen dicta in ista quæst. plenius in

intelligantur, placuit sequentem proponere pro chronide præsentis perdifficilis tractatus, ex qua infallibilitas Summ. Pontificis in rebus fidei radicis habetur. Sit ergo

QUÆST. III.

An Summ. Pontifex, adhuc ut Persona particularis, possit esse formaliter hæreticus?

1 **V**Alde difficilis est resolutio presentis difficultatis; nam pro parte affirmativa stat maior pars Theologorum, & Canonistarum. Quare pro resolutione noto 1.: quod Summ. Pontifex pro tempore regnans potest duplicitate considerari. Primo prout est *Magister Universalis Ecclesie* docens, ut persona publica, omnes fidèles quid ipsis credendum, quidve agendum sit. Et in hoc sensu non procedit questio; nam prout sic ex dictis in antecedenti, certum est apud omnes Catholicos, ipsum non posse esse formaliter hæreticum. Secundo potest considerari *quod ad se*, & prout est *quædam Persona privata*; quoqué in sensu procedit difficultas: an sciens, prout sic, possit esse formaliter hæreticus credendo aliquid quod sit

formaliter, & expræste contra fidem catholicam.

2 Noto 2.: quod nemo est formaliter hæreticus, nisi ille, qui pertinaciter fovet in suo intellectu errorem voluntatis contra aliquam veritatem fidei catholicæ; nam hæresis formalis petit pro sui initio errorem in intellectu, & pro sui complemen-to pertinaciam in voluntate. Unde solus ille censendus est, formaliter hæreticus, qui sciens suam sententiam esse contra au-thoritatem, & definitionem uni-versalis Ecclesie, eam defendit scienter, & volenter. Totum hoc infertur ex definitione hæresis formalis, scilicet: *est actus, quo intellectus dissentit alicui articulo fidei cum pertinacia.* Unde ille, qui solus externè negaret aliquem articulum fidei ex metu v. g. pœnarum, mortis, exiliij &c., dummodo interne crederet, quæ Sancta Mater Ecclesia credit, esto gravissime peccaret, non tamen esset formaliter hæreticus. His notatis.

3 In hac perdifficili difficultate prima sententia est af-firmativa, que, ut dixi, est sa-tis familiaris apud Theologos, & Canonistas; quinimo eam ut certam supponunt. Videatur nos-ter Cardin. Laurea hic disp. 8. artic. 5. §. 1. Arbiol disp. 2.

art. 12. dub. 9. secunda sententia defendit, Summ. Pontificem pro tempore reguantem non posse in heresim formalem incidere. Hæc sententia fuit Alberti Aegidij lib. 4. *De byerarchia Ecclesiastica* cap. 8.. Eam probabilius judicat Eximius Doctor dispensatio. de fide. Sect. 6. num. 11.: novissimeque eam docuit N. Eruditus Matthæucci in suo perdocto opere dogmatico de potestate Ecclesie, maxime controvers. 6. cap. 4., & controvers. 7. cap. 2. Huius sententiae decrevi adhærere, ut pote quæ radicibus evellit omnia argumenta, quæ heretici nunc temporis objicere solent, scilicet contra infallibilitatem Papæ, quam contra interruptionem Papatus. Quare sic.

Nostra conclusio.

4. Summ. Pontifex pro tempore regnans non potest esse formaliter hereticus. Prob. 1. conclusio ex illis verbis, quibus Christus Dominus pridie quam pateretur locutus est Petro: *Simeon.*, cur Satanas expetivit vos, ut cribaret vos, sicut triticum? Ego autem rogavi pro te, ut non deficeret fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. In quibus verbis.

duplex privilegium conceditur Div. Petro. Unum confirmandi fratres in fide; & aliud ne fides ipsius Petri unquam deficiat; sed necdum privilegium confirmandi. Fratres in fide transfunditur in successores Petri, ut tenent omnes catholici; sed etiam privilegium non perdendi fidem debet transfundiri: ergo cum Summ. Pontifex pro tempore regnans sit verus Successor Petri, habet privilegium non perdendi fidem.

5. Prob. min. 1. quoad 2. part., in qua est difficultas: non est assignabilis ratio, cur in uno, & eodem textu conferatur alicui duplex privilegium, & unum transfundatur in successores, alterum vero non; maxime si ex ipso textu, aut ex mente conferentis non inferatur oppositum; sed in allegato textu concessit Christus Petro duplex privilegium, quorum unum, in omnium catholicorum sententia, transfunditur jure hereditario in omnes successores Petri: ergo cum neque ex parte textus, neque ex parte conferentis privilegium colligatur, in nomine colligi possit, illud aliud privilegium de non amittenda fide non transfundi ad successores, dicendum est, quod utrumque transfunditur.

6 Prob. hęc conseq.: & est urgens probatio conclusio-
nis: si prædictum privilegium
de non amittenda fide, non
transfundetur in successores
Petti, posset quilibet fidelis
prudenter dubitare: an decreta
a Summ. Pontifice edita ex ca-
thedra essent infallibilia, neces-
sed qui sic dubitet esset for-
maliter hereticus: ergo ne hoc
sequitur dicendum est &c. Prob.
sequitur mal.: tunc catus posset
quis prudenter dubitare, an
talia decreta essent edita ex spe-
ciali assentia Spiritus Sancti;
ergo &c. Prob. antec.: tunc
catus posset quis dubitare, an
Papa definiebat esse et per Ec-
clesiam: ergo posset &c. Prob.
antec.: posset dubitare, an Pa-
pa incidet in heresim perso-
nalem; ergo & dubitare, an
sit caput Ecclesiae. Antec. non
potest negari a contrarijs,

7 Prob. conseq.: statim,
ac Papa incidet in heresim
Personalem, desineret esse ca-
put Ecclesiae, ut doceat gra-
vissimi AA.; eo quod non pos-
sit esse caput Ecclesiae ille, qui
non esset membrum Ecclesiae,
cuiusmodi esset Papa formaliter
hereticus; cum careret fide.
Nunc sic; sed in virtute illius
opinionis bene fundata posset
quis prudenter dubitare in ali-

quo casu, an Papa incidet in
heresim personalem? ergo ne
detur locus dubio, adeo perni-
tioso, dicendum est, Papam
adhuc ut Personam particula-
rem non posse incidere in ha-
resim. Confirmatur: data op-
posita sententia non habemus
medium infallibile ad confutan-
dos hereticos; nam contra de-
finitionem cuiuscumque dog-
matis allegarent incertitudinem
definitionis: & omnino iride-
rent distinctionem illam de in-
fallibilitate cathedræ, & fallibili-
tate Personæ, secundum illud
Evangelij; si cœcus cœcum da-
sit, ambo in foream cadent:
ergo ad præcludenda eorum ora,
dicendum est, quod Summ.
Pontifex pro tempore regnans
non potest esse formaliter ha-
reticus, adhuc ut Persona par-
ticularis.

8 Prob. tandem con-
clusio congruentia deducta ex
eventu: nullus hucusque Pon-
tifex Rom. fuit formaliter ha-
reticus: ergo signum est quod
nullus potest esse. Antec. pro-
bant communiter AA. purgan-
do à tali labe omnes eos Pon-
tifices, qui in historiis notantur
de hoc crimen. Prob. conseq.:
quando nullus existens in tota
una collectione successiva prot-
rumpit in actum, colligitur ra-
tionabiliter in tota illa collec-
tio-

tione impotentia ad talēm actum : ergo cum nullus hucusque in tota serie Pontificum &c. Confirmatur : Summ. Pontifex Agatho in Epist. ad Heraclium, & Liberium, quæ lecta sunt in 6. Synodo ait : dictum est Petro : ego rogavi pro te :: hic Dominus fidem Petri non defectoram promisit : & confirmare eum fratres suos ad nonnuit , quod Apostolicos Pontifices mee exiguitatis predecessores confidenter fecisse , semper cunctis ob cognitum : ergo nullus huncunque fuit formaliter hereticus : ergo nec potest esse.

9. Prob. hæc ultima conseq. ex dicto Paschalis 11. in Concilio Later. 3. ubi Brunus Sygninus Episcopus euca ore rotundo vocavit hereticum, eo quod necessitate , & meta compulsus concederit Imperatori privilegium investiturarum ; se purgavit Paschalis dicens : Fratres , Ecclesia ista , numquam habuit heresim :: pro hac Ecclesia Filius Dei in passione sua oravit , dum dixit : ego rogavi pro te Petre , ne deficiat fides tua. Nunc sic ; sed si Summ. Pontifex possit esse formaliter hereticus , inefficax esset hæc responsio contra Sygninum ; possit enim hic respondere : estò alij non sint lapsi in heresim ,

quid inde ? Nos te acusamus lapsum : ergo ut probatio Paschalis teneat , debet concludere de impotentia labendi. Prob. conseq. : si quis acusatus homicidij allegaret , quod nullus ex suis hoc crimen perpetravit , absurdio hæc probatio , ut illusoria haberetur in omni tribunal : ergo ut probatio Paschalis teneat , intelligenda est de impotentia labendi alicuius Summi Pontificis in heresim : & hoc non solum ex cathedra , sed etiam personaliter ; de hac enim accusabat Sygninus , non de prima ; quia tunc ut hereticus fuisset damnatus ipsemet Sygnius.

10. Confirmantur hæc omnia ex Theodoreto in Epist. ad Rennatum Presbyt. ubi ait : tenet enim ista Sancta Sedes gubernacula regendarum cunctarum Orbis Ecclesiarum ; quia semper heretici factoris expers mansit , nec ullus unquam , qui contrarium sentiret , in ea sedet. In quibus verbis duo doget Theodoretus ; primum Apostolicam sedem semper fuisse liberam ab heresi ; secundum , nullum in ea sedetem fuisse unquam hereticum ; sed hoc est , non solum sedem ipsam , quod pertinet ad officium ; sed & ipsum sedentem , quod pertinet ad Personam , totaliter eximi ab omni erroris noceo in

materia fidei: ergo ita est. Alias rationes satis congruentiales vide in AA., adhuc nobis contrarijs, ut in N. Arbiol, & Laurea cit.

Solvuntur argumenta.

II Arguitur 1. & militat contra 1. probationem conclusionis: si Summ. Pontifex non posset ut Persona particularis in heresim personalem incidere, sequeretur, quod sicut est de fide, Div. Petrum non potuisse incidere in heresim Personalem, ita etiam esset de fide, nullum ex suis successoribus non posse sic incidere; sed hoc est falsum: ergo. Prob. min. 1.3 quia tale privilegium non legitur expresse in Scriptura. Secundo, quia sentientes oppositum essent heretici, quod nequit dici: ergo nec quod illud privilegium Petri de non deficiendo à fide transfundatur in saos posteros. Respondeo 1.: omitendo mai. 3 quia mihi valde probabile est, nostram conclusionem saltim implicite, & virtualiter esse revelatam in illa propositione: ergo rogavi pro te Patre, ut non deficiat fides tua; cum non sit ratio, cur talia verba sint restricta ad Personam Petri, & sequentia: con-

firma fratres tuos, sint in Petro dicta omnibus ejus successoribus. Sed hoc omisso.

12 Respondeo 2. quod nequit negari, quod nostra conclusio est valde conformis divinae providentie; ad ipsam enim tale primum privilegium attinebat transfundere in omnes successores Petri; alias non censeretur, Deum sufficierat prvidisse necessitatibus Ecclesie nam quomodo Pontifices confirmabunt alios, aut poterunt decidere dubia orta circa fidem, & mores, si ipsi sunt heretici? Respondent, quod tunc casus Deus provideret, ne Summ. Pontifex aliquid definiret. Fateor hoc sic posse à Deo disponi, sicut olim possuit verba in ore Aline Baalam; ceterum hoc dictum videtur violentum, & non secundum morem providentiae Dei omni suaviter disponentis. Deinde, recurrunt ad miraculum sine ulla necessitate; cum hæc sufficenter salvetur per hoc, quod Pontifex habeat privilegium à Deo non incidenti in heresim personalem. Ex quo omisla prima probatione minoris, nego absolute 2. Theologi enim nobis contrarij non sunt heretici, quia suam propriam opinionem non docent, cum pertinacia, sed semper sunt parati ad obediendum Ecclesie

casu quo nostram conclusionem definit.

13. Arguitur 2., & militat contra probationem possumam nulla. 6. huius : licet Papa labetur in heresim personalem, non propterea delinqueret esse caput Ecclesiae, nec statim perdetur jurisdictionem, usque dum probata ejus heresi ab Ecclesia deponeretur : ergo non tenet talis probatio. Antec. probant paritatem Sacerdotis heretici, qui, nullo alio Sacerdoti fidei praesente, habet sufficientem jurisdictionem ad absolvendum mortibandum in articulo mortis : ergo similiter in Persona Pontificis potest conservari jurisdictione sine fide. Respondeo 1. omisso antec. ex ipso solum sequitur, fideles teneri obedire Pontifici definiti, quatenus adhuc esset in possessione Magisterij ; non tamen probat, quod eo, quod ab ipso definitatur, sint in se infallibilis ; quia careret assistentia Spiritus Sancti, qui heretico non assistit. Et sic a parte Dei, & coram Deo esset privatus jurisdictione. Unde si proponeret Ecclesiae a Deo revelatum, quod revelatum non est, tota Ecclesia erraret, quod dicere hereticum est. Ex quo

14. Respondeo 2. negando absolute antec. & parti-

tatem probationis ; est enim maxima disparitas ; quia ideo Sacerdos hereticus posset tunc casus absolvere mortibandum ; quia Ecclesia, quae dat jurisdictionem Confessoriis, tunc eam suppleret in bonum fidelium ; at cum Ecclesia non possit hoc supplere cum Papa heretico ; quia non ipsa, sed solus Deus dat ipsi jurisdictionem : hinc est, quod in casu heresis personalis esset statim vere destitutus omni jurisdictione. Deinde ipsummet antec. paritatis a quam gravissimis AA. absolute negatur. Videatur N. Matthaei in officiali curia cap. 2. num. 19., ubi tradit quamdam decisionem directam ad Episcopum Valentinem.

15. Arguitur 3. : ex hoc textu: *ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat filius tua, non probatur conclusio: ergo &c.* Prob. antec. : si ex tali textu probatur conclusio, sequeretur, successores Petri non posse perdere gratiam ; sed hoc nequit dici : ergo &c. Respondeo negando antec. & suppositum probationis ; quia dum Christus oravit pro Iesus perseverancia in gratia ; quia paulo post trinam negationem eam amissit. Sed postea dum eum, aliosque Apostolos in gratia confirmavit, obtinuit hoc privilegium, quod non transmittitur ad eum

ejus Successores. Unde in Pe-
tro duplex privilegium distin-
guendum est : unum respiciens
ipsum, non propter caput, & fun-
damentum Ecclesie, sed propter
erat unus ex duodecim ; & istud
terminatum fuit in ipso, & non
transit ad Successores, ut autho-
ritas scribendi libros canonicos,
sanatio infirmorum ad eis um-
bram, confirmationem gratia &c.
Aliud vero dictum fuit ipsi, ut
capiti, & Pastori Ecclesiae, &
sic fuit infallibilitas in fide perso-
nali, in qua reliqui Pontifices sunt
haredes, ut pote quia est necessi-
taria ad rationem capitulis visi-
bilis in Ecclesia.

16 Arguitur 4. : Papa
potest in alia peccata habi: ergo
& in heresim. Prob. conseq. :
ideo Papa potest alia peccata
committere ; quia ejus intelle-
ctus, & voluntas secundum soas
vires physicas sunt defectibiles;
sed etiam in materia fidei sunt sic
defectibiles: ergo &c. Confirmatur:
sicut assensus fidei pender ab
intellectu, ratiocinio a causa ef-
fectiva, & a voluntate, ut a causa
imperante ; ita heresis pender
ab intellectu elicente, & a vo-
luntate ; sed quando intellectus
Pontificis adverteret (ut potest)
quod disentire alieni dogmati ab
Ecclesia definito esset medium
utile ad aliquod comodum sibi
procurandum, posset tunc ejus

voluntas imperare intellectui dif-
fensum : ergo &c. Mir. patet ex
facto Div. Petri, qui quia cogi-
tavit negationem Christi sibi
utiliter ad mortem vitandam,
Christum negavit in aula Pon-
tificis.

17 Respondeo concessa
ante, negando conseq. Ad pro-
bat. distinguo minime intellectus, & voluntas Pontificis sunt
sq: & defectibiles in materia fi-
dei, ac in alia, si à Deo non
preveniatur, cone. min. : si pre-
veniatur, nego min. & conseq.
Eisdem terminis distinguuntur
min. confirmationis. Itaque non
negamus, quod Pontifex in
senso divito ab assistance Spiritu
S. poit incidere in heresi
personalem propter rationem
attactam in argumento. Coetera
qua judicamus, quod à Spiritu Sancto regitur continuo,
ut sit firmus in fide ; ideo dici-
mus, quod ejus voluntas ratione
protectionis divinae non potest
imperare suo intellectui, ut con-
tra fidem credat: & quando ra-
tione alicuius boni apparentis
negaret fidem ore tenus, non ta-
men corde, & consequenter licet
gravissime peccaret non tam
formaliter contra fidem.

18 Per hoc responde-
tur ad factum Div. Petri, qui
minime fidem internam amissit,
sicut nec alij plures, qui fidem

externē negantur. Sed quia hæc est clavis huius proœ conclusionis; audi Div. Augustinum lib. contra mendacium ad Crescent. cap. 6. ubi ait: *nossae personæ, qui Christum eorum persecutoribus negaverunt, quod de illo credabant, corde tenuerunt? Et tandem ore ad salutem confitendo perierunt, nisi qui per penitentiam reviserunt.* Et paulo post: *quis ita evanescat, & existimet, Apostolum Petrum habuisse in corde, quod in ore, quando Christum negavit?* In illa negatione intellectus veritatem tenebat, & fores mentium proferebat. Nil certe clarius pro hoc alijsque argumentis ex facto propositis, & contrarijs solvendis.

19 Replicabis: juxta solutionem, Pontifex non potest amittere fidem internam per heresim: ergo nec servat liberum præceptum de conservanda fide interna. Prob. conseq.: nemo observat liberum præceptum, quod non potest non observare; sed eo ipso, quod Pontifex non posset amittere fidem internam per heresim, non potest non observare hoc præceptum; alias posset, & non posset, quod impli-
cat; ergo Pontifex non servat liberum præceptum de conservanda fide interna. Confirmatur: Pontifex in conservanda fide interna meretur; sed, si ipsam non posset amittere: ergo potest; &

consequenter fieri formaliter hereticus. Hoc est præcipuum argumentum a ratione.

20 Respondeo distinguendo primum consequens: ergo Pontifex non servat libere libertate morali præceptum de conservanda fide, conc. conseq.: *libertate physica proxima*, nego conseq. Eundem terminis distinguitur maior, & misa probatio-
nis. Itaque licet Pontifex, ut persona particulatis, non possit esse formaliter hereticus, adhuc tamē libere libertate physica proxime tali servat præceptum de conservanda fide interna. Cum hoc tamen componitur, quod sit à Deo moraliter determinatus ad fidem internum numquam per-
deandam; nam cum potentia physica in aliquo determinato sub-
jecto ad peccandum stat in ipso impotentia moralis ad tale pec-
catum, ut patet in Apostolis, qui post confirmationem gratiæ poterant physicè non observare præcepta; cum tamen essent morali-
ter determinati ad illa servanda; qua propter singularem ha-
bebant diligentiam ad non pec-
cadum ut de se fatetur Paulus
1. ad Corit. cap. 9.

21 Unde cum sit indu-
bitum, Deum aliquem ab uno
speciali peccato incolumen ser-
vare propter aliquem determinatum finem à se ipso intentum,
ita quod licet in alia criminis in-

cedat, in illo tamen non prolatatur, hinc valde probabilitet, & rationabilitet dicitur, quod Deus concessit Petru, & ejus successoribus, ut non solum ex cathedra non erent in fide, sed nec etiam personaliter deficient in ipsa. Primo, ut Pontifex sit regula infallibilis in rebus fidei, & morum. Et secundo, ut numquam possit prudenter dubitari, quod ipse sit talis regula, & caput visibile Ecclesiae, quod certe non esset adeo evidens in calo haeresis personalis.

22. Ad confirmationem concessa mai. dist. min.; sed in ejus conservatione non meretur, si eam non posset, nec physice, nec moraliter anittere, conc. min.: si ipsam posset physice, licet non moraliter, nego min. & conseq. Itaque cum potentia physica ad utrumlibet extremum, & cum determinatione, seu potentia moralis ad unum tantum, componitur in aliquo determinato subjecto ex privilegio Dei ratio meriti, ut patet in exemplo adducto de Apostolis post confirmationem in gratia. Praterquamquod (& est alia solutio) Pontifex habet plura alia media, quibus mereatur in materia fidei; quia cum quilibet fidelis teneatur elicere actus fidei circa materias necessitate medijs

credendas; hinc Summ. Pontifex circa tales materias, iam circa omnes fidei patet libere elicere alibi; & si alias est in gratia hæreti de condigno in materia fidei.

23. Arguitur 5. ex iure canonico: Sacri canones supponunt, Papam posse à fide deficere; sed non sunt intellegendi de eo, ut ex cathedra docente: ergo de eo, ut est Persona privata; & consequenter &c. Min. est evidens Mai. constat ex *cip. si Papa*, distinct. 40., ubi statuitur, Papam à nentine propter quocumque crimen posse judicari, nisi deprehendantur à fide devitum. Confirmatur ex Inoc. III. sent. 3. de consecratione Pontificis, ubi fatetur, se posse errare in fide; nam ait: *int. intum mibi fides necessaria est, ut cum in ceteris peccatis Deum iudicem habeam*, propter peccatum quod in fide committitur possum ab Ecclesia iudicari: ergo Pontifices possunt in fide errare. Aliqui dicunt, quod hæc auctoritas Innoc. est alterata, & corrupta; sed tamen prouidetur, quod sit genuina;

24. Respondet, quod ex ipsa non sequitur intentum argumenti, scilicet, quod Summ. Pontifex posset esse formaliter hæreticus, sed solum posse peccare contra fidem, eam exteriorum ne-

negando, quod negamus. Unde consultum dictum est ab Innoc.
propter peccatum, quod infide com-
mittitur: nonvero dixit propter
heresim. Et quamvis dicat: se
tunc casus posse judicari ab Eccle-
sia; hoc non est intelligendum,
quoad vim illam coactivam; cum
non habeat superiorum in terris,
sed tantum quoad vim directi-
vam, & consiliativam, quate-
nus Pontifex ex quadam con-
gruens, & propter bonum
exemplum potest se ipsum pu-
blice purgare à crimine sibi falso
objeto, vel crimen verum pu-
blice fateri, ut fecerunt Mar-
cellinus, Leo III. & alij.

25 Nunc ad argumen-
tum principale respondeo, dis-
tinguendo mai.: Sacri Canones
supponunt, Papam posse à fide
deficere, & Canon hoc dis-
ponens facit fidem, & authori-
tatem firmam, nego mai.: non fa-
cit fidem, conc. mai. Et con-
cessa mihi nego conseq. Itaque
Canon cit. *Si Papa*, eis re-
periatur in Decreto à Gracia
no recopilato, nullam inde ha-
bet maiorem autoritatem, quam
si ibi non esset insertus. Ille er-
go Canon à nullo Papa, nec
Concilio emanavit; cum ejus
author fuerit quidam Bonifacius
Archiepiscopus Moguntinus, qui
consultus fuit: an Papa possit ab
aliquo in terris judicari? Et res-

pondet negative, nisi in illo
casu, quod a fide deficiat. Et in-
de discutitur ex hypothesi impos-
ibili. Imò, si per impossibile con-
tingeret casus, tunc non ju-
dicaretur ut Papa, sed ut Perso-
na, quæ fuit Papa, & à Pa-
patu propter heresim cecidit.

26 Replicabis primo:
prædictus Canon fuit approba-
tus à Gregorio XIII. qui appro-
bavit volumen Graciani: ergo
talis Canon habet autoritatem
Pontificiam. Consequentia con-
stat ex illo dicto: *omnia nostra fa-
cimus, quibus nostram imper-
timur autoritatem.* Respondeo
negando ant. quia tale volumen
à nullo fuit approbatum, nec
confirmatum, & consequenter
canones ibi relati non habent
maiorem autoritatem, quam
prout reperiuntur in suis Au-
thographis, ut optime advertit
Subt. Doct. in 4. dist. 6. q. aest.
8., ubi docet, quamplura repe-
riti in decreto Gracianni, vel
absolute falsa, vel saltem modeste
exponenda. Sed ut hoc clarius
pateat, audi decisionem 480. Sac.
Rotæ, quæ sic se habet.

27 Nec refert, illo: Ca-
nones censerit in decreto à Gracia-
no Compilato; quia cum Gracia-
nus non publica autoritate infe-
rita queque illa Canonum Ecle-
sias

staticorum, & legum etiam se-
cularium Capitula in suum librum
contulerit, nec legis contentae au-
thoritatem habuerit, nec ab aliquo
Rom. Pontifice liber illi, tamen
authenticus, & legalis approbatus
fuerit: inquit, quod quilibet Canon
ibi relatus, ex eo tantum quod
ibi referatur, non habet misio-
rem auctoritatem, quam in pro-
prio loco consistens de sui natu-
ra, esset habiturus. Nec Grego-
rius XIII. Graciani librum tam-
quam legalem authenticavit; cum
solam iussit emendari, &
emendationes sine additionibus,
aut detractionibus mandaverit
observari. Ex quibus liquido
constat, Canonem illum, si
Papa, nihil contra nos probare.

28 Replicabis secundo:
ergo stante veritate responsionis
destruitur status illius questionis
communiter exagitatae inter Scho-
lasticos, & Canonistas: an, sci-
licet, si Papa fueret hereticus,
eo ipso carent a Papatu? an
vero expectanda esset sententia
declaratoria Ecclesie de ejus de-
positione? Prob. hec conseq.:
tunc destruitur status alicuius
questionis, quando redditur de
subjecto non supponente; sed
si Papa non posset esse formaliter
hereticus, talis questionis esset
de subjecto non supponente: er-
go &c. Resp. neg. I. conseq.:

ad probationem, disting. mai.;
tunc destruitur status alicuius
questionis, quando redditur de
subjecto non supponente, nec
absolute, nec conditionate, conc.
mai.: non supponente absolute,
bene vero conditionate, nego
mai.: & distinguo min.; sed si
Papa non posset esse formaliter
hereticus, talis questionis esset de
subjecto non supponente absolute,
conc. min.; conditionate,
subdisting. min.; non supponen-
te conditionate conditione aliquan-
do in esse ponenda, conc. min.;
conditione nunquam in esse po-
nenda, nego min. & conseq..

29 Replicabis tandem;
sed talis questionis debet esse de
conditione possibiliter in esse
ponenda: ergo nulla est solutio.
Prob. min. subsumpta: opinio
nobis contraria est probabilis;
immó & probabilior saltim ex-
trinsece: ergo debet ianiti fun-
damento probabili, quod faciat
talem questionem possibilem sub
conditione possibiliter in esse
ponenda. Resp. disting. subsump.;
sed talis quest. debet esse de
conditione possibiliter in esse po-
nenda, possibilitate physica, &
metaphysica, conc. min.: pos-
sibilitate morali proxima, nego
min.: eisdem terminis disting.
conseq. probationis. Itaque li-
cet sit absolute impossibile im-
po-

potentia consequenti , supremum Ecclesiæ caput fieri hereticum ; adhuc datur locus prædictæ quæstionis ; quia in pluribus difficultatibus solemus præscindere à possibilitate , vel impossibilitate hypotelis ad indagandam veritatem alicuius propositionis dubiæ . Ut hoc clarius fiat , sit

30 Exemplum : datur locus huic dubio : *quid nobis agendum , casu , quo Angelus de Cœlo , vel ipse Paulus Evangelizaret nobis contrarium illius , quod modo est Evangelizatum ?* Et ob cautelam ipsiusmet Pauli ad Galatas 1.. Numquid in virtute illius hypothesis , quam ponit Paulus , possumus formidare , ipsum , vel Angelum de Cœlo prædictorum fore contrarium illius , quod ipse prædicavit ? Minime ; nam in principijs Thomistarum , Beati sunt modo ab intrinseco impeccables , & consequenter carent potentia physica , licet non antecedenti , consequenti tamen ad peccandum : & in principijs nostris , licet Beati solum ab extrinseco sint impeccables , habent tamen potentiam moralem ad peccandum . Unde non est timendum , potentiam physicam esse unquam reducendam ad actum .

31 Sic ergo pariter in praesenti ; esto non repugnet , Papam , quem nunc habemus , esse formaliter hereticum ; cum tamen ipse habeat potentiam physicam ad haeresim commitendum ; hinc datur locus huic difficultati ; sed quid agendum , casu , quo per possibile labetur in haeresim ? An ipso facto esset depositus à Papatu : an potius deponendus per sententiam Ecclesiæ ? Sed ob hoc non est timendum , ipsum Pontificem lapsum in haeresim personalem ; cum ex vi specialis protectionis divinae habeat impotentiam moralem ad tale peccatum .

32 Arguitur ultimò de actu ad potentiam valet consequentia ; non autem de potentia ad actum ; sed de facto plures Summi Pontifices erraverunt à fide : & non ut ex cathedra definientes : ergo ut Personæ , & Doctores particulares . Nimis prolixum esset hic adducere catalogum omnium Pontificum , qui ab aliquibus AA . (melius dicam hereticis) nota heresis inuruntur ; principiores adducam . Sed ante , nota , quod Theologi nobis adversarij non sunt immones ab hoc argumento ; siquidem heretici contra Ecclesiam Catho-

licam Romanam blasphemantes in suis dictarijs non distinguunt de Pontifice, ut Pontifice, & de Papa, ut Doctore, & Persona particulari; sed de hac distinctione irritant; quare & ipsi tenentur tales historias explanatae.

33 Ulterius nota, quod pro solutione horum casuum particulatum præ oculis semper habendum est, quod licet nequeat negari, quod aliqui ipsorum gravissime peccarunt contra confessionem externam fidei, numquam tamē concedendum est, peccasse contra fidem internam. Unde in materia fidei, ut constat ex questionibus antec., duo dantur precepta realiter distincta, & ad invicem separabilia, juxta illud: *corde creditur ad justitiam: ore autem fit confessio ad salutem.* Ex quo constat, quod potest stare peccatum oris contra fidem, stante integra fide cordis. His notatis, jam ad facta breviter procedamus: factum Petri omnitem; quia de ipso sufficienter actum est argum. 4. huius num. 18. vide ibi.

34 Primo ergo loco invritur Marcellinus, qui innolavit Idolis: ergo fuit formaliter hæreticus. Resp., quod aliqui vertunt in dubium hoc factum

Marcellini; sed ipso admisso, nego conseq.; quia licet ipse gravissime peccavit per actum externum thurificationis, interius tamen non perdidit fidem, ut patet ex dictis illorum PP. Concilij Sinuensis, coram quibus se presentavit Marcellinus; quique omnes simul clamaverunt: *nemo unquam judicavit Pontificem: quoniam prima sedes à nemine judicatur. Tu eris fudex: ex te enim damnaberis; & ex te judicaberis.* Nunc sic; sed si fuisset formaliter hæreticus, non fuisset Judge nec Pontifex; cum hæreticus omni jurisdictione careat coram Deo, & à parte rei: ergo non fuit formaliter hæreticus.

35 Secundo loco notatur ut hæreticus, Liberius, eo quod subscriptis formulæ fidei, quam ediderunt Arianii in Concilio Sirmiensi, & etiam condemnationi S. Athanasij veræ fidei defensoris. Pro solutione nota, quod duæ formulæ fidei fuerunt editæ a Prædicto Concilio: prima anno 351. contra Photium, qui assertebat, *Christum esse solum hominem:* & huic subscriptis Liberius, in quaue subscriptione nulla fuit hæresis. Secunda fuit edita ann. 357. in qua prohibitum est, amplius mentionem facere de voce *Ussie,* seu

ſeu ſubſtantia: & *Homoūſion*, ſeu conſubſtantia:; quia Arrianii volebant: *Filiū non eſſe Deum*, nec *Patri conſubſtantiam*, ſed eſſe creaturam in tempore productam; & huic for- mulae non ſubſcripsit Liberius, immo alienos ab Ecclesia pro nuntiavit omnes, qui non aſſer- rerent: *Filiū eſſe per omnia ſi- milē Patri*, excepta filiatione. Et ea fuit cauſa, ut ſecundo exu- latetur.

36 Quod attinet ad Athanasium, ſciendum eſt, quod poſtquam Liberius luſtinuit exilium primum duobus annis, quia nolluit conſentire tali damnationi; miuis, & muneribus à Constantio Imperatore vicitus conſenſit cum Imperatore in damnationem Athanasij, in qua non fuit hæresis, licet fuerit grave peccatum; quia cauſa Athanasij non fuit fidei, ſed diſciplinæ regularis, ut teſtan- tur AA.. Quare Liberius hic ex metu egit partes non boni judi- cis, non tamen fuit hæreticus. Nec communicauit cum Arianis, (ut aliqui opponunt) in doctrina contra filium, ſed tan- tum in alijs negotijs. Et certe in quantum quoad simulationem, & voceſ ſimulabat catholicif- mun gravissime peccavit; men- te vero nunquam à fide reſeffit.

37 Tertio inviſit ſe- lix ſecundus, qui viuent adhuc Liberio ope Acacij Arrianii, & aliorum Arrianorum intruſus fuit in Pontificatu, & poitea defuncto Liberio, per conſenſum Cleri Romani in verum Papam elecitus fuit: hic ergo egit partes Acacij, & Arrianorum: ergo fuit formaliter hæreticus. Reſp. quod hic Pontifex, licet haberetur, ut Arrianus dum erat Antipapa; poſtea vero dum ve- rius Pontifex effectus eſt, pro fide Concilij Niceni strenue de- certavit, dannavit Constantiam Imperatorem, & tandem pro fi- de Martyr occubuit.

38 Quarto à plurimis AA. numeratur ut hæreticus Mo- notheita Honorius I. ut talis dannatus in 6. Synod. ſimul cum Sergio, Theodoſo, & alijs, eo quod in Chriſto Domino unam ſolam agnoſcebant voluntatem; quare Epiftolę Honorij ad Ser- giam combuſta ſunt iuſu ejus- dem Concilii: ergo Honorius I. fuit formaliter hæreticus. Reſpondeo, negando antec.; quia Honorius ſemper fuit catholicif- simus, & numquā Monotheli- ta; quod ut clarius appareat, ſciendum eſt, quod Cyrus Patriarcha Alexandrinus volens re- novare hæresim Euthychetis damnatam in Chalcedonensi, do- cuit

eruit publicè; in Christo Dominō esse unam tantum voluntatem , & unicam operationem ipsius ; quem errem tunc acriter refutavit Sophronius Episcopus Hierosolymitanus.

39 Rebus his hic stantibus , Surrexit Sergius Episcopus Constantinopolitanus mente quidem Monothalita , sed fidei catholicus; hic ergo volens fraudulentur res Ecclesiæ pacificare, aiebat : non esse utendum voce unius , aut duarum voluntatum in Christo , sed sufficere fidem de una tautum Persona. Totum hoc Scripsit Honorio I. , ipsum persuadens , totam difficultatem consistere in eo , quod qui cum Sophronio tenerent , duas esse voluntates in Christo , tenebantur dicere , tales voluntates esse contrarias (quod ipse mendaciter opponebat Sophronio.) Ex quo concludebat Sergius , quod qui ita sentiunt cum Sophronio debent dicere , Christum posse peccare , quod absurdum est.

40 Honorius ergo recepta , & pericula hac Epistola Sergii (quem credebat , esse verum Catholicum) pro pace Ecclesiæ ibi rescripsit , prudentissimum tacendum esse de una , aut duabus operationibus in Christo ; ne qui dicerent unam

operationem in Christo , videbentur favere Eutychianis , unam solum admittentes naturam in Christo ; neve , qui duas assertarent operationes in ipso videbentur stare pro Nestorio , qui duas Personas in Christo ponebat. Paulo post , mortuo Honorio , perfidus iste Sergius litteras Pontificis omnibus manifestavit , suadebatque , Honorum stare pro Monothelitis , quorum partes iam Sergius publice tenebat ; sed quam falsa hæc impostura sit , sic demonstratur.

41 Partes horum Conciliorum minime potuerunt damnare Honorum hæresis , nisi contradicendo Epistola 11. Agathonis Papæ , quæ lecta fuit ses. 4. in quaque certificat Imperatorem , omnes suos præcessores (quorum unus erat Honorius I.) hæresibus semper restitisse ; suos fratres in fide confirmasse ; & tandem Papa Agatho numerans Monothelitas nullam facit mentionem Honori. Hæc Epistola a toto Concilio probata fuit ses. 8. & 18. , ubi omnes PP. conclamarunt , non tam Agathonem , quam Div. Petrum per ejus os locutum fuisse. Quomodo ergo hoc Concilium damnasset Honorum , dum tantopere laudat Agathonem ? qui in eadem Epistola ex-
præf-

præsse afferit, nullum suorum
præcessorum in fide errasse?

42 Veritas ergo facti
est; nomen Honori per cor-
ruptelam illius pæssimi Im posto-
ris Theodori in Concilio dana-
nati, superadditum fuisse actio-
nibus Concilii, antequam trans-
mitteretur Romæ; unde 6. &
7. Synod. in pluribus sunt fal-
sificate, ut afferunt omnes, &
videri est in ipsam Synod. 66..
Nec contra hoc facit Epistola
Leonis II., qui scribens Con-
stantino Imperatori, execratur
Honorium quasi Sauctum Se-
dem contaminaverit. Non facit,
quia illa Epistola Leonis est
commentitia, ut probat Berno-
nius ann. 583. Vide Dominicum
á Sanctissima Trinitate.

43 Tandem Joannes
XXII. opinabatur, animas Jus-
torum, tam innocentium, quam
illorum, qui in Purgatorio sa-
tisfaciunt, numquam visuras
Deum intuitive usque ad diem
judicij; sed hoc est hæresis, ut
pote contra definitionem ejus
Successoris Benedicti XIII, nec-
non & Florentini: ergo fuit for-
maliter hæreticus. Respondeo,
omittendo maiorem pro nunc,
vel eam distinguo: opinabatur
cum aliquo dubio omitto mai.:
pertinaciter, nego mai. & dis-

tinguo min.; sed hoc est hæ-
resis nunc, conc. min.: *pro tunc*,
nego min. & conseq.. Difficul-
tas ergo ista nondum erat de-
finita tempore Joannis XXII..
Unde fertur, ipsum præcepisse
utramque opinionem posse de-
fendi, & prædicari. Nec obstat
quod dubius in fide sit infidelis;
qui hoc solum est verum, quan-
do dubitatur cum pertinacia de
veritate explicitè contenta in
Sac. Scriptura, traditio ne, vel
definitione Ecclesie; cuiusmodi
non erat præsens propositio. Au-
di Nostrum Ocham habitum pro
inimico Joannis XXII. qui lo-
quens in Persona ipsius Joann.
ait: *numquam meæ intentionis
fuit, dicere aliquid contra fidem,
et si aliquid diximus ex tunc re-
vocamus.* Ubi, ut solet dici,
habemus salutem ex inimicis nos-
tris.

44 Si tandem objiciat-
tur, quod vel Nicolaus III.
in sua Extravag.: *exit*: vel
Joann. XXII. in sua: *cum inter
nonnullos, errasse circa pauper-
tatem Christi, & eam, quam
Frates Minores vovimus; hoc
absolute negatur; siquidem hu-
iusmodi Extravagantes optimè
concordari possunt.* Nicolaus
enim cum negavit, Christum
quidquam habuisse, nequidem
in communi, locutus est de
Christo, quoad se, & pro se,
ie

in quantum ad sui sustentationem, non egebat subsidio temporali, si voluisset; sed non negat Nicolaus, quin de facto possederit aliqua in communione cum Apostolis: & hoc admittit Joann. XII. cap. *qui quorundam*, ubi ait: idem Nicolaus videtur sensisse, quod Christus, & Apostoli etiam quoad proprietatem habuerint aliquid in communione. Qui uberiorem concordiam circa hos duos Summi Pontifices voluerit, legat N. Gonzalez Matth. tom. 5, tract. 2. disp. 1. quæst. 6. à num. 133.

45 Certe alii quamplurimi Pontifices usque ad 40. notwithstanding labore hereticis ab adversariis Sanctæ Sedis; & quod plus

mirandum est, ab aliquibus catholicis adversariis infallibilitatis favet, quod ut monui, longum esset examinare, sed non difficile à tali impostura imminentes reddere. Qui plura de cursu temporis scire desideraverit, legat N. Euditum Mattheucci in tom. de potestate Ecclesiæ controv. 6. cap. 4. controv. 7. cap. 2. & N. Cardin. Lauream disp. 8. de fide artic. 5. §. primo à num. 153. Nobis haec sufficiunt pro hac disputatione, & sufficient pro tota hac materia de fide, in qua siquid ipsi disonum exaravimus, pro dicto non habeatur; sed toto corde infallibilitati ipsius, ejusque correctioni humiliter nos subjicimus.

TRACT.

TRACT. V.

DE VIRTUTE THEOLOGICA gica Spei.

Post tractatum fidei divinæ , quæ nobis 1. ostendit bonum supernaturale , & infinitum ; ordo doctrinæ postulat, ut de virtute Theologica, & supernaturali *Spei* , sermonem instituamus ; nam eo voluntas nostra illud se posse obtinere expectat, ut inde animus noster posset in eum exardescere per charitatem. Hac ratione Apostolus 1. ad Chorinth. cap. 13, eam medianam collocat inter fidem , & charitatem. De hac ergo virtute est nobis in hoc tract. agendum, de quaque agit Subt. Doct. cum Magistro sentent. in 3. Disp. 26. sit ergo.

D I S P. I.

DE ESSENTIA, EXISTENTIA, ET NECESSITATE SPEI habitualis.

Antequam de objecto Spei theologicæ tam materiali , quam formalis loquamur , necesse est, ut ejus essentiam , existentiam , & necessitatem in hac 1. Disp. ventilemus per aliquas quæstiones. Quare sit.

QUÆST. I.

*Quid, etquotplex sit Spes
Theologica?*

Variè sumitur apud A.A. hoc nomen

Spes : primò sumi solet pro quadam passione naturali, seu inclinatione, qua qualibet creatura rationalis movetur ad expectandum quodlibet bonum,
Vv quod

quod desiderat: & hanc numerat sub. Doctor inter quatuor animi affectiones, quæ sunt *gaudium, dolor, spes, & timor*. De quaque in præsenti non agimus. Secundo sumi solet pro actuali expectatione, seu motu istius passionis, hoc est, quoties expectatur quodlibet bonum, tuac dicitur esse spem. Nec de ista sic sumpta loquimur in præse-
nti; quia tam pulsio spei, quam ejus actus sunt quid naturale. Et hic loquimur de ipsa in ordine supernaturali, seu Theologicè.

2 Tripliciter tamen adhuc sumitur à Theologis hoc nomen spes. Primo *objectiva*, seu pro bono, aut objecto, quod speratur: sic ad Roman. 8.: *spes, que videtur, non est spes*. Et ad Titum cap. I.: *expectantes beatam spem*. Secundo sumitur pro illo, in quem speramus, & hæc acceptio est satis frequens in Script: , ut Psal. 13.: *Dominus spes ejus est*. Et 60.: *factus est spes mea*. Tertio tandem sumitur spes pro ipso habitu supernaturali, & insulso inclinante animam ad firmiter sperandum, vel pro actu, quo speramus à Deo nostram beatitudinem, & media ad eam conducentia, juxta promissionem infallibilem Dei. De ipse in hoc sensu sumpta, est in præsenti questionam de spes objective capta erit dispu-

tat sequenti. De quaque pro primæ partis resolutione.

3 Dico, quod spes sic primo definitur à Magistro Sentiar.: *est virtus, qua spiritualia bona, & eterna sperantur*; seu alio modo: *spes est certa ex-
pectatio futura beatitudinis ve-
niens ex Dei gratia, & meritis
precedentibus*. Unde nota, quod ly *expectatio* sumitur pro principio supernaturali inclinante affectionem animæ ad expectandam beatitudinem, & prout sic convenit spei habituali; si enim sumatur prout sonat, convenit spei actuali ab habituali elicitive provenienti. Per ly *certa* excluditur omnis hællitatio animæ circa *eternam beatitudinem*, sed hæc certitudo non est absoluta, sed conditionata; quia beatitudo speranda est cum conditione simpliciter requisita, scilicet, finalis perseverantiae in gratia; aliter enim non spes, sed præsumptio foret.

4 Similiter per illam particulam *futuræ beatitudinis* denotetur quid, seu objectum spes supernaturalis. Per illam *ex-
gratia Dei*, denotatur, a quo est speranda; nam solus Deus dat gratiam, & gloriam juxta: illud,
*gratiam, & gloriam dabit Do-
minus*. Et denique per illam, ex

meritis precedentibus, denotatur qualiter est gloria expectanda. Ex his omnibus particulis huius definitionis, habetur, quod spes habet omnes circumstan-
cias, ad hoc ut sit virtus su-
pernaturalis: an vero sit Theo-
logica? dicitur quæst. sequenti.
Nunc pro resolutione 2. partis

5. Dico, quod spes est duplex: alia habitualis, alia vero actualis: habitualis est ha-
bitus supernaturalis in nobis ma-
nens, & elevans nos ad deside-
randum Deum, ut bonum nobis:
cum fiducia adipiscendi in ipso no-
stram beatitudinem, ex gratia ipsius,
& ex meritis nostris. Actu-
alis est, actus supernaturalis,
quo desideramus Deum, ut bo-
num nobis cum fiducia adipisci-
di in ipso nostram beatitudinem
ex gratia ipsius, & ex meritis
nostris. Spes habitualis alia est
infusa, & est quam nobis Deus
infundit sine nobis; de quaue
Trid. Sel. 6. cap. 7. ait *in justi-
ficatione tria hæc simul infusa acci-
pit homo, fidem, spem, & chari-
tatem*. Alia est acquisita: & est
habitus quidam naturalis, qui ge-
neratur ex repetitione actuum spe-
randi. Vide que diximus tract.
antec. Disp. 8. quæst. 1. per quod
que resoluta manet secunda pars
difficultatis.

QUÆST. II.

An Spes habitualis infusa sit
simpliciter necessaria?

1. DE Spe habituali in-
fusa movetur quæstio; nam de actuali non est du-
bius; quilibet enim experi-
tur in se quemdam motum ani-
mi, quo summopè desiderat
beatitudinem, & hac de cau-
sa facit ea, que debent fieri ad
illam obtainendam. Et hoc etiam
evenit in sectatoribus falsarum
sectarum; qui licet erroneè de-
siderent suam beatitudinem, in-
utiliter apponunt media sibi pre-
fixa pro ea obtainenda. Quare præ-
sens quæst. est de spe habituali
infusa. Circa quam aliqui Scho-
lastici docuerunt, non esse
absolute necessariam talem vir-
tutem, & multo minus est de fi-
de, quod detur. Sed hoc no ob-
stante, sit

Conclusio.

2. Habitus infusus spei,
qui est secundus in ordine, est
simpliciter necessarius. Hæc con-
clusio habetur ut de fide à gra-
vissimis Theologis, & satis ex-
presse inferitur ex nostro Doct.
in 3. Dist. 26. *in principio ubi*

docet, quod fundamentum, quo
nituntur S. S. PP. ad illam ad-
truendam, sunt, tum authoritas
Apostoli i. ad Corinth. 13., ubi
ait: *nunc manent fides spes, &
charitas*; ubi ly *manent intel-
ligitur de habitu*; nam actus
non manent, sed transeunt. Tum
ex Concil. Trid. Scl. 6. cap. 7. ubi
dicitur: *in ipsa justificatione, cum
remissione peccatorum hæc om-
nia simul infusa accipit homo: fi-
dem, spem, & charitatem.* Hæc
eadem veritas deducitur ex Conc.
Vienens. Clementin. de Samm.
Trinit. & fide Catholica. Vide
dicta Disp. 7. tract. antec. quest.
I. 2 num. 2.

3 Prob. conclusio ra-
tione: de fide est, in justifica-
tione infundi non solum gratiam
habitualis, sed etiam virtutes
theologicas, quæ sunt fides,
spes, & charitas: & hoc tam
Parvulis, quam adultis; sed hoc
esset falsum, nisi essent necessariae
tales virtutes de genere ha-
bituum: ergo sunt. Prob. min.: per
has virtutes nequeunt intel-
ligi actus; quia isti non sunt
virtutes, sed actus virtutum;
nec infunduntur, sed producun-
tur a potentijs medijs virtuti-
bus correspondentibus. Deinde:
hæc infusio actuum, nequit
concipi respectu parvorum;
cum non sit capaces nec auxi-
liorum moventium ad tales ac-

tus, nec ipsorum actuum: ergo
tal is infusio, quæ fit in jus-
tificatione, debet intelligi de
ipsumet virtutibus habitualibus,
& permanentibus. Confirmatur:
amissa gratia per quolibet pec-
catum mortale, permanent fides,
& spes, dummodo peccata
eis non contrarietur; sed
ex hoc constat, quod fides, &
spes sinthabitus permanentes;
nam actus non permanent, sed
transeunt: ergo dantur habitus
necum fidei, sed spei. Hoc
ultra constabit ex solutione ar-
gumentum.

Solvuntur argumenta.

4 Arguitur I. : frusta
ponitur spes tamquam habitus
infusus: ergo non est necessari-
us. Prob. antec.: ad hoc po-
nitur talis habitus, ut homo
firmiter eliciat actum sperandi;
sed ad hoc non est necessarius:
ergo & Prob. min.: homo na-
turaliter appetit, & desiderat
beatitudinem non solum in com-
muni, sed etiam in particulari;
semel, quod illam per fidem
cognoscat: ergo superflue po-
nitur talis habitus. ad illam.
Prob. antec. quoad 2. partem:
semel quod voluntati sufficienter
proponatur ab intellectu aliquod
objectum sibi summe commo-
dum, appetitu naturali potest
tendere in illum, maxime per de-
siderium: ergo &c. Ref-

5 Respondeo negando antec., & minorem probationis: ad probationem distinguo antec.: homo naturaliter appetit appetitu ineffaci, & non conducenti ad beatitudinem consequendam, conc. ant.: appetitu efficaci, & prout opportet ad illam consequendam, nego antec. Eadem distinet. disting. antec. probationis. Itaque verum est, quod homo naturaliter appetit beatitudinem in communi, & in particulari, semel quod per fidem sufficientem proponatur ei, in quo consistat, & per quæ media acquiratur; sed iste appetitus nude sumptus ex parte voluntatis, quamvis ex parte intellectus habeat fidem infusam, non est sufficiens, ut ipsa voluntas ita perfecte, & firmiter speret, prout est necessarium, seu prout oppoter ad vitam æternam consequendam. Sic Subt. Doct. cit. sub num. 21.

6 Replicabis: proposita æterna beatitudine in particulari per fidem, potest homo illam sperare à Deo prout opportet absque habitu infusso spei: ergo &c. Prob. antec.: tum in cathecumeno, qui solum credit firmissime ea, quæ hic credenda proponuntur, sed etiam firmiter sperat se vitam æternam consecutum: tum in illo qui

per peccatum desperacionis amissit habitum spei, qui si posset doleat, et si sit solum dolor attritionis ortus ex fœditate sui peccati, sperat se consecutum misericordiam Dei, elicitque verum actum spei; sed isti actus sunt prout opportet, & sunt absque habitu infusso fidei; cum huiusmodi habitus solum infundantur, dum homo justificatur: ergo &c. Respondeo disting. antec.: proposita &c. potest homo sperare ea prout opportet, medio aliquo auxilio supernaturali absque habitu infusso, conc. antec.: media sola spe acquisita, nego antec. & conseq. Eisdem terminis distinguuntur probationes antecedentis.

7 Itaque certissimum est, quod actus spei supernaturalis, sicut & aliarum virtutum, possunt elici ita perfecti, & in eodem ordine, quando eliciuntur medio auxilio supernaturali, ac quando eliciuntur, medio habitu supernaturali; sed hoc non officit nostræ conclusioni; quia solum quod assertimus est, dari tales habitus in omnibus justificatis, & fidem; & sumpem in peccatore antea justificato, licet gratiam amiserit per aliquod peccatum, dummodo eis non sit oppositum. Et hoc assertimus juxta Subt. Doct. cit. propter authorit. Script, & S. S.

non vero propter rationem naturalem hoc efficaciter probantur: nam rationes naturales non cogunt, nec sufficiunt ad illos adstruendos efficaciter; sicut non desint ad hoc aliquæ congruentia. Vide aliquas in Doct. ibi.

8 Arguitur 2. & potest esse replica: juxta Doct. in 3. dist 24. quæst. unic. §. ad quæst. rationes congruentia, altra autoritatem Sac. Script. & S. S. P. P. cur debeant ponni habitus infusi, sunt ut perficiant animam in ordine supernaturali, & ut per tales actus reformatur imago Dei, quæ erat deformata per peccatum; sed ad hoc non requiritur habitus spei: ergo non datur. Prob. min. anima perfecte sanatur, & reformatur per fidem, quæ pertinet ad intellectum, & per charitatem, quæ pertinet ad voluntatem: ergo superfluit spes. Antec. videatur expressum Doct. dicentis: *Christus reformando sicut perficit voluntatem per charitatem, sic intellectum per fidem,* ubi non commemorat de spe: ergo Superfluit.

9 Respondeo neg. min. ad probat. dico, quod etiæ intellectus sufficienter, & adæquare sanctur, & perficiatur in ordine supernaturali per fidem, etiam secundam virtutem rememorativam; voluntas vero non sufficienter perficitur per chari-

tatem; quia habet duas affectiones: una, quæ dicitur *affectio justitiae*, & terminatur ad bonum in se, & secundum se, præcissive ab omni respectu ad Personam. Alia est *affectio commodi*, quæ terminatur ad bonum, non ut est in se, sed ut convenienter appetenti, & desideranti. Prima affectio sufficienter perficitur per charitatem; quia charitas solum respicit Deum, ut est in se; alia vero, hoc est secundum affectum commodi solum perficitur per spem infussam.

10 Replicabis ex Subt. Doct. in eodem 3. Dist. 26. num. 21. ubi ait: quod eodem habitu, quo amatuer aliquis amore amicitiae, quæ est affectio justitiae, eodem concupiscitur ei bonum, quæ est affectio commodi; sed per habitum charitatis, quilibet amatuer amare amicitiae: ergo eodem habitu concupiscitur ei bonum, & consequenter charitas adæquate perficit voluntatem: ergo superfluit virtus spei. Ut hæc replica solvatur, notate ex Doct. in 2. dist. 6. quæst. 2. §. *ad videndum*, quod hi tres actus debent distinguiri: primus: quo amatuer Deus per se, & in se; & hic oritur à charitate: Secundus, quo ipsum bonum, scilicet beatitudo concupiscitur, ut bona appetenti tantum; & iste actus non oritur à charitate, nec est ex affectu justitiae, sed so-

lum concupiscentia. Tertius de-
nique , quo desideratur tale
bonum , seu beatitudo , non so-
lum , ut bona , & perfectiva su-
pernaturaliter appetentis ; sed
ut illa habita magis , & perfe-
tius diligitur ipse Deus ; & illa
habitus cum tali respectu etiam
oritur à charitate. Hoc notato;

11. Resp. ad replicam,
quod licet primus , & tertius
actus ex numeratis exle eliciantur
à charitate, secūsvero secun-
dus ; & pro hoc elicendo te-
quirimus virtutem spei, ut quoad
hoc perficiat , & sanctet voluntate-
tem. Solutio est ipsiusmet Subt.
Doct. cit. in replica, ubi §. con-
traviam istam uers. ad 2. ait:
concedo igitur , quod eodem , quo
amo , concupisco bonum amato,
sed non concupisco quodcumque
bonum , commodi , quo l principa-
liter terminatur ad illud bonum ,
quod ex charitate diligo in se ; hoc
est , quod cuicunque amato con-
cupisco amare Deum propter se , id
est , in quantum est bonum in se ,
non in quantum bonum huic. Ubi
nota, Scotum non diceret, per
habitum charitatis concupisci
bonum commodi , ut tale, quod
est bonum mihi ; sed ut princi-
paliter tale bonum ulterius ordi-
nat ad maiorem Dei. dilectionem.

QUÆST. III.

*An spes sit virtus Theologica ,
distinctaque à fide , & chari-
tate?*

Duo sub præsenti
titulo queruntur. Primum : an
spes sit virtus Theologica ? &
secundum , an sit distincta à
fide , & charitate ? Pro resolutio-
ne primi nota , quod virtus
theologica prout distincta ab om-
ni virtute naturali , seu morali ,
sic definitur ab Augustino lib.
3. de lib. arbit. cap. ult.: est bo-
na qualitas mentis , qua recte
vivitur , & qua nemo male utitur ,
& quam Deus operatur in nobis
sine nobis. Sed nota , quod per
ly mentis idem est ac animæ; ita
ut sensus sit, quod est bona qua-
litas animæ &c; alias non conve-
niret spei , & charitati; quæ non
pertinent ad mentem , hoc est ,
intellectum , ut videbimus , sed
ad voluntatem. Quare clarita-
tis gratia sic virtus theologica
potest in communi definiri ; est
habitus supernaturalis à solo Deo
infussus elevans animam ad Deum
immediate , & objective attingen-
dam.

2. Ex hac definitione infertur juxta Subt. Doct. cit. dist.
26. num. 15., quod tres condi-
tiones sunt simpliciter necessariæ
ad

ad virtutem simpliciter Theologicam. Prima, quod respiciat immediate Deum ipsum pro objecto tam terminativo, quam obiectivo, quodque nulla alia virtus naturalis habet. Secunda, quod habeat pro regula primam regulam humianorum actum in ordine supernaturali, quæ est fides infusa. Tertia, quod à solo Deo habeat infundi. Dixi requiri has conditiones ad virtutem *simpli*citer Theologicam, propter fidem, spem, & charitatem acquisitas, quæ vocari possunt theologicæ *se*-*rundum quid*, cum habeant Deum pro objecto, & regulerentur per primam regulam; sed quia non petunt per se infundi; sed acquiri, ideo non sunt virtutes *simpli*citer theologicæ. Hoc notato sit.

Prima conclusio.

3 Spes est virtus Theologica. Est communis. Probaturque 1.: spei habituali convenient omnes conditiones requisitæ ad virtutem theologicam: ergo est. Prob. antec.: in primis habet pro objecto tam motivo, quam terminativo ipsum Deum, ut summum bonum beatificum nostrum: deinde habet etiam pro regula ipsam fidem; siqui-

dem per eam habetur quid sit sperandum, scilicet, beatitudo æterna; à quo, scilicet, à Deo: qualiter, hoc est, mediis meritis ex gratia ortis: & denique habet tertiam, scilicet, quod à solo Deo debat infundi, ut patet ex Trid. ses. 6. cap. 7. per sepe cit.: ergo habet omnes conditiones &c. Confirmatur ex definitione posita num. 1. huius, cuius particulari ipsi convenient, ut consideranti constabit.

Solvuntur argumenta.

4 Arguitur 1.: spes non est virtus: ergo nec virtus theologicæ. Prob. antec.: nulla passio animæ ponitur inter virtutes; sed spes est passio animæ: ergo &c. Maior constat; nam passio animæ est innata, & identificata cum anima, quod non convenit virtuti. Min. etiam constat; quia inter passiones animæ numeratur spes, sicut gaudium, dolor, & timor. Confirmatur; quia qua ratione spes est virtus, essent & aliæ passiones animæ; sed gaudium, dolor, & timor non sunt virtutes veræ, & propriæ: ergo nec spes. Respondeo negando antec. ad probationem dist. min.; sed spes sumpta pro naturali propen-

pensione , & desiderio proprii boni utcumque est passio animæ , conc. min. : sumpta pro principio elevante istam inclinationem ad desiderandum , & expectandum proprium bonum beatificum , nego min. & conseq.

5 Itaque nomina , ait Subt. Doct. , sunt imposita ad placitum , & sic nomen *spes* est æquivocum ; nam aliquando significat motum naturalis desiderij circa proprium bonum , & sic vel est passio , vel motus passionis , & appetitus animæ . Aliquando sumitur pro habitu , seu principio determinate elevante , & inclinante animam ad desiderandum , & expectandum cum debitiss circunstantijs proprium bonum supernaturale beatificum , & prout sic ab Script. & PP. imponitur ad significantiam solam secundam virtutem theologicam , quæ est spes . Ad confirm. nego causalem ; quia licet aliae passiones possint aliquomodo considerari in ordine ad aliqua objecta supernatura , v. g. gaudium ad posessionem gratia , habituum i supernaturalium : dolor ad amissionem eorum : & timor ad malum immens ex ammissione eorum ; tamen nec ab Script. nec a PP. enumerantur inter virtutes theologicas ; quia *i* , non tenduat

in objectum primarium virtutis theologicæ.

6 Arguitur *2.* : virtus , quæ consistit in medio , non est theologica ; sed talis est spes ; quia est media inter presumptionem , & desperationem : ergo &c. Prob. mai. : virtus , quæ potest habere excessum , aut defectum ex parte objecti , est virtus moralis ; nam theologica cum habeat pro objecto ipsum Deum , impotens si habere excessum , & defectum : ergo virtus quæ consistit &c. Reip. dist. mai. : virtus , quæ consistit in medio , tam ex parte objecti , quam ex parte modi attingendi , est virtus moralis , conc. mai. : præcisè ex parte modi attingendi objectum , nego mai. : & inversis terminis distinguo min. & nego conseq.

7 Itaque dupliciter potest considerari excessus , aut defectus in operationibus moralibus. Primo ex parte objecti , quando , scilicet , objectum in se potest habere excessum , aut defectum ; & hoc solum convenit quando objectum est finitum , & limitatum , quale est objectum virtutum moralium. Secundo ex parte modi attingendi objectum , & iste reperitur etiam in theologis ; nam fides est media inter levitatem , qua quis cito credit , & pertinaciam , qua re-

pugnat credere, quæ non sunt
potuisse conformia naturali ra-
tioni. Et hoc modo etiam spes
est media inter præsumptionem,
qua quis sine meritis, vel cum
meritis naturalibus sperat con-
sequi gloriani; & desperatio-
nem, qua Deum judicat teme-
rè vel impotenter, vel nolen-
tem absolute ei parcere. Vide
Subt. Doct. cit. in solutione ad
2.

8 Replicabis: virtus,
quæ admittit excessum, aut de-
fectum ex parte objecti, non
est virtus theologica; sed talis
est spes: ergo &c. Prob. min.:
sicut non solum potest quis le-
viter, aut pertinaciter credere,
quod pertinet ad modum, sed
etiam potest credere plus, aut
minus v. g. quaternitatem, aut
unitatem Personarum in divinis;
sic pariter poterit sperare plus,
aut minus, quam debeat; quod
nec est absolute desperare, aut
præsumere: ergo &c. Probat.
antec. paritate justitiae, que est
virtus moralis; nam ista potest
deficere quoad modum, non
servando modum per leges pres-
criptum: & similiter quoad ob-
jectum, dando plus, aut minus,
quam debeat: ergo cum hoc
verificetur in spe, sequitur quod
possit habere excessum ex par-
te objecti; & consequenter &c.

9 Resp. disting. mai.:
virtus, quæ admittit excessum,
aut defectum ex parte objecti
in se, & secundum *se*, non est
virtus theologica, conc. mai. ex
parte objecti *in apprehensione*
tantum, nego mai.; & omilla
min. nego conseq. Verum er-
go est, quod non solum potest
credi leviter, aut pertinaciter,
quod pertinet ad modum; sed
etiam plus, aut minus circa ip-
sum objectum fidei; ceterum
iste excessus non stat ex parte
objecti *in se*; quia licet credat
quaternitatem, vel unitatem
Personarum, non ideo ita est à
parte rei, sicut si virtus justi-
tiae det plus, aut minus. Unde
hæc virtus admittit excessum,
aut defectum objectivum vere,
& proprie; numquam vero vir-
tus theologica; nisi ad summum
in apprehensione; unde non est
paritas.

10 Arguitur 3.: virtus
theologica respicit ipsum Deum
pro objecto motivo, & termini-
nativo; sed hoc non habet spes:
ergo &c. Probatur min.: vir-
tus, que respicit proprium com-
modum, non habet Deum ipsi-
sum pro objecto; sed spes res-
picit beatitudinem, tamquam
proprium commodum eam ha-
beatis: ergo &c. Respond. conces-
mai. neg. min.: & disting. mai.
pro

probationis: virtus, quæ respicit proprium commodum, si tale proprium commodum non sit Deus, non habet &c. conc. mai.: si sit ipse Deus, nego mai., & dicitur. min.; sed spes respicit beatitudinem objectivam, quæ est ipse Deus, & formalem, quæ est actus attinens immediate ipsum Deum, conc. min.; aliter, nego min. & conseq. Solutio est satis clara.

ii Arguitur ultimo: habitus, qui est principium fruendi utendis. & uti fruendis, non est virtus; sed talis est habitus spei: ergo &c. Prob. min.: habitus, qui est principium referendi Deum ad proprium commodum, & non econtra, est principium fruendi utendis, & utendi fruendis; sed spes refert Deum ad proprium commodum; nam non sperat in Deo absolute, sed ut sibi bonum, & proprium objectum beatificum: ergo &c. Respond. negando min.: ad probationem dico, quod qui refert summum bonum ad proprium commodum tamquam quid perficiens ipsum, non fruatur utendis, nec utitur fruendis; bene vero qui refert ad proprium commodum minus bonum, tamquam maius; & hoc non facit spes; non enim appetitur, & desidera-

tur Deus tamquam minus bonum, sed ut summum bonum nostrum quod; & sic non fruatur utendis, nec utitur fruendis.

Secunda conclusio.

12 Spes realiter distinguitur à fide, & charitate. Est communis. Prob. i. ex Apost. ubi has virtutes enumerat, dicens: nunc manent hec tria, fides, spes, & charitas; hoc idem constat ex Concil. cit.; sed quæ ponunt in numero, sunt realiter distincta: ergo &c. Confirmatur: licet hæ virtutes habeant idem objectum materiale, & terminativum, non tamen formale, & motivum: ergo realiter distinguuntur. Prob. antec.: fides inclinat ad credendum Deo revelanti; charitas ad diligendum Deum, ut summum bonum preclissive ab omni respectu; spes vero ad sperandum in eo, eumque desiderandum ut summum bonum nostrum; sed hæ motiva sunt diversa: ergo &c.

13 Dicés primo contra istam conclusionem: spes non distinguitur à fide: ergo &c. Prob. antec.: qui firmiter credit, se consecutur salutem,

vere sperat: ergo utraque virtus est erga eadem objecta, & per eosdem actus; & consequenter &c. Respond. neg. antec., & disting. antec. probatiois: qui firmiter credit vere sperat *per actum voluntatis committantem, aut sequentem actum illum credendi*, conc. antec. vere sperat formaliter *per ipsum actum intellectus*, quo credit, nego antec., & conseq.. Certum ergo est, quod est ordo inter hos actus: *credere, & sperare*, sicut & inter ipsas potentias, de quo immediate; ceterum non est identitas; cum sit diversa ratio formalis.

14 Dices 2.: spes, & charitas sunt de eodem objecto formali, & in eadem potentia; nam charitas est de Deo ut bono, & est in voluntate; similiterque & spes: ergo non distinguuntur hæc virtutes. Confirmatur: homo potest desiderare summum bonum proximo ex charitate: ergo & sibi; & consequenterque est eadem cum charitate. Respondeo negando antec.; nam spes respicit Deum, ut sibi bonum possidendum, & nondum possessum; charitas vero absolute respicit Deum, ut bonum in se, & propter se amandum; iste est amor amicitiae; ille vero concupiscentia.

Ad confirmationem dico, quod si quis desiderat summum bonum proximo ex charitate, ibi sunt duo actus, scilicet, actus desiderij, qui directe elicitur ab habitu spei, & respicit Deum ut bonum absens à proximo; & actus charitatis, seu amicitiae in proximum, à quoque amore imperatur illud desiderium.

15 Dubitabis hic: quem ordinem habeat spes cum fide, & charitate. Hic ordo tripliciter potest considerari: primo ordine productionis: secundo conservationis. Tertio tandem perfectionis. Et de omnibus his hic breviter agendum est. Sed pro primo nota, quod fides, spes, & charitas sunt simul simultate temporis, seu in eodem instanti temporis simul infunduntur, ut satis constat ex Trid. ses. 6. cap. 7. dicente: unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Hoc tamen venit intelligendum de prima iustificatione, si non ponatur obex charitati, ut si adultus recipiens Baptismum non ponat requisita ad iustificationem, vel peccet in actuali receptione baptismi; nam huic infunderetur fides, & spes, secus vero chari-

ritas. Quare difficultas est de prioritate naturæ.

16 Dico 1.: spes est posterior natura fide: prior vero charitate. Prob. ex Apost. ponente prius fidem, deinde spem, & tandem charitatem; & hunc ordinem observant Tridentinum, & SS. PP.: ergo. Prob. ratione: fides comparatur fundamento edificij; quia est substantia rerum sperandarum; spes comparatur erectio- ni edificij; & tandem charitas complemento, seu consumatio- ni ipsius; sed erectio supponit fundamentum, & presupponit complemento ipsius: ergo cum fides sit fundamentum, & spes erectio, & charitas complementum, hinc est, quod spes mediat inter fidem, & charitatem. Urgetur: secundum ordinem potentiarum est ordo habituum eas perficientium; sed fides perficit intellectum, qui est prior voluntate: spes per- ficit voluntatem secundum af- fectionem commodi; charitas vero secundum affectionem iusti- tiae, quæ est posterior ad af- fectum commodi: ergo &c.

17 Dico 2.: spes infusa quoad conservari dependet à fide, non tamen à charitate. Conclusio quoad utramque pat-

tem est communis. Probatur quod quoad 1.: ex dictis fides est radix, & fundamentum omnis jus- tificationis; sed fundatum ne- quit esse, & conservari sine fundamento: ergo &c. Maior est de fide ex Trid. scil. 6. cap. 8. Prob. quoad 2. part. nihil prius essentialiter dependet quoad conservari ab aliquo posteriori; sed charitas est posterior spe, ut constat ex dictis: ergo &c. Deinde: fides, & spes possunt esse in peccatoribus non in fidelibus, nec de sperantibus: ergo non dependent quoad con- servari à charitate. Unde solum dependent ab ipsa ut eorum actus sint vivi, & meritorij de condigno vita eternæ.

18 Dico 3.: spes est perfectior fide imperfectior ve- ro charitate. Prob. 1. pars: spes recipitur in nobiliori po- tentia, qualis est voluntas, ut postea dicam; & fides in in- tellectu: ergo illa est perfectior ista ex parte subjecti; sed etiam ex parte objecti; nam objectum per se fidei est veritas Dei no- bis revelata; objectum vero spei est ejus bonitas nobis com- moda: ergo &c. De hoc in Animistica actum est contra Thomistas. Vide ibi.

19 Prob. 2. pars con- clusionis; & primo ex illo Apost.

Apost. ad Corinth. 13. : *maior autem horum est charitas. Secundo, quia charitas nobiliter tendit in Deum, quam spes; quia charitas inclinat ad amandum Deum; quia summum, & infinitum bonum super omnia, & propter se; spes vero inclinat in desiderium Dei, ut nobis commodi; & sic charitas perfectius nos conjungit cum Deo; quia ejus amor est amicitiae, qui transformat amantem in amatum, quam spes cuius amor est concupiscentia. De hoc in decursu huius materiae erit ulterior sermo. Nunc sit.*

QUÆST. IV.

Ad quam potentiam pertineat spes?

1. Communis Theologorum sententia docet, ipsam virtutem theologiam non pertinere ad intellectum, sed ad voluntatem. Noster autem Pontius, in Commentariis super 3. in Dist. 26. sub num. 39. oppositam probabilem reputat docens, spem ad intellectum pertinere; quia ejus actus est opinio, qua quis probabiliter judicat, se conse-

ceturum vitam aeternam, & quodcumque bonum, quod desiderat, maxime quod ad illam conducit. Cum communiori tamen sit

Conclusio.

2. Spes non pertinet ad intellectum, sed ad voluntatem. Prob. quoad 1. part. : si spes pertineret ad intellectum, vel esset habitus indistinctus à fide, vel esset habitus opinativus, cuius actus esset opinio, qua quis probabiliter judicat, se consequetur aeternam salutem; nam habitus scientificus esse nequit; quia nullus viator potest habere evidentiam de consequenda beatitudine; sed nequit esse spes indistincta à fide, ut constat ex dictis quæst. ant. conclus. 2.: ergo &c. Prob. min. quoad 2. part. : habitus opinativus potest inclinare in actum falsum: ergo spes non est talis habitus. Prob. hæc conseq.: spes est habitus theologicus, & supernaturalis; sed nullus habitus supernaturalis potest inclinare in actum falsum: ergo &c.

3. Prob. 2. pars conclusionis, & 1. ex Aug. in Enchyrid. cap. 8. ubi ait, quod *spes est bonarum rerum, aut futurarum; sed sola voluntas est*

est nata tendere in bonum ; cum bonum sit objectum ejus : ergo spes ad voluntatem pertinet. Confirmatur : spes est erga possidendum , de cuius possessione gaudemus ; sed id, de cuius possessione gaudemus , est bonum ; & actus in illud tendens est desiderium , quod ad voluntatem spectat : ergo &c. Urgetur partitatem brutorum , quorum inclinatio , & motus in id , quod ipsis est commodum , & ad appetitum sensitivum pertinet , & est motus ipsis appetitus : ergo pariter in natura rationali , qua rationalis est , pertinet talis inclinatio ad appetitum rationalem , seu ad voluntatem , & motus in ipsum , ut possidendum est actus voluntatis.

4 Dices primo ex Sac. Scriptura , ex qua colligitur , quod spes sit fiducia , & opinio de æterna beatitudine consequenda ; sed fiducia , & opinio sunt actus intellectus : ergo & spes. Confirm. opinio de consequenda beatitudine ex Dei gratia per bona opera , & ob infinitam Dei misericordiam est actus alicuius virtutis ; sed non fidei ; quia fides non est circa opinabiliā ; nec charitatis ; quia opinio ad intellectum pertinet , & charitas ad voluntatem ; nec est alicuius virtutis moralis ; cum objectum talis actus sit Deus , ejusque mi-

sericordia : ergo solum restat , ut sit actus spei.

5 Resp. ad argumentum , quod quando in Sac. Scriptura , & PP. insinuat̄ur , quod spes sit fiducia , & opinio de æterna beatitudine consequenda , hoc non est intelligendum *formiliter* , sed solum *presuppositivè* vel *concommitanter* ; quia presupponit , & commitatur opinionem consequendæ beatitudinis. Et ratio est attacta in probat. 1. partis conclusionis , scilicet , quia nullus habitus supernaturalis , & theologicus inclinat in actum incertum , qui potest esse falsus , uti est opinio. Deinde , et si quis haberet talem opinionem de assequenda beatitudine , si illam non desideraret , non haberet actum spei. Ad confirmation. nego mai. ; quia illa opinio esset actus discursus theologici ; nam ex fine promissionum , & voluntatis Dei volentis , omnes homines salvos fieri : & ex fine necessitatis nostræ cooperationis ad divinas promissiones obtainendas deducitur actus theologicus opinativus , in quem inclinat habitus opinativus theologiae nostræ.

6 Dices 2. : sperare nihil aliud est , quam judicare , hoc fieri posse , vel certe futurum esse absolute , vel conditionate ;

(ed

sed virtus ad judicandum hoc fieri posse, vel esse futurum absolute, vel conditionatè pertinet ad intellectum: ergo. Prob.mai.: desperare nihil aliud est, quam judicare hoc non esse possibile, vel si est possibile non esse futurum: ergo. Confirmatur: judicans, se consecuturum salatem, si impleverit legem Dei, & usque in finem perseveraverit, hoc ipso habet actum spei, ad hoc excitantem: ergo.

7 Resp. negando mai. & anteced. probationis; quia quamvis actus spei praetupponat judicium possibilis, immo & judicium futuritionis conditionatae, in nullo ex his actibus potest stare sperare formaliter; nam utrumque judicium potest habere, qui desperat. Unde sicut sperare non est formaliter judicare id non esse possibile, nec conditionatae futurum; cum judicium de possibiliitate, & de futuritione conditionata sit conjungibile cum desperatione; sic nec sperare formaliter est judicare hoc esse absolute futurum; quia nemo de absoluta futuritione sue beatitudinis potest habere certum judicium absque speciali revelatione. Ad confirmationem, nego antec.; quia actus ille non est spei, sed fidei, quamvis sequatur actus spei in

eo, qui connatur legem implere, & finaliter perseverare, & ad hunc connatum Excitat actus ille fidei; sed proxime actus spei in fide fundatus, & regulatus per fidem.

QUÆST. V. ET ULTIM.

An, & quomodo Spes infusa sit certa?

I **D**iximus num.3. quæst.
I. quod spes est certa expectatio futura beatitudinis veniens ex Dei gratia, & ex meritis precedentibus. Et ex hoc oritur prælens difficultas; an, scilicet, spes infusa in suis actibus sit certa; quaqué certitudine? Quod sit certa certitudine fidei, constat ex Div. Paulo ad Hæbr. 6.: configimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam. An vero ex se sit certa? est dubium; pro quo nota, quod certitudo nihil aliud est, quam firmitas illa, qua aliqua potentia ita adhæret proprio objecto, ut de illo nullo modo dubitet. Et hec duplex: una cognoscitiva, quæ solum convenit intellectui, & opponitur errori, & dubitationi. Altera adhæsiva, quæ convenit alijs potentij rationalibus, & opponitur diffidentiæ, & hæsitationi.

Utra-

2 Utraque ex his adhuc est duplex, alia *absoluta*: & est firma adhæsio ad aliquod *objectum*, sine aliqua conditione, ut certitudo scientialis in naturalibus; & certitudo fidei in supernaturalibus. Alia certitudo est *conditionata*, & est quæ pendet ex aliqua conditione. Hoc modo certum est, quemlibet esse salvandum si perseveraverit usque in finem in gratia Dei. Hoc supposito sit.

CONCLUSIO.

3 Spes infusa ex se est certa certitudine morali, non absoluta, sed tantum conditionata. Hæc conclusio in re est communis. Eam expresse tenet noster Div. Bonavent. in 3. dist. 26. quæst. 5. Prob. 1. pars ex Apost. ad Rom. 8. : *certus sum, quod neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei;* sed Apostolus non solum erat certus certitudine cognoscitiva, quæ provenit à fide, sed etiam certitudine expectationis, seu confidentiæ, quæ attinet ad spem: ergo &c. Prob. min.: si Apostolus solum habuisset certitudinem cognoscitivam fidei, & non adhæsivam, solum recurreret ad fidem, & non ad spem; sed re-

recurrerit ad spem; nam ait, *quod configimus ad spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam,* ac firmam: ergo &c.

4 Prob. 2. pars conclusionis: præcisive à divina revelatione, nemo infallibiliter scit, an sit dignus amore, vel odio: ergo independet ab illa non potest esse certitudo absolute omnino infallibilibus de salute æterna consequenda, & consequenter spes non est absolute certa. Confirmatur ex Trid. Ses. 6. cap. 3. ubi ait: *nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine pollicetur, tametsi in Dei auxilium firmissimam spem collocare, & reponere omnes debeant:* ergo &c. Potest autem aliquis habere certitudinem moralem absolutam de vita æterna consequenda, si ei sua recta conscientia persuadeat, quod facit, & facturus est ea, quæ ad vitam eternam consequendam, sunt necessaria. Hac certitudine laiebat Apostolus: *certus sum, quod potens est depositum meum servare in illum diem justus Iudex.*

5 Prob. ultima pars conclusionis: talis certitudo de vita æterna consequenda attendenda est juxta Dei promissionem; sed hæc est conditionata, juxta illud: *si vis ad vitam in gredi, servanda;* qui perseveraverit usque

que in si rem , hic salvus erit: ergo &c. Confirmatur : nemo potest esse certus de aliqua re asse quenda , dum hæc pendet ex aliqua conditione voluntaria , de qua que ignorat , an sit , vel non ponenda ; sed huiusmodi est vita æterna , quæ penderet ex meritis , & finali perseverantia , de qua que nemo scit habiturus , necnè ergo &c. Argumenta contra istam conclusionem et in plurimum solvuntur ex diversitate partium , quam pro ipsa adstruimus . Sed tamen

6 Dices 1. contra 1. pat tem : certitudo circa aliquod objectum non est compatibilis cum formidine circa idem ; sed spes non excludit formidinem circa affectionem vitæ æternæ : ergo non habet certitudinem . Prob. min. ex Apost. Epist. ad Philipens. cap. 2. ubi ait : *cum timore , & tremore oper mini vestram salutem :* ergo &c. Respondeo distinguendo maiorem : certitudo *absoluta simpliciter , & metaphysica* non est compatibilis &c. conc. mai. : certitudo *solum moralis , & sub conditione* non est compatibilis cum formidine , sub distinguendo mai. : cum formidine orta ex eodem motivo , à quo oritur certitudo , conc. mai. : ex alio capite , nego mai. Timor ergo spei non oritur ex aliqua dubitatione circa mis

ricordiam , & liberalitatem Dei , quæ est motivum ipsius ; sed ex fragilitate , aut ex malitia propria , quod non est tale moti vum .

7 Dices 2. : si spes ha bet certitudinem propriam moralem , & conditionatam , illam habebit in quocumque sub jecto , in quo reperiatur ; sed hoc est falsum : ergo &c. Mai. patet ; probatur min. : Spes re peritur in multis reprobis ; sed in his non potest habere ullam certitudinem de vita æterna adipiscenda : ergo &c. Prob. min. nemo potest esse aliquomodo certus de affectione rei sibi impossibili ; sed huiusmodi est beatitudine respectu reproborum : ergo &c. Resp. negando min. & min. probationis . Ad proba tionem distinguo mai. : nemo potest esse aliquomodo certus de affectione rei sibi impossibili , & prout tali cognitæ , conc. mai. ; & non cognitæ ut tali , nego mai. ; & disting. min. ; sed huiusmodi est beatitudo respectu reproborum ; & sic ab eis cognoscitur , nego min. ; & non cognoscitur ab eis , conc. min. & nego con seq. De hoc late agemus disp. ult. huius , dum de desperatione agamus .

8 Dices ultimo : Subt. Doct. persepe. cit. in 3. dist. 26. ait : quod actus spei , qui est

est exceptuare, includit certitudinem, & hæc certitudo pertinet ad intellectum, & fidem: ergo Spes juxta Doct. non habet aliam certitudinem, quam fidei. Respondeo verum esse quod spes præsupponit, vel includit necessariò certitudinem fidei, quæ est cognoscitiva; sed ultra dicit ex se certitudinem adhæsiyam, non absolutam, sed conditionatam; & hanc non negat Sabd. Doct. Deinde ibi non loquitur ex propria mente, sed ex sententia eorum, qui di-

cebant, spem non esse virtutem distinctam à fide, & charitate; quam sententiam non approbat; quia videtur obviare dictis S. S. P. P.

¶ Hic attinebat inquirere, an, præter spem infusam, admittenda sit spes acquisita? Et an hæc possit inclinare circa objectum tam materiale, quam formale spei infusæ? Sed utraque difficultas pertractata est tract. antec. disp. 8. quæst. 1. & 3. Quare ab eis supertiedeo: & sit

D I S P. III.

DE OBJECTO TAM MATERIALI, QUAM formali Speci Theologicæ.

Estò maneat explicata essentia huius secundæ virtutis Theologice; amplius declarabitur ex cognitione ipsius objecti, tam materialis, quam formalis. Sit ergo

QUÆST. I.

*Quoniam sit objectum materiale
virtutis spei?*

* **N**O TO I.: quod pro resolutione huius difficultatis prænotanda sunt ea, quæ in Logica docentur, trac-

tando de objecto scientiæ ut sic. Ex quibus prout ad præsens attinet, scendum est, quod objectum materiale, aliud est principale; aliud vero minus principale. Principalis est, ad quod reducuntur omnia, quæ in tali scientia tractantur. Minus principale, est illud, quod licet ad tales scientiam attineat, tamen

reducitur ad magis principale. Sit exemplum: finis intenditur immediate; media vero ad talēm finem consequendum, estò attingantur à tali potentia, tamē reducuntur ad finis intentionem (licet in probabili sententia possint attingi ratione bonitatis proprieæ); sed tunc non attinguntur ut media.

2. Noto 2. quod beatitudo nostra æterna, est duplex: una *formalis*, quæ est ipsa viſſio Dei intuitiva, aet ejus fructio, vel utraque simul, juxta varias Theologorum sententias. Altera est beatitudo *objectiva*, quæ est ipse Deus, cuius possessione beatus efficitur homo. Hinc ergo quæritur in præſenti: quenam ex his beatitudinibus, vel an utraque simul sit objectum materiale spei? Et ex ſuppositione, quod utraque sit: an una ſit principalius objectum, quam alia? Circa quam difficultatem varij ſunt modi dicendi. Durandus, & Paludanus dicunt, ſpem proxime, & immediate versari circa viſſionem Dei; remotè vero, & mediatè tantum circa ipsum Deum. Alii per opolitum tenent, ſpem proximè, & immediate versari circa Deum ipsum, tamquam circa objectum totale; viſſionem vero Dei, ſeu beatitudinem formalem eſſe tan-

tum conditionem, quæ objectum illud repræſentat. Sic aliqui apud Vazquez: & novissime noster Krisper hic.

3. Tertia tandem ſententia docet, ſpem versari circa Deum, & ejus viſſionem. Sed adhuc ſunt diuiſſi in hoc explicando; nam aliqui dicunt, quod versatur circa Deum, & ejus viſſionem, tamquam in duas partes unius integri, & adequati objecti, quæ conſtituant unum totalem finem, in quem immediate fertur ſpes, & desiderium nostrum. Alii vero defendunt, quod objectum principale, & immediatum ſpei est beatitudo objectiva; formalis vero est minus principale. Quid nobis tenendum per ſequentes conclusiones patebit. Sit

Prima conclusio.

4. Objectum primarium attributionis ſpei theologicæ est Deus, ſeu ipsa beatitudo objectiva. Eſt contra 1. ſententiam. Eſt tamen Doct. in 3. diſt. 26. quæſt. unica. Prob. 1. ex variis locis Sac. Scripturæ, in quibus dicitur, quod Deus eſt ſpes noſtra, ut Psalmo 90.: *quoniam tu es Domine ſpes mea*. Et Gen. 15.: *ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Super quod

quod Aug. lib. 22. de Civ. Dei, cap. ultim. ait: *primum virtutis erit ipse, qui virtutem reddit, & qui se ipsum promisit;* sed omnia hæc non intelliguntur de beatitudine formalis; quia hæc est virtus accidentaliter adveniens, & inhærens voluntati, quod Deo repugnat: ergo Deus objective captus est nostra spes.

qui esset proxima, & immedia-
ta materia spei: ego &c.

Secunda conclusio.

6 Beatitudo formalis est etiam per se objectum materiale spei, sed minus principale, & consequenter non est pura conditio. Et contra 2. sententiam, & etiam contra pri-
mum medium explicandi ter-
tiam. Prob. 1. pars ex illo To-
biæ 2.: *Filij Sanctorum sumus,*
& vitam illam expectamus, quam
Deus datus est his, qui fidem
suum numquam mutant ab illo.
Prob. etiam ex omnibus texi-
bus, in quibus spes nostra dici-
tur vita æterna, merces, & corona. Deinde, probatur hæc pars ratione: objectum spei no-
tolum est aliquod bonum futu-
rum promissum nobis, sed etiam illius poselsio; sed possessio sum-
mi boni est ipsa beatitudo for-
malis: ergo beatitudo formalis
est etiam objectum materiale
spei.

7 Prob. 2. pars con-
clusionis: illud est principale, &
immediatum objectum alienius
virtutis, quod per se immedia-
te perficit operantem, & mi-
nus principale quod tantum per-
ficit dependenter à principali;
sed.

sed in virtute spei est Deus ipse, qui immediatè perficit operantem beatitudo vero formalis solum mediate: ergo. Maior constat ex Logic. loc. cit.. Prob. min.: estò Deus nequeat esse nostra beatitudo objectiva sine formalí, qua illum asséquimur; tamen ideo istam appetimus; quia est assécutio, & possessio beatitudinis objectivæ, à qua omnem rationem bonitatis desumit: ergo cum beatitudo objectiva sit, quæ per se primo quietat, & perficit appetitum nostrum, & reddit ipsam formalem beatitudinem à nobis appetibilem, illa erit principale, & immediatum objectum spei: formalis vero minus principale. Confirmatur paritate finis, & mediorum.

8. Prob. tandem conclusio contra primum modum explicandi tertiam sententiam. Tunc aliqua duo ex quo constiunt aliquod objectum, quando unum non subordinatur alteri; sed beatitudo formalis subordinatur, & est propter objectivam: ergo &c. Mai. constat in fide, in qua veritas Dei tam in cognoscendo, quam in dicendo æqualiter pertinent ad eius objectum; quia nulla alteri subordinatur, licet una alteri præintelligatur. Minor eriam patet; quia beatitudo formalis

est quid creatum; objectiva vero quid increatum. Deinde quæ appetibile esset creatum, & increatum, quod est fallum: ergo &c.

Tertia conclusio.

9. Omnia bona tam naturalia, quam supernaturalia, quæ ad aeteriam beatitudinem consequendam conducunt vel proxime, vel remotè, sunt objecta materialia minus principalia virtutis spei. Prob. conclusio: omnia illa bona eadunt sub objecto materiali alius virtutis, circa quæ talis virtus potest versari, ut circa media ad consequendum suum finem; sed respectu virtutis spei sunt talia bona supernaturalia, ut auxilia, gratia &c.; & naturalia, ut virtutes naturales: ergo omnia hæc sunt objectum minoris principale virtutis spei. Min. constat: cum hac tamen differentia, quod supernaturalia, ut merita condigna ex gratia conducunt proxime; naturalia vero solum remotè, quatenus tollunt impedimentum ad beatitudinem consequendam; sic virtutes morales impediunt peccata. Contra hanc conclusionem nihil se offert objiciendum; contra duas vero primas.

Solvuntur argumenta.

10 Arguitur 1. contra 1. conclusionem : ipes pertinet ad amorem concupiscentiae; sed Deus, prout est in se, nequit esse objectum talis amoris: ergo &c. Mai. constat; quia in hoc distinguitur spes à charitate; huius enim actus est amor amicitiae; illius vero concupiscentiae. Prob. min.: Deus propter se, tamquam bonitatem est amandus, non vero propter utilitatem nostram; quia juxta Augustinum: *perversus est amor, uti fruendis, & frui utendis*: ergo Deus prout est in se nequit esse &c. Confirmatur: nulla res gaudens supposito distinctio potest esse bonum concupiscentis; nam sol non est bonus si igescienti, nec vinum bienti, nisi ratione operationis, qua illam nobis conjungimus: ergo pariter Deus supposito distinctus non erit bonum nostrum, sed solum operatio, qua nobis conjungitur.

11 Respondeo dist. mai.: Spes pertinet ad amorem concupiscentiae, quo bonum amatatur alicui, ut subjecto talis boni, conc. mai.: quo bonum amatatur propter aliud, tamquam propter finem, nego mai. &

distinguendo min.; sed Deus prout est in se non potest esse objectum amoris concupiscentiae, quo ipse ametur propter aliud, tamquam propter finem, conced. min.; quo ipse ametur alicui, ut subjecto, nego min. & conseq. Pro solutione nota ex Doct. in 3. dist. 36. quest. unic., quod non omnis comparatio objecti per voluntatem ad aliud objectum est comparatio, quæ sit usus; sed solum, quando comparatur, ut minus bonum ordinatum ad aliud maius. Sic autem non concupiscimus Deum per spem; sed voluntas comparat illud, ut abandas bonum ad minus bonum, cui liberaliter conceditur, tamquam perficiendum ab eo: & hec comparatio liberalitatis est bona, & honesta.

12 Unde aliud est concupiscere alicui bonum. & aliud concupiscere propter illud, tamquam propter finem. Primo modo non respicitur ille, cui bonum concupiscitur, ut finis; sed unice ut subjectum talis boni; quia non est de ratione amoris concupiscentiae, ut bonum ordinetur in illum, cui concupiscitur, tamquam in finem; sed sufficit, quod sit bonum voluntum alteri, ut subjecto talis boni; quare hoc modo amare Deum amore concupiscentiae

non est dishonestum , nec est inordinatio ; quia non est concupiscere Deum propter me , de quo loquitur authoritas Aug..

13 Ad confirmationem distinguo mai. : nulla res supposito distincta potest esse bonum concupiscentis , si res illa appetatur , ut finis , & objectum alicuius potentiae concupiscentis , nego mai. : si aliter appetatur , conc. mai.. Solutio patet ex ipsismet exemplis. Sol ergo proprie non dicitur bonus frigescenti , sed tantum calor. Ratio est s' quia sol secundum se non comparatur ad frigescentem , ut objectum immediatum , sed tantum ut causa efficiens ipsius objecti tactus , qui est calor. Etiam vinum est immediatum bonum ipsi supposito sicuti , & ipsem etiam immediata sublevat sicuti. Unde hoc exemplum est contra arguentes. Quare non tantum recreamur de actionibus , sed etiam principalius de ipsis objectis potentiarum , quatenus sunt termini perfecti carum.

14 Arguitur 2. contra eamdem conclusionem : eadem est materia spei , & delectationis , quæ ad spem sequitur ; sed objectum delectationis in Patria non est Deus in se , sed ejus viaggio , vel fruitio : ergo &c.

Prob. min. delectatio , quæ est de ipso Deo in se , correspondet charitati , & non spei : ergo &c. Respond. negando min. , & antec. probationis ; quia delectatio correspondens amoris concupiscentiae , proprio spei , ut à charitate distincto , est etiam de ipso Deo , ut bono nostro posesso , & iam consecuto. Unde etsi simul sit de ipsa viaggio , & consecutione , non tamen de illa sola , nec de illa primario ; quia , si illa delectat , est properter ipsum quem facit presentem.

15 Arguitur 3. ad idem: objectum spei est aliiquid futurum ; sed Deus in se non est futurus , sed semper praesentergo Deus in se non est objectum spei : ergo unicè erit ejus viaggio , & consecutio. Confirmatur: qui scientiam desiderat , non desiderat immediate res scibiles , sed operationem , qua res scibiles contemplatur ; alias qui desideraret scientiam de peccatis , peccata ipsa immediate desideraret , quod est falsum : ergo qui desiderat beatitudinem , non desiderat immediate Deum , sed operationem , qua Deum consequitur.

16 Respond. disting. min. argum. ; sed Deus in se non est futurus quoad existentiam , & realem praesentiam , conc. min.

min. : quoad præsentiam objectivum, & intentionalem respectus nostri, nego min., & conseq. Itaque Deus est nobis futurus præsens in Patria, sicut nunc est absens in ratione fruitionis per charitatem. Ad confirmationem disting. aut.: qui desiderat sciemtiam, non desiderat immediate res scibiles in esse reali, quod habent à parte rei, conc. antec.: in esse objectivo, & intentionali prout sunt termini perfectivi cognitionis, & potentiae, nego antec.: ad probationem imbibitam dico, quod desideriam scientis fertur etiam in peccata, non in esse operabli, & reali, sed in esse objectivo, & intentionali.

17 Arguitur 4. contra Eandem 1. conclusionem: idem est objectum spei, ac desperationis ; sed damnati non desperant de Deo, sed de beatitudine, qua Deum assequantur: ergo &c. Probi min.: damnati tristantur, non de Deo, sed de beatitudine formalí, qua carent: ergo cum idem sit objectum gaudij, & tristitie, si unice tristantur de beatitudine formalí, qua carent, hæc erit unicum objectum. Respondeo, negando min. & antec. probationis ; quia damnati etiam tristantur, & desperant de ipso Deo, non quidem secundum se, & in ra-

tione existentis, sed ut est bonum objectivum ipsorum, & terminus beatificativus, de cuius absentia, & amissione tristantur. Et sic objectum desperationis, & tristitiae ipsorum non tantum est vissio Dei sed Deus absens, & separatos à sperante-

18 Arguitur 5., & est contra 2. conclusionem: cognitio objecti non se habet, ut objectum respectu voluntatis, sed solum ut conditio præsupposita: ergo vissio beata, aut fructus formalis tantum erit conditio, & non objectum voluntatis sperantis. Antec. constat; alias vissio Dei esset objectum charitatis, licet minus principale: & universaliter omnis perceptio rei esset objectum cuiusvis potentiae, quod est falsum. Resp. disting. antec.: cognitio objecti non est objectum voluntatis, si non se haberet, ut finis quo, sed unice, ut mera propositio objecti, ad hoc ut voluntas possit erga illud renderet; conc. antec.: si se haberet, ut finis quo, nego antec., & eius probationem.

19 Itaque tripliciter se potest habere cognitio respectu objecti appetibilis. Primo, ut sit mera propositio respectu talis objecti. Hoc pacto cognitio objecti per fidem se haber respectu objecti speci: & vissio Dei;

in se respectu fruitionis in Patria. Secundo potest se habere cognitio tamquam objectum totale ipsius appetitus: sic se habet cognitio cursus syderum, & motus Coelorum; non enim appetimus has res, ut sunt à parte rei, sed unice eorum cognitionem. Tertio tandem se potest habere cognitio, tamquam id, quo objectum desideratum polidere debemus, eoque frui. Sic desideramus videre Amœba, & Prata virentia quorum visus recreamur, ac ipso quodam modo fruimur: & hoc eodem modo se habet visio beata in presenti. Unde, sicut cum desideramus videre virentia, & visione, & re visa sit unum immediatum objectum respectu nostri appetitus; unaquaquidem principale, & aliud minus principale; sic similiter ex visione Dei & Deo viso.

20 Arguitur ultimo etiam contra 2. conclusionem: juxta nos, spes absolute est virtus theologica; sed hoc esset falsum, si visio Dei non esset pura conditio objecti spei: ergo est. Prob. min.: si visio Dei esset objectum spei, spes solum ex parte, quia versatur circa Deum, esset virtus theologica; non vero ex parte, qua versatur circa

visionem: ergo non esset absolute virtus theologica. Respondeo, negando min.: quia ut absolute sit spes virtus theologica, sufficit, quod principale, primarium, & immediatum objectum ejus sit ipse Deus. Ad probationem nego antec.: quia visio Dei non concipitur in ratione objecti, tamquam quid distinctum à Deo; sed ita, ut visio cum Deo constitutat unum indivisibile objectum spei: & sic ipsam Dei visionem esse objectum spei, nihil aliud est, quam Deum visum esse tale objectum.

QUÆST II.

Quoniam sit objectum formale virtutis Spei.

I Tota difficultas in præsentijstat in assignanda ratione formalis propria objecti huius virtutis, prout distinguitur ab objecto formalis virtutis charitatis; quia ex hoc pendet harum virtutum distinctio, & eorum actus. Unde certum est, quod objectum spei debet esse non solum bonum, sed etiam possibile, absens, futurum, & arduum: àn autem istæ conditiones pertineant ad rationem motivam actus spei: vel solum sint circumstantiae, aut conditiones

nes extrinsecè respectu illius? Nō
conveniunt Theologi. Quare

2 Circa præsentem dif-
ficultatem variæ sunt sententiae.
Prima docet, objectum mo-
tivum spei esse Deum, ut bo-
num, & arduum, excedentemque
homininis facultatem. Sic Div.,
Bonav. in 3. Dist. 26. quæst. 4.
4 Enrichi de Gandavo, &
alij Antiquiores. Secunda tenet,
tale formale objectum esse ip-
sum Deum, ut Omnipotentem,
fidem in suis promissis, & au-
xiliatorem. Sic Div. Thomas,
quæst. 4 de virtutibus art. 4
Vazquez, & alij. Tertia susti-
net, ipsum Deum, quatenus est
nostra beatitudo, seu ut est nos-
trum bonum beatificum, esse
objectum formale spei. Hæc est
comunis inter Scotistas, &
R. R., ut videri, est apud Mas-
trum hic disp. 6. quæst. 17.
art. 2. Nos per prius alias mo-
dos dicendi impugnabimus per
duas conclusiones, & in tertia
nostram mentem aperiemus, ut
sic clarius procedamus. Sit ergo

Prima conclusio.

3 Beatitudo sub-
razione ardui, & excedentis ho-
mininis facultatem, non est ob-
jectum formale quo, seu ratio

per quam virtus specia chari-
tate distinguitur. Est expressa
nostræ Doctoris in 3. dist. 26.
quæst. unic. ubi expressæ tenet,
quod arduitas, seu bonum ar-
duum non potest esse ratio for-
malis, sed solum pura conditio
objecti spei. Prob. conclusio ra-
tione explicando varias accep-
tiones huius nominis ardui vel
arduitas intelligitur bonum ali-
quod superans facultatem na-
turem creatam: vel secundum per
arduitatem intelligitur illud
bonum, ut est absens, &
consequendum: vel tertib in-
telligitur difficultas, quæ est
in prosecutione talis objecti; ita
ut hæc sit ratio motiva, & bo-
nitas veluti ratio materialis: vel
deum per arduitatem intelli-
gitur non ratio bonitatis, sed
ratio excellentiæ, quæ in boni-
tate reperitur; sed arduitas sub
nullæ ex his acceptionibus po-
teat esse objectum spei: ergo
non est.

4 Prob. min. 1. quoad 1.
partem: charitas tendit in bo-
num superans facultatem na-
turem creatam: cum tendat in
Deum, & in beatitudinem, ut
tale bonum est: ergo per ar-
duitatem sic sumptam spes non
distinguitur à charitate; & con-
sequenter &c. Prob. quoad 2.;
quia etiam charitas per deside-
rium tendit in objectum super-
na-

naturale, ut est absens, & in ejus consecutionem propter Dei gloriam, & bonitatem: ergo idem quod prius, Prob. eadem min. quoad 3. part. : spes est formaliter volatio: ergo ejus objectum debet esse bonitas. Nunc igitur difficultas non movet, sed potius retrahit appetitum: ergo difficultas nequit esse ratio motiva actus voluntatis spei. Prob. tandem eadem min. quoad ultim. part. : tendere in bonum sub ratione excellentis est idem, ac tendere in bonum sub ratione excellentissima boni; sed hoc non potest esse distinctivum spei a charitate; cum haec etiam tendat in Deum: ergo quoniamcumque sumatur arduitas, non potest esse ratio formalis objectiva spei, eam a charitate distingueens.

5 Respondent contrarij, arduum supra bonum non addere solam difficultatem prosequendi objectum; quia sic esset aliqua ratio mali: sed addere rationem specialem boni coasurgentis ex ipsa difficultate prosequendi objectum bonum excellens: & hoc non repelit, sed potius allicit potentiam ad prosecutionem objecti; dummodo difficultas non sit tanta, quem excedat virtutem operantis; quia prout sic retrahit, & degenerat in objectum desperationis. Contra: ergo arduum,

quod est ratio formalis spei, addit ultra difficultatem specialem rationem boni consurgentem ex ipsa difficultate: ergo hoc bonum excellens non est, nisi augmentum bonitatis: ergo voluntatem tendere in bonum sub ratione excellentis non est aliud, quam tendere sub ratione excellentissima boni; sed hoc etiam modo tendit charitas: ergo non est ratio formalis objectiva spei, ipsam distinguens a charitate.

6 Respondent 2. quod in definitione spei communiter ponitur arduitas: ergo quia est ratio formalis objecti spei. Sed nego conseq. ; quia ex eo quod in definitione ponatur, non infertur, quod sit ratio formalis, sed ad summum conditio. Tum, quia talis definitio est pure descriptiva, in quibus definitionibus pro maiori claritate ingrediuntur etiam conditio-nes. Tum, quia ut ait Scotus, spes habet pro objecto beatitudinem, ad quam non acceptantur homines lege communis, nisi post labores praestitos cum auxilio gratiae: & prout sic dicuntur ardua.

Secunda conclusio.

7 Nec auxilium Dei, nec

nec divina Omnipotentia, ut parata nobis illud conferre, est objectum formale spei. Est contra 2. lenteatam. Prob. tamen id solum potest esse ratio formalis objectiva voluntatis quod eam moveret ad rem appetendam; sed nec auxilium Dei, nec divina Omnipotentia sic parata moveat voluntatem ad beatitudinem appetendam, sed sola bonitas beatitudinis: ergo &c. Prob. min. quambis auxilia sunt necessaria, ut beatitudo possit sp. rati, non tamen se habeat per modum finis, sed mediorum; sed media ad finem non sunt ratio appetendi finem, sed potius contra: ergo &c. Min. cum consequentia tenet. Maior constat quia auxilia divina sunt media necessaria, ut possimus sperare, ac consequi beatitudinem, prout opporet.

8 Dices 1.: objectum formale spei est beatitudo, ut possibilis adipisci; sed non est talis, nisi per Dei auxilium: ergo hoc erit ratio formalis ipsius. Resp., quod licet, ut aliquid serio, & efficaciter appetamus, debeat supponi, ut possibile ex hoc solum inferatur quod possibilitas sit conditio requisita necessario, ut sit objectum spei. Ratio est; quia voluntas non moveretur ad eam appetendam, quia bona; multoties etiam im-

possibilia appetimus appetit a simplici complacentia. Deinde, propositio bonitatis objecti requiritur, ut objectum ametur: ergo propositio, & cognitio talis bonitatis non erit iuxta conditio, sed ratio formalis objectiva. Mala consequentia,

9 Dices 2.: esto divinum auxilium non sit ratio formalis appetendi beatitudinem, est tamen ratio formalis illam sperandi: ergo &c. Resp., quod spes est iuxtinseque quaedam appetitio, ac desiderium rei futurae, sive absentis; nam sperare ex terminis nihil aliud est, quam certò quodam modo aliquid appetere, vel desiderare. Unde cum auxilium divinum nec queat esse, juxta contrarios, ratio appetendi beatitudinem, nec erit ratio sperandi. Alio argumenta contra istam conclusionem proponentur infra. Nunc vero sit

Nostra conclusio.

10 Objectum formale spei est Deus, ut summum bonum, amabile amore concupiscentia supernaturalis, & quasi in commodam amantis. Est juxta tertiam sententiam. Prob. 1. ex Doct. cit. in 3, ubi docet, quod preter amorem, quo amatur Deus ex charitate, est alius distinctus,

quo amatur Deus, sumnum bonum amantis, & incommode dum ipsius amantis, qui est honestus, & supernaturalis: quia Deus est summi bonum hominis: omne autem bonum est amabile, eo modo, quo bonum est. Quare circa idem bonum in creatum est duplex virtus: una, qua versatur circa illud affectu justitiae, & ista est charitas, qua Deus diligitur propter se: altera, que versatur circa illud, affectu conmodi, amando illud, ut bonum sibi: & hoc, ait Scotus, est virtus spei: ergo iuxta S. Dect. objectum formale spei est Deus &c.

IV. Prob. 2. conclusio ratione: Deus sub ratione summi boni nostri est objectum alicuius actus honesti, & supernalis: ergo actus ille erit atque unius virtutis theologicae. Altero constat; quia cum Deus sit summum bonum nostrum supernaturale, non erit indecens, ut sit ligatum. Consequentia inferitur: cum actus ille immedicabiliter esset organum Nuntifici; sed non erit actus fidei; quia omnis actus fidei est credere, & non desiderare: nec actus charitatis; cum iste sit actus, quo Deus diligitur propter se, & non quia mihi bonus: ergo soluna restat, quod sit actus

spei theologicae. Confirmatur: beatitudo, qua nobis bona, praescindendo ab omnibus alijs, potest movere voluntatem nostram ad sui desiderium; sed beatitudo profusa nihil aliud est, nisi summa Dei bonitate repleta: ergo &c.

Solvuntur argumenta.

12. Arguitur 1.: ratio formalis motiva respectu alicuius virtutis theologicae est aliqua ratio increata, & divina; sed Deus sub ratione summi boni velut in commodum amantis non est increata, & divina: ergo &c. Prob. min.: licet eo modo amerit, & desideretur Deus, ratio sic amandi est ipsomet amans, seu commodum amantis; sed hanc est ratio creata: ergo &c. Resp. neg. min.: ad probat. nego min.: ad probat. nego mai.: quia duplex datur concupiscentia: una ordinata, & est voluntas desiderans summum bonum, ut sibi commodum; non ibi sicutendo, sed desiderat ut summum commodum, ita ut plus ipsum amet amore amicitiae, & ut magis eo fruatur; quapropter talis amor non tantum attingit Deum in se, sed etiam eius ratio amandi est ipsa benitas. Increata Dei, non praecise ut bonum in creatum Dei, sed ut bo-

num increatum nobis; quo amore non referimus Deum ad nos tamquam ad finem; nam hęc esset concupiscentia in ordinata.

13 Arguitur 2.: si alius quis amore supernaturali possit se diligere, spectaret ad charitatem: ergo & actus, quo homo sibi vult beatitudinem, & alia dona supernaturalia, spetat ad charitatem: ergo non ad spem. Confirmatur: velle proximo beatitudinem, est actus charitatis: ergo, & velle sibi. Resp. negando antec.; quia licet ex charitate nos ipsos possimus amare amore supernaturali, & nobis optare beatitudinem; hoc tamen elicitive sit à spe, & imperatively à charitate; cum hac tamen differentia, quod charitas in amore sui non respiciat proxime, & immediate proprium commodum naturae, sed bonum divinum propter se, & suam excellentiam.

14 Spes autem in amore suo proxime attendit rationem proprij commodi, quamvis supernaturalis, & alioris ordinis: & sic iste à Subt. Doct. vocatur *amor concupiscentiae*; proindeque ait, quod amor à charitate elicitus est perfectissimus; a virtute vero spei minus perfectus. Ad confirmationem

nego paritatem; quia amor proximi est benevolentiae, & amicitiae. De hoc quæst. sequenti,

15 Arguitur 3.: si beatitudo, vel Deus, & bonum, esset formale objectum spei, nihil possemus sperare nisi propter beatitudinem formaliter, ipsa praetitlecta tamquam ratione formalis motiva; sed potest quis sperare auxilia, et si non intelligatur beatitudo formaliter: ergo hęc non erit objectum formale. Confirmatur: estò ratio formalis, & motiva, ut desideremus beatitudinem, sit illius bonitas, ut nobis commoda; tamen quod magis nos movet, & excitat ad illam sperandam est divine omnipotencia, ut auxilians, seu para- ta ad auxilia conferenda: ergo omnipotencia Dei, ut auxilians, est ratio formalis spei. Antec. probat Gonet ex illo Psalm. 117.: *Deus meus adjutor meus, adjutor meus, quoniam sperabo in eum.* Ubi Regius Vates proportione motiva ad sperandum assumpsit adjutorium Dei.

16 Resp. ad argumentum negando min.; quia de facto & ex vi præsentis ordinatiois, quæcumque à Deo sperate possumus, speranda sunt in ordine ad beatitudinem, & prop-

propter illam, tamquam propter motivum formale, vel virtuale. Unde quovis actu spei theologicae nobis beatitudinem speramus, saltem implicite; quia electio medijs est implicita voluntio finis: quare auxiliari, & dona gratiae speramus, ut media conducentia ad beatitudinem.

17 Ad confirmationem, nego antec., scilicet, quod omnipotentia, ut auxilians, sit ratio *sub qua* spei; quia non moveret, & excitat per modum finis, & objecti; sed unice per modum mediotum, ut sperare possimus: & sic explicanda est authoritas adducta, & aliae, quae hic adducuntur a Gonet. Ceterum ergo est, quod nemo credere, nec amare potest, Deo non protegenti, & auxiliante: & tamen nemo dicit, omnipotentiam esse rationem *sub qua* fidei, & charitatis, ergosimiliter, illicet nemo possit sperare, nisi Deo movente, & auxiliante; cum ruxilium illud sit necessarium ex parte hominum, ut sperare valeant, tamen non sequitur, quod divina omnipotentia sit ratio formalis *sub qua* sperandi. Et manifestam iustitiam contra confirmationem.

18 Arguitur quod idem: ideo, in probabili sententia, divinum testimonium est ratio

formalis *sub qua* fidei; quia in illo fit ultima resolutio fidei nostræ; sed ultima resolutio uostre spei fit in divinam Omnipotentiam, ut auxiliantem; nam interrogatus quis, quare beatitudinem speret? Responderet recte; quia Deus omnipotens, & misericors in auxiliando nobis assisteret ad beatitudinem consequendam: ergo &c. confirmatur ex connexione reperta inter objectum, *quod* speramus, & objectum, *in quo* speramus, quia enim, quod speratur est Deus, solum in Deo, ut auxiliante, sperare debemus: ergo Deus, ut auxilians, est ratio formalis *qua* sperandi. Respondeo ad argumentum, omisso antec., de quo in tract. de fide negando consequitur: quia resolutio spei nostra non fit in divinam Omnipotentiam, nisi veluti in causam efficientem, & adjuvantem. Unde quod si responderet in argu- mendo, licet recte responderet, non tamen formaliter resolveret spem.

19 Unde ad interrogationem, illam, melius responderet, si diceret: spero beatitudinem; quia est ultimus finis, aut bonum nobis conueniens. Ratio est; quia sicut intellectus sentitur, tamquam vero apprehensio, ita voluntas sperat, & desiderat omne bonum;

num sibi conveniens. Deinde non speramus propriæ , nec desideramus , nisi ea, quæ nobis conveniunt , tamquam aliquod bonum nobis ; cum ergo Deus sit summum bonum nobis conveniens , hinc est , quod ipsum ut tale , sit objectum formale spei. Ex hoc patet ad confirmationem, quæ non probat Omnipotentiam esse rationem *sub qua* spei. ; quia licet Deus sit id , quod speratur a nobis, & in quo speramus; debet tamen dici , quod ipsum , & in ipso speramus ; quia est ultimus finis noster nobis conveniens , & quia est bonus; quia si per impossibile non esset bonus , nec nobis conveniens; quamvis esset omnipotens , voluntas nostra non posset sperare illum , nec ejus visionem desiderare.

20 Arguitur ultimo: *zctus* , quo spero proximo beatitudinem præcisæ , quia illi bona est , non est actus virtutis Theologice spei : ergo similiter , nec actus quo eam mihi spero præcisæ quia mihi bona est , est actus virtutis spei. Pro solutione huius argumenti , & confirmationis positæ num. 3. huius argum. 2. sit.

QUÆST. III

An beatitudo aliena sit objectum materiale spei propriæ?

SUB alijs terminis potest proponi hæc difficultas : an ego v. g. possim sperare Petri beatitudinem spe theologica proprie , & vere capta ? Et nota, quod beatitudo Petri potest duplíciter desiderari : primo , in quantum beatitudo ipsius cedit in bonum, utilitatem, & commodum meum , & in hoc sensu certum est , quod tale desiderium , & spes est actus spei theologice ; quia hic actus potius est de bono , & commodo mei sperantis , quam de beatitudine Petri. Secundo potest considerari præcisæ in quantum beatitudo desiderata est tantum bonum Petri , absque ulla respectu boni, utilitatis , aut commodi mei desiderantis : & in hoc sensu procedit difficultas. Et sit

CONCLUSIO.

2 Non potest unus sperare spe vera , & theologica beatitudinem , ut præcisæ bonam alteri. Hæc conclusio sat colligitur ex N. Doct. in 3. Diff. 26. ut citò dicam. Prob.

Aaa

I.

1. ex Aug. in Enchirid. cap. 8. dicente: *spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurorum, & ad Deum pertinentium, qui earum spem gerere prohibetur.* Pro intelligentia nota, quod Mag. Par. August. ibi distinguit spem theologicam à fide & charitate; & spem à fide distinguat in eo, quod spes non est nisi bonarum rerum, nec nisi futurarum; fides autem est bonarum, & malarum rerum, & etiam præsentium, & futurarum. Et per ly, *ad Deum pertinentium*, distinguit spem à charitate, quæ etiam terminatur ad bonum alienum per amorem amicitiae, & benevolentie: per hoc excluditur responsio contrariorum.

3 Prob. secundo conclusio ex Subr. Doct. cit. sub num. 17. ubi ait: *secundum auctem affectionem commodi non potest velle, nisi in ordine ad se.* Et sub num. 18.: *dico igitur, quod charitas perficit voluntatem in quantum est affectiva affectione justitiae; & spes perficit eam, in quantum est affectiva affectione commodi.* Hac Doct. ex quibus formatur ratio: spes est perfectiva voluntatis secundum affectionem commodi tantum; sed voluntas secundum affectionem commodi non est nata tendere in bonum in quantum est bo-

num, vel commodum, præcise alteri, & non sibi: ergo nec sperate alteri beatitudinem, ut alteri bonam, & non ut bonam speranti. Maior discursus constat ex secunda authoritate Scotti; alias male probaret distinctionem spei à charitate, quod est ejus intentum hic. Min. ex prima. Consequentia legitimè infertur.

4 Prob. 3. conclusio, à ratione: actus, quo alteri desideramus beatitudinem, vel pertinet ad amorem amicitiae, vel ad benevolentiae, consequenter ad charitatem: ergo non estactus spei theologicae. Prob. ante e: ad desiderandum alteri beatitudinem non determinatur voluntas, nisi prævio amore, vel charitatis, vel amicitiae, vel benevolentiae erga ipsum; sed hoc ipso talis actus pertinet ad charitatem, amicitiam, aut benevolentiam: ergo. Prob. min. voluntas ad velle alteri conveniens impellitur amore prævio, quo illum amat; sed talis amor prævius est, vel quia illum amat propter Deum, aut eius beatitudo cedit in gloriam Dei, & sic pertinet ad charitatem: vel est, quia alterum diligit propter bonitatem, quam in illo contemplatur, & sic amor ille, & desiderium pertinet ad amicitiam, vel benevolentiam: ergo voluntas non determinatur ad de-

Desiderium alteri beatitudinem,
nisi prævio amore charitatis,
amicitiæ , aut benevolentiæ .

Solvuntur argumenta.

5 Arguitur 1. authortate Auguſtini term. 11. de verbo Dñi. , ubi ait: *de nullius ſalute dum vivit eſt desperandum*: Infero : ergo poſſumus sperare de ſalute aliena ; alias fruſta eſſet admonitio tanti Doctoris : ergo & poſſumus sperare beatitudinem alteri. Resp. diſting. conſequens: ergo poſſumus sperare de ſalute aliena , ſpe late ſumpta , concedo conſeq.: ſpe ſtricte capta , ne go coſeq. Desperatio ergo proprie ſumpta eſt dejectio animi ad proſecutionem boni commodi , quæ vel ſequitur judicium ; quo quis judicat ſibi à Deo dene- ganda media ſufficientia ad conſequendam beatitudinem ; vel quo judicat , ſe non cooperaturum gratiæ pro aſſectu- one beatitudinis. Magnus ergo Par. Aug. dum dicit : *de nullius ſalute eſt desperandum in hac vita* , ſumit despeſationem pro judicio p̄dicto; ac ſi diceret: *de nullo eſſe judicandum* , non conſecuturum vitam æternam ; quia illud judicium , ſi eſt , quia judicat alteri Deum dene- gaturum media , quibus poſſet

conſequi ſalutem , eſt erroneum ; ſi vero eſt ; quia judicat , alterum non cooperaturum gratiæ , eſt judicium temerarium : Unde non eſt desperatio proprie ſumpta , ſed in lata ſignificatione ; & ſimiliter ſumenda eſt ſpes , vel late , vel propriè .

7 Arguitur 2. : charitas non ſolum eſt habitus inclinans ad diligendos nosme- tipſos propter Deum , ſed etiam ad diligendum proximum : & fides etiam eſt virtus ad credenda , quæ ad nos , & proximum per- tinent : ergo & ſpes eſt virtus ad ſperandum nobis , & alijs beatitudinem. Respondeo negando conſeq. : diſparitas ; quia amor noſtri , & proximi idem habet motivum , ſcilicet , bonitatē Dei : ſimiliter , & fides omnium credendorum , ſive à nobis , ſive à proximo , nempe diuinam authoritatem in dicendo. Beati- tudine autem propria , & aliena non ſperantur ex eodem for- malī motivo ; quia beatitudo propria iſpa ut conueniens ſper- ranti eſt motivum ; aliena vero beatitudo habet pro motivo formalī iſpam Personam à no- bis amatam ratione bonitatis , propter quam illam amamus , & prout ſic diſideramus illi beatitudinem.

8 Arguitur 3. aſſectus , quo alteri ſperamus beatitudi-

nem, ut illi convenientem, est theologicus; sed non pertinet ad fidem, neque ad charitatem; ergo pertinet ad spem. Maior pater; quia habet pro objecto ipsam beatitudinem objectivam, quaeque, ut bona nobis, est objectum illius actus, seu affectus. Min. est evidens; quia fides est habitus intellectualis: & charitas habet pro objecto Deum, ut bonum in se, & non ut bonum nobis. Resp. distinguendo mai.: affectus, quo alteri speramus beatitudinem est theologicus, si talis affectus moveretur in nobis ex charitate erga Deum, cone. mai.; si moveretur ex naturali amicitia, vel benevolentia, nego mai., & min. quoad 2. partem, & conseq.

9 Itaque licet Deus ut bonus nobis sit objectum materiale illius affectus; tamen motivum immediatum, & specificativum affectus, quo alteri speramus beatitudinem, est ipsummet, quod est motivum aenoris prævij, & necessarij, ut moveatur voluntas ad velle alteri beatitudinem. Quare erit theologicus, & actus charitatis, si alteri volumus beatitudinem propter Deum; vel quia cedit

in Dei gloriam; at vero si tantum ex motivo amicitiae, desideramus alteri beatitudinem; talis affectus erit amicitiae, & non theologicus. Totum hoc est etiam dicendum de affectu, quo nobis proprijs propriam desideramus beatitudinem.

10 Arguitur ultimo ex subr. Doct. cit. sub. numero 11. §. hęc etiam virtus, ubi ait: quia enim desidero illud mihi, vel tali, non tollitur, quia desiderem illud, ut objectum: ex quo deducit, spem esse virtutem theologicam. Et sub num. 26. docet quod per actum concupiscentię tendit in Deum immediate, ut est bonum huic: ergo quia juxta D. & bonitas aliena est objectum virtutis spei; & per consequens beatitudo aliena potest esse objectum virtutis spei. Respondeo, quod Subr. Doct. hic solum intendit probare, quod virtus inclinans in Deum, ut objectum, & bonum sive in se, sive respectu nostri est virtus theologica; quod ultiro fatemur. Sed an sit virtus spei rigurose sumptae? an vero charitatis? hic non resolvit; sed in locis allegatis pro nostra conclusione: quare istae authoritates contra istam non faciunt.

D I S P III.

DE SPE ACTUALI , EIUSQUE ACTIBUS, & obligatione.

Ex dictis Disp. I. quæst. I. num. 5. constat, quod spes actualis est actus supernaturalis, quo desideramus Deum, ut bonum nobis, cum fiducia adipiscendi in ipso nostram beatitudinem ex gratia ipsius, & ex meritis nostris. Sed quia spei plures assignantur actus, alij elicit, alij vero imperati, ut sunt amor concupiscentiae, desiderium, expectatio, timor, securitas, & alij huiusmodi, qui plus attineant ad passiones, & effectus ipsius spei, quam ad actus; ideo in hac disputatione de principalioribus est hic nobis breviter agendum. Sed per prius sit

QUÆST. I.

In quo actu voluntatis consistat formaliter actus spei?

I **S**uppono 1. cum communione Theologorum, spem actualē esse actum voluntatis expectantē ad ipsam secundum affectionem commodi, sicut, & ipse habitus spei, ut diximus disp. I. quæst. 4. Quia tamen varij sunt ejus actus; ideo dubitatur in præsenti, in quo ex illis formaliter consistat? Pro quo suppono 2. quod tam amor concupiscentiae erga summā bonum beatificum, quam desi-

derium, & expectatio, sunt actus ipsius; cum tamen differentia, quod amor concupiscentiae præscindit ab absentia, vel præsenzia objecti, & solum terminatur ad bonum, & commode ipsi amanti. Desiderium respicit ipsum objectum, ut absens; Expectatio, ut adipiscendum per media proportionata. Si tales actus absolute considerentur, non convertuntur mutuo; nam solum valet; ideo desideratur, quia amat; nam desiderium oritur ex amore objecti: & similiter valet; ideo expectatur, quia desideratur.

2 Suppono 3. , quod de-

desiderium respectu objecti supernaturalis, aliud est circa ipsum bonum in se, & per se, praecissive ab omni convenientia desiderantis, & hoc proprie pertinet ad charitatem: aliud vero est, quod terminatur ad bonum, ut commodum desideranti; & hoc propriè pertinet ad spem. Suppono ultimo, quod desiderium sive pertinens ad charitatem, sive ad spem, aliud est efficax, & est appetitus summi boni absentis cum apposizione mediorum conducentium ad ejus affectionem. Aliud vero est inefficax, & est idem appetitus, sed sine mediorum appositione; quare melius solet appellari *velleitas*, quæ sic explicatur: *velle in mihi beatitudinem, si illius consecutio non esset ardua, seu si posset consequi sine laboribus.*

3 His suppositis, quod queritur in præsenti est: an spes actualis, quæ dicitur *expectatio*, sit intransitivæ, & formaliter idem, quod desiderium summi boni, ut commodi desideranti: an vero addat aliquid supra ipsum desiderium supra explicatum? Circa quam difficultatem duplex est sententia: prima docet, non esse idem formaliter, sed distinguit tamquam superius, & inferius, in-

cludens, & inclusum; ita ut valeat, est *expectatio*: ergo *desiderium*: non vero è contra; cum plura desiderentur adhuc efficaciter, non & consequantur. Sic noster Castillo citans plures Jesuitas, & Thomistas. Secunda per oppositum deffendit, expectationem summi boni esse idem formaliter cum desiderio efficaci illius. Sed in rei veritate, hi modi dicendi possunt reconciliari. Quare sit

Conclusio.

4 Actus supernaturalis spei, qui est *expectatio beatitudinis*, est idem formaliter, ac desiderium efficax ejusdem, si consideretur desiderium sub eisdem circstantijs, & conditionibus, ac *expectatio*: neutrā vero, si ab his circstantijs præscindatur. Hæc conclusio sic explicata est in re communis. Prob. quoad 1. part.: desiderium efficax beatitudinis cum eisdem circstantijs, & conditionibus, ac ipsa actualis *expectatio*, terminatur ad idem objectum materiale, & formale sub eisdem conditionibus: ergo est idem actus formaliter, cum non habeat, unde differat. Prob. antec. : in primis habet pro objecto motivo ipsum Deum,

Deum, ut summum bonum nostrum beatificum: similiter connotat ejus absentiam, arduitatem, & futurionem; nam si à qualibet illarum præscindatur, non erit desiderium efficax; sed desiderium hoc modo acceptum habet quidquid actus spei, qui est expectatio: ergo desiderium sub eisdem circumstantijs &c.

5 Confirmatur: desiderium sic captum est desiderium determinatum per circumstantias, & omnia, quæ concurrunt ad ipsum actum spei supernaturalis; sed desiderium sic determinatum est intransitive ipse actus spei supernaturalis: ergo &c. Prob. min.: licet animal, ut sic v. g. non sit formaliter homo, tamen si determinetur ratio animalis per id, per quod contrahitur ad esse hominis, erit formaliter homo. Explicatur: non valet: animal est homo; quia sic sumitur præcissivè à ratione determinante; valet vero, animal rationale est homo: sed nihil aliud formaliter est animal rationale, quám homo, aut è contra: ergo similiter; si desiderium sumatur prout terminatur ad idem objectum, & sub eisdem circumstantijs, sic erit intransitive idem formaliter, quod expectatio, & spes.

6 Prob. 2. pars conclusionis, scilicet, quod si de-

siderium sumatur præcissive à circumstantijs ipsius spei, aut præcissive ab ejus objecto sub eisdem circumstantijs, sic non erit idem formaliter cum expectatione, & spe, sed se habebunt tamquam inferius, & superius, ut aiebat prima sententia. Probatur, inquam; si desiderium sumatur præcissive ab objecto motivo ipsius spei, sic desiderium efficax potest esse virtutis charitatis: ergo &c. Prob. antec.: desiderare diligere Deum, quia summe diligibilis est; aut desiderare implete Dei præcepta solum, ut ejus voluntas impletatur, & sic similiter omnes aliae virtutes, est actus charitatis: similiter desiderium efficax terminatum ad bonum absens, sive arduum, sive non arduum, non expectat ad spem; cum objectum huius, juxta omnes, includat arduitatem in consequendo; sive haec sit ratio formalis motiva, ut volunt aliqui; sive sit tantum conditio, de quo quæst. 2. disp. ant.: ergo si desiderium præscindat à circumstantijs spei, non est actus ipsius.

7 Prob. ultra, quod non sit idem formaliter, ac expectatio præcissivè à circumstantijs, licet terminetur ad idem objectum: varietas circumstantiarum circa idem objectum variat

riat actus; ut de actu spei, & tensionis docet hic exp̄ælse Subt. Doct.; cum solum differant penes absentiam, & presentiam ejusdem objecti: ergo licet d. siderum terminetur ad idem objectum motivum, ac expectatio, scilicet, ad beatitudinem objectivam; si tamen præscindit ab aliis circunstan-
tiis spei, non erit formaliter ex-
pectatio. Confirmatur: si præ-
scindatur, v. g., à promissione
divina, quæ est conditio sim-
plicker requisiæ, tunc casus,
licet fieret quantum posset,
non posset habere actum spei;
sed circa id, quod potest affe-
qui, positis omnibus requisitis,
excepta promissione, non po-
test esse expectatio supernatura-
lis, & infallibilis, ut per se pa-
ret: ergo &c.

8 Dices 1.: desiderium respicit res tam malas, quam bonas; sed hoc non pertinet ad spem; cum hæc sit solum boni; ergo &c. Respondeo, negando maioren. Propriè enim non desideramus, nisi quod apprehendimus, ut bonum, nec expectamus rem, nisi ut bonam appre-
hensam, sicut nihil fugimus, nisi quod apprehendimus ut ma-
lum. Dices 2.: damnati desi-
rant beatitudinem; sed illi non habent spem: ergo desiderium non est actus proprius spei. Ref-

pondeo distinguendo mai.:
damnati desiderant inefficaciter
beatitudinem, conc. maiorem:
efficaciter, & absolutè, nego
mai.; & omitto min., de qua
disp. seq.. Aliæ difficultates, quæ
hic objiciuntur, sunt parvi mo-
menti, & de facili solvuntur
ex dīl. nostrę conclusionis.

QUÆST. II.

An actus spei procedat à vo-
luntate, ut concupisci-
bili, vel ut irascibili?

I **E**X diëis in Animas-
tica constat, appe-
titum ut ne dividi in concupis-
cibilem, & irascibilem. Quid appetitus licet in sensibus realiter
differant, ut pote pertinentes
ad distinctas potentias; in vo-
luntate vero solum differunt
penes objecta, circa quæ sub
his affectibus tendit voluntas.
Appetitus ergo concupiscibilis
est ille, qui actu prosecutionis
tendit in bonum sibi commo-
dum: & acta fugæ respuit op-
positum; v. g., cibus est pri-
mum objectum appetitus con-
cupiscibilis, & carentia cibi est
objectum fugæ ejusdem. Irasci-
bi-

bilis est , qui versatur immedia-
te erga actum nolitionis circa
impedimenta objecti appetitus
concupisibilis : & etiam actum
volitione , quo vult vindicari
de illo , tamquam impedienti id,
quod appetit . Unde in utroque
appetitu est duplex actus ; nam
in concupisibili ex *velle* objecti
sequitur immediate noile illius
carentiam ; & in irascibili ab op-
posito ; ex *nolle* impedientem id,
quod appetit , sequitur , *velle*
vindicari de illo .

2. Torum hoc declarat
Doct. in 3. dist. 34. §. *notandum*
in appetitu gustativo canis . Pri-
mum objectum , quod concupif-
cit est cibus : & primum , quod
refugit eodem appetitu est ca-
renia cibi : prohibens autem ci-
bum offendit ipsum ; & sic ira-
scitur contra illum , & non vult
tale impediens ; & ex conse-
quenti vult vindicari de illo ip-
sum mordendo , aut alio modo .
Hoc modo accidit in volunta-
te ; nam primum concupitum
est bonum sibi ; primum quod
respuit , est carentia talis boni :
& isti actus convenienter sibi , ut
est potentia concupisibilis . Im-
pediens vero consecutionem illius
est primum objectum illius ap-
petitus , ut irascibilis ; & sic non
vult tale impediens : & ex isto
nolle sequitur *velle* vindictam de
impediente ; & isti actus perti-

nen ad voluntatem , ut irascibi-
lem . His notatis , sit

Conclusio .

3. Actus spei superna-
turalis per se , & directe oriunt
a voluntate , ut concupisibili ,
secundario vero , etiam ut ira-
scibili . Est communis inter Sco-
tistas contra aliquos Antiquos .
Prob. quoad 1. partem : objec-
tum per se motivum spei super-
naturalis est Deus , ut summum
bonum nostrum beatificum ; sed
Deus hoc modo acceptus est ob-
jectum affectus concupiscentiae
supernaturalis ; quapropter do-
cet Scotus dist. 36. , quod spes
perficit voluntatem secundum
affectionem commodi : ergo ac-
tus spei &c. Quod verò actus
fuga , seu nolitionis carentiae sum-
mi boni , sit etiam à concupisci-
bili , constat ; nam hoc ipso ,
quod actu prosecutionis concu-
pisco aliquod bonum ; renuo il-
lius carentiam ; alias simul vel-
lēm contradictione , quod in vo-
lente ordinate est impossibile .

4. Prob. conclusio quoad
2. partem , scilicet , quod actus
spei etiam oriatur secundario ab
appetitu , ut irascibili . Ab eodem
objecto specificatur volitio fi-
nis , & mediiorum pro consecu-
Bbb


tio-

tione illius: ergo nolle peccata, mundum, carnem &c., ut impedites consecrationem beatitudinis, specificatur ab eodem objecto propter cuius consecrationem nolo talia impedimenta; & ex consequenti velle vindicari de illo, qui talia impedimenta ponit, specificatur ab eodem motivo spei: ergo reducuntur ad eamdem virtutem, ad quam pertinet concupiscere tale bonum. Deinde, actus irascibilis est propter actum concupisibilis, tamquam propter finem; sed propter quod unumquidque est tale, & illud magis: ergo magis pertinet ad spem oriri a voluntate, ut concupisibili, quam ut irascibili; & consequenter &c.

5. Dices contra istam conclusionem: actus spei distinguitur ab actu charitatis, non solum ex parte objecti motivi, sed etiam ex parte objecti receptivi formaliter quo talis; sed hoc non potest esse, nisi spes pertineat ad voluntatem ut irascibilem, & charitas ut concupisibilem: erga &c. Probatur min.: objectum per se concupisibilis est bonum delectabile praeclive ab arduitate, & difficultate illud obtinendi: objectum vero irascibilis est bonum arduum, seu difficile consequatione impedimentorum; sed

charitas per se respicit bonum delectabile praeclive ab arduitate; spes vero respicit ipsum ut arduum: ergo actus spei per se pertinet ad irascibilem.

6. Respondeo concessa mai., negando min.: ad probationem dico: quod tales virtutes distinguuntur neandum ex parte objecti formalis, ut constat ex dictis quest. 2. Disp. antec.; sed etiam aliquomodo ex parte subjecti receptivi, secundum duplarem acceptionem, quam dicit voluntas, justitiae, scilicet, quæ pertinet ad charitatem; & concupiscentiae, quæ expedit ad spem. Arduitas vero, aut difficultas assequendi tale objectum non est ratio formalis spei, sed solum conditio necessario requisita, ut ibi diximus conclus. 1.. Quare distinctivum harum virtutum charitatis, & spei stat in hoc, quod bonum in se, & propter se est objectum charitatis: ut commodum vero nobis est objectum virtutis spei.



QUÆST. III.

An sit actus spei supernaturalis operari intuitu retributionis aeternæ?

1 **O**MNE agens agit propter finem; maxime rationale: sed finis cuiuscumque operis aliis est *intrinsecus*, qui dicitur *finis operis*; aliis *extra* *intrinsecus*, qui est finis *operantis*. *Unde* quodlibet agens rationale potest moveri ex variis motivis ad operandum, tam in virtutibus naturalibus, quam supernaturalibus; si namque praecissè moveatur ex objecto per se intrinsecō, & motivo talis operationis, solum pertinebit operatio ad illam virtutem ex cuius motivo ortum ducit: si vero propter aliud motivum ab illo intrinsecō operetur, etiam sumit aliam honestatem, aut malitiam, secundum quod finis operantis fuerit.

2 *Unde*, prout ad praesens attinet, ex triplici motivo potest homo operari. Primo, praecesse propter honestatem repertam in objecto per se motivo ipsius actus; secundo ad servendum Deo praecissive ab omni respectu quoad nos, scilicet, praæ-

mii, aut poenae: tertio, propter retributionem eorum, quæ sunt promissa bene operantibus. Ex his tribus operationibus prima pertinet ad ipsam virtutem, ad quam pertinet operatio; secunda ad charitatem; & tertia ad spem. Sed ultra nota, quod hec operationes, aliae sunt elicitæ, ut quæ sunt ex motivo intrinsecō ipsius virtutis. Aliae vero imperatae; & sunt quæ sunt ex motivo extrinsecō ipsius, seu ex fine operantis. Quod ergo in praesenti queritur, est, an opera, quæ sunt intuitu retributionis aeternæ, seu beatitudinis (dummodo sunt ex gratia Dei, & iimul ex nobis) sunt vere, & propriæ actus imperati spei supernaturalis; & consequenter sancta, & honesta. Sit

Conclusio.

3 Operari intuitu retributionis aeternæ est actus imperatus spei supernaturalis, utilis, & honestus. Est de fide, & constat ex propos. damnat. à Gregorio XI., quæ sic dicebat: *illi, qui amant Deum propter hoc, ut det eis gloriam celestem, vel bona temporalia, vel timent Deum propter hoc, ut non det eis poenam infernalem, vel labores temporales, faciunt de*

prima intentionem secundam, & de secunda, primam, & eorum intentio est prava. Constat etiam ex sac. scriptura, ut ex illo Psalm. 118.: *inclinavi cor meum ad facientes justificationes tuas in aeternum propter retributionem.* Et in Trid. sel. 6. can. 31. ubi contra Luth. definitur: *si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu eterne mercedis bene operatur, anathema sit.*

4 Prob. 2. conclusio ratione Doc. in 3. dist. 26.: actus tendens in objectum bonum, & debite circumstantionatus, est bonus, & honestus: sed huiusmodi est actus spei, ut terminatus ad vitam aeternam, tamquam præmium, & retributionem observantia mandatorum Dei: ergo &c. Prob. min.; nam desiderare Deum ut nobis bonum per media proportionata, & à Deo præcepta, est actus habens objectum bonum, & debite circumstantionatus; sed sic se habet actus spei, qui est formaliter expectatio futuræ beatitudinis, veniens ex gratia Dei, & meritis propriis ortis ex gratia ipsius: ergo &c. Confirmatur: Sanctum, & bonum est operari secundum id, quod Deus præcipit bene operari; sed Deus non solum præcipit bene operari propter se ipsum, sed etiam

ratione premii à se promissi, juxta illud Déuheron, cap. 12.: *observa, & audi omnia, que ego præcipio tibi, ut bene sit tibi: ergo &c.*

5 Hoc etiam est dicendum de operantibus bene ad evadendas penas Inferni, qui habent motivum attritionis supernaturalis; nam tales operationes non possent esse attritiones supernaturales, nisi essent bona, & honesta. Et hoc docetur à Trid. sel. 6. cap. 8. ubi ait: *si quis dixerit gehenna metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis configimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.*

Solvuntur argumenta.

6 Arguitur 1.: operari intuitu retributionis aeternæ est operari potius ex amore proprio, quam ex amore Dei; sed huiusmodi operatio non est bona, sed vituperabilis: ergo &c. Maior constat; quia hoc modo, seu ex hoc motivo operari est operari propter propriam utilitatem, & convenientiam. Min. probatur: ex cap. 1. Malachia, ubi Deus queritur de suis Ministris, quod solum servie-

viebant propter emolumenatum; & ex parabola boni Pastoris, ubi solum laudatur bonus Pastor, qui ponit animam suam pro ovi- bus suis; & reprehenditur Mercenarius, qui eas tempore ne- cessitatis relinquit. Deinde, sic operari magis ex amore pro- prio, quam Dei, est commu- nitate finem ultimum in non ul- timum; sed hoc est vituperabi- le, & in honestum: ergo &c.

7 Resp. disting. mai.: operari intuitu retributionis eter- ne est potius operari ex amo- re proprio supernaturali, & prout regulatur per fidem, divinamque legem, conc. mai.: ex amo- re proprio naturali, & non re- gulato per fidem, nego mai.; inversis terminis dist. min., & neg. conseq. Itaque licet operari ex amore proprio naturali, & non regulato per fidem, divi- namque legem, non sit bonum, & honestum; tamen operari amore proprio supernaturali, sic- que regulato, honestum, & bonum est; licet verum sit, quod non sit tam rectum, ac opera- ri ex solo Dei amore, qui est actus charitatis.

8 Ad prob. minoris di- co, solum reprehendi amorem Mercenarium temporalem, id est, quando solum operatur ex motivo accipiendo bona tem-

poralia; nam si operetur primò ad implemandam obligationem, & secundario propter retributio- nem temporalem, hoc bonum est, ut ait Apost. i. ad Corinth. 9. : qui in sacrario operantur, que de sacrario sunt, edunt; & qui Altari serviant, de Altari percipiunt. Operari ergo intuitu retributionis æternæ, licet non sit ita perfectum, ac operari ex nudo amore Dei; est tamen sanctum, & utile; cum Deus etiam hoc vellit, ut facilius nos- trum amorem erga ipsum cap- tet; quia, ut ait Doct., hoc modo operari tendit ulterius, saltem imperative, ex charita- te, ut Deus plus ametur a no- bis in se.

9 Arguitur 2.: operari intuitu retributionis est actus illius virtutis, ad quam per- pertinet operatio: ergo non est actus spei. Prob. antec.: date eleemosynam, & servate castitatem, licet fiat ex motivo retributio- nis æternæ, sunt actus charita- tis, & castitatis: ergo pariter. Resp. disting. antec.: operari &c. est actus *elicitus* illius vir- tutis, conc. antec.: actus *im- peratus*, nego antec. & conseq. Et sic distinguitur probatio. Itaque, actus dicuntur eliciti ab illa virtute, ad quam specificè expectant; imperati vero a spe, quando fiunt ex ejus mo- ti-

tivo ; sicut si fiant solum ad serviendum Deo, & propter ejus amorem , sic sunt imperati à charitate : & similiter si propter premium aeternum, sunt imperati à spe ; & tandem si solum propter propria illorum honestatem , sic solum expectant ad propriam lineam , & virtutem , cuius sunt tales.

10 Arguitus 3. : actus non habens pro objecto motivo , aut terminativo Deum, ut summum bonum nostrum beatificum , non potest esse actus spei ; sed operari timore poenarum inferni non habet pro objecto motivo , aut terminativo Deum ut summum bonum nostrum : ergo &c. Probatur min. : objectum tam motivum , quam terminativum huius timoris sunt ipse poenae ; cum ex meta illarum moveatur ad bene operandum : ergo &c. De hoc argumento quest. seq.. Nunc breviter respondeo , quod talis timor , et si immediate non tendat in Deum , tendit tamen mediate , & reductive , in quantum tales poenae sunt incompositiles cum possessione summi boni , quod desiderat : & sic ex amore concupiscentiae , & affectu commodi , quo desiderat beatitudinem , oritur timor circa peccata , ut demeritoria ipsius ; & circa poenas aeternas .

ut pote incompositiles cum beatitudine. Sed pro ulteriori solutione sit

QUÆST. IV.

An , & qualis timor fit
actus spei superna-
turalis ?

1 Timor in communi nihil aliud est , quam fuga alicuius mali imminentis. Et est triplex : *naturalis* , *humanus* , & *divinus*. Primum est actus , quo naturaliter quodlibet animal fugit omne malum ; & hic residet in potentia sensitiva , & per se , nec est bonus , nec malus moraliter ; & talis fuit iste , quo Xptus Dnus timebat mortem , dum dieitur : *cœpit pavere* , & *tedere*. Humanus , qui & mandanus dicitur , est , quo timens malum , quod ab hominibus inferri potest , sine ullo respectu ad Deum. Timor divinus , est qui oritur ex aliquo motivo supernaturali. Sed hic timor adhuc est.

2 Triplex : filialis , scilicet , *servilis* , & *initialis*. Timor filialis est , quo quis timet Deum offendere , solum , quia summe bonus est ; & in isto sunt

sunt duo munera , & officia, scilicet , timere , ne offendamus Deum , quem diligimus ; & ne separemur ab eo : Quare facit etiam , nos reverentem Deum ; & ob hoc dicitur etiam reverentialis . Iti vero conceptus sunt separabiles in illo ; nam in via habet timore Deum , ne illum offendamus , & ab illo separeretur . In Patria vero , solum conceptum ipsum reverendi , de quo dicitur : timor Domini sanctus permanens in saeculum saeculi . Iti timor nascitur ex amore charitatis , quo Deus diligitur in se , & per se , solum , quia summe diligibilis est . Et de hoc expresso non procedit difficultas .

3 Timor servilis est , quando quis timet , Deum offendere , non propter ejus summam bonitatem infinite diligibilem , sed propter poenas aeternas , seu amissionem gloriae , quam propter peccata incurrit : & dicitur servilis ; quia sicut primus est proprius filiorum Dei , qui solum moventur ex amore ; sic iste est proprius servorum , qui magis ex metu poenarum solent moveri ad serviendum Deo , quam ex vero , & nudo amore . Timor initialis est mixtus ex filiali , & servili : & sic , quando quis timet Deum offendere , cum quia summe bonus est , &

diligibilis ; tum quia justus in retribuendo , & puniendo , dicitur timor initialis . Appellatur sic ; quia communiter reperitur in principiantibus servire Deo in veritate . Iti enim partim moventur ex benignitate Dei ; partim ex retributione aeterna ad illum diligendum ; & ab opposito , ad Deum non offendendum moventur , tum ex metu amittendi summum bonum ; tum ex metu incurriendi aeternas poenas .

4 His ergo suppositis , quod id praesenti , queritur est , an aliquis ex his timoribus pertineat ad virtutem spei ? vel elicitive , vel imperativè : elicitive v. g. quando elligo actum positivum sperandi beatitudinem ex motivo proprio ipsius , scilicet , quia mihi est bona , & commoda : & imperativè , quando ex ejus motivo eliciuntur actus aliarum virtutum . Et in primis certum est , quod timor , nec naturalis , nec mere mundanus , non est actus virtutis spei ; quia hic , mere oritur ex consideratione poenarum temporalium , ne amat vitam , famam , honores , aut divitias , & hic timor non deseruit ad consecutionem vitae aeternae , ut patet ex proposito . 57. dñm. ab Innoc. XI. Quare difficultas est de timore ser-

villi, & initiali. De quibusque sit.

Conclusio.

5 Timor servilis, & etiam initialis. (ex se ea parte, qua accedit ad servilem) oriuntur à virtute supernaturali spēi. Et hoc vel elicitive, vel saltem imperative. Est communis, & probatur 1. ex Scriptura ; nam Proverbior. 8. dicitur : *timor odit malum :: time Deum, & recede a malo ; & 16.: Radix sapientie est timere Deum.* Confirmatur ex Trid. Ief. 14. cap. 4. approbante pénitentiam ex pénarum metu, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, & dicit, eum esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus. Et etiam tenet, peccatores disponi ad justificationem per timorem justitiae divine, quo utiliter concurrit ad considerandam divinam misericordiam, in spem eriguntur, fidentes Deum propitium sibi fore &c. : ergo spes influit cum timore, & per timorem pénarum ad actum pénitentiae; sed hic timor est servilis : ergo &c.

6 Prob. conclusio ratione de timore servili : hic timor oritur ex amore servili; sed amor servilis, seu propter retric-

butionem gloriae, in quantum nobis bona, est actus proprius spēi, ut constat ex dictis quæst. antec. : ergo etiam timor servilis. Conseq. constat ; quia eadem virtute, qua amo aliquid, nolo ejus oppositum. Hac eadem ratione probatur, quod timor initialis, ex se ea parte, qua accedit ad servilem, oritur à virtute spēi ; nam timor oritur ab ea virtute, à qua oritur amor sibi oppositus ; nam ex quo amem aliquid objectum, nascitur timor illud amittendi, quando ejus consecutio est contingens, & ardua ; vide dicta quæst. 2. num. 1. & 2. huius; sed ex virtute spēi oritur amor Dei, ut commodi nobis : ergo & timor ipsum amittendi, ut nobis commodum ; & oritur timor initialis, prout hic accedit ad servilem. Quando procedat elicitive, & quando imperative, constat ex dictis, num. 9. quæst. antec.

Solvuntur argumenta.

7 Arguitur 1. ex Div. Augustino Conc. 25. in Psalm. 118. ubi ait : *timor, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est ; quia carnalis;* & ideo non crucifigit carnem,

earnem, & vivit peccandi voluntas; sed timor, in quo vivit peccandi voluntas, non oritur a virtute spei; cum sit malus: ergo &c. Confirmatur: qui operatur ex virtute supernaturali spei, operatur bene; cum operetur prout oportet ad salutem; sed juxta eundem August. in Enchirid. cap. 21.: qui timore aliquid facit, et si bonum sit, quod facit, non bene facit: ergo &c..

8 Respondi explicando. August. : timor, in quo non amatur justitia, est carnalis, quando simul adest peccandi voluntas, conc. mai.: quando hec excluditur, nego mai.. Et concess. min. nego conseq.. Eodem modo explicatur authoritas confirmationis. Verum ergo est, quod si cum timore servili perseveret voluntas peccandi, talis timor est malus; sed si cum ipso timore sicut voluntas non peccandi, sic est bonus, & ortus ex speciali influxu Spiritus Sancti, ut diximus ex Concil. Trident. cit. num. 5. huius.. Nec in isto timore excluditur omnino amor justitiae; cum oritur ex amore beatitudinis, seu ipsius Dei, prout est nobis bonus, & commodus..

9 Arguitur 2: si timor servilis oritur ex virtute spei, daretur in quocumque subjec-

to, in quo esset, virtus spei supernaturalis; sed hoc est falsum: ergo &c. Probi min.: in Gloria datur virtus spei; sed ibi non datur timor; cum ibi nullum malum imminere possit; ergo &c.. Resp. quod timor servilis datur in quocumque subiecto, in quo est virtus spei rigurosè sumptae, in Patria vero datur timor filialis; non secundum, quod exprimit metum separationis; sed secundum quod exprimit summam reverentiam ortam ex cognitione supremæ Maiestatis Dei, de quoque intelligitur illud Psalmi: *timor Domini sanctus permanens in seculum seculi.* De hoc argumento erit sermo disp.. seq. quest. 2:.

10 Arguitur 3: timor est ultimus ex donis Spiritus Sancti; sed dona Spiritus Sancti sunt realiter distincta à virtutibus infusis, & acquisitis, quales sunt theologales, & cardinales: ergo timor &c. Min. constat ex Sac. Scriptura. Resp. conc. mai. negando min.. Ad probationem dico, quod Sacra Scriptura ponit dona Spiritus Sancti secundum suos actus distincta ab habitibus virtutum infistarum: non vero secundum habitus. De hoc agemus, si per tempus licuerit, tract. 7. agendo de donis Spiritus Sancti. Vide Ccc. N..

N. Māstrum quæstione ult. super 3. sententiar.

QUÆST. V. ET ULTIMA.

An: quomodo: quoqué tempore obligent actus spēi supernaturalis?

I Esolutio huius difficultatis quoad omnes suas partes sufficienter constat ex dictis quæst. 3. disp. 9. tract. antec.. Unde ibi dicta hic sunt recolenda. Et sic breviter ab hac difficultate me expediam. Dico I.: datur præceptum divinum sperandi. Prob. I. ex Apost. ad Heb. 11.: ubi ait: *credere enim opportet accendentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se, remuneratur sit*; sed præceptum credendi, Deum esse remuneratorem, infert præceptum, & obligationem sperandi remunerationem à Deo; imo ad hoc dicitur illud præceptum, ut, scilicet, credendo Deum remuneratorem, erigatur animus spe remunerationis, & retributionis ad bona opera exercenda: ergo &c. Confirmatur ex prima propositi, damnata, ab Alexand. VII. quæ dicebat: *homo nullo unquam sue vita tempore tene-*

tur elicere actum fidei, spēi, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. Confirmatur ex paritate actuum fidei, & charitatis, de quibus datur tale præceptum divinum.

2 Dico 2.: præceptum eliciendi actum spēi obligat perse, saltem in ingressu morali usus rationis, semel in anno, in articulo, vel periculo mortis: & quando urget gravis tentatio contra spem. Indirecte vero, & per accidens obligat, dum urget aliud præceptum, quod sine actu spēi impleri non potest. Conclusio quoad omnes partes est communis inter Theologos. Et satis probatur ex dictis in tractatu antec. loc. cit. Prob. nunc specialiter: spes infusa est à Deo, ut spe æternæ retributionis, & mercedis erigatur animus ad superandas difficultates, & ad resistendum in bello adversarijs, & inimicis nostris; sed hoc est necessarium in ingressu morali usus rationis, quando incipit bellum: & in articulo, vel periculo mortis, quando finitur: in processu vite, ad minus semel in anno, sicut de præceptis penitentiæ, & Eucharistie dicitur: & demum, dum urget vehementis tentatio contra spem: ergo his omnibus temporibus urget

get praeceptum eliciendi actum
spei.

3. Quod vero urgeat indirecētē, & per accidens, urgente alio praecepto, quod sine exercitio spei observari nequit, patet; quia praeceptum directe cadiens super ullam materiam, indirecētē cadit supra id, sine quo observari non potest in tali materia; nam alias se exponeret periculo frangendi, omittendo id, sine quo impleri non potest: ergo spes indirecētē, & per ac-

cidens &c. Nota, quod hic iustum loquimur de praecepto positivo spei; nam de negativo dicendum est, quod obligat semper, & pro semper, ut & nos dicemus disp. ultim. huius agendo de desperatione. Qui plura desideraverit circa quest. 3. & 4. huius disp., videat Cassuistas de Sacramento Poenitentiae, agendo de attrit. supernaturali, ubi abunde ea inveniet; nam dicta pro nostro instituto sufficere videntur. Sit ergo.

DISP. IV.

DE SUBJECTO SPEI THEOLOGICÆ.

EX dictis quest. 4. disp. 1. huius ostensum est, quod subjectum immediate receptivum spei est voluntas, & non intellectus. Unde in praesenti non querimus de hoc subiecto, sed solam de illis Personis, in quibus datur, & conservatur virtus supernaturalis spei, & hoc tam secundum actum, quam secundum habitum. Pro quo sit

QUÆST. I.

In quibus viatoribus sit spes theologica?

1. **T**amquam quid certum suppono, spem theologicam esse in omnibus

Viatoribus iustis; quia ut declaratum est in Trid. 1. 6. cap. 7.: in prima justificatione simul cum gratia accipit homo fidem, spem, & charitatem. Difficultas ergo est: an spes maneat in peccatoribus, quibusque peccatoribus: an in hereticis: an in animabus Purgatorii, que ali-

aliquomodo viatrices sunt, in quantum non pervenerunt ad ultimum suum terminum. Et tandem an permaneat in damnatis. De Beatis enim, sicut & de Christo Domino, erit specialis sermo quæst. sequenti. Quaré istam quæstionem breviter resolvam.

2 Dico primo: spes theologica est in peccatoribus fidelibus, qui non sunt rei peccati desperationis. Est communis, & probatur primo paritate fidei, quæ non amittitur, nisi per peccatum infidelitatis ex Trid. fel. 6. cap. 15.: ergo spes etiam solum amittitur per peccatum, vel infidelitatis, vel desperationis, & non per ullum aliud. Quod vero spes amittatur per peccatum infidelitatis constat; quia spes regulatur per fidem, istaque est fundamentum illius; sed ablato fundamento, & regulativo, auferetur & regulatum; ergo spes non manet cum peccato infidelitatis, nec desperationis. Confirmatur: sola charitas unit perfecte hominem cum Deo, pugnatque cum omni peccato lethali: ergo quia spes componibilis est cum omni peccato, quod non fuerit infidelitatis, aut desperationis. De hoc amplius dum de peccato desperationis agamus disp. ult. huius.

3 Dico 2.: spes non est in hæreticis, nec in alijs infidelibus, nec in damnatis. Prima, & secunda pars huius conclusionis constat ex immediate dictis, scilicet; quia spes regulatur per fidem promissiæ; sed in hæreticis, & alijs infidelibus non est fides: ergo nec spes. Tertia conclusionis pars etiam constat; quia damnati sunt in desperatione æternæ salutis: ergo non est illis spes. Deinde sunt in termino, per quem constituitur impossibilis affectio beatitudinis; sed de impossibilibus non est spes: ergo damnati eam non habent.

4 Dices contra has conclusiones: licet infidelitas, & desperatione pugnant cum actu spei, non pugnant cum habitu illius: ergo habitus spei manet in ipsis. Prob. antec.: infidelitas, & desperatione sunt actus 2.; sed habitus cuiuscumque actus non pugnat cum actibus ei oppositis; quia habitus est actus 1., qui non est inconjugibilis cum contrario sui actus secundi: ergo. Respondeo distinguendo antec. licet &c. non pugnant cum habitu illius *physice*, & *ex natura rei*, conc. antec.: *ex ordinatione divina*, & *demeritorie*, nego antec. & conseq.: eisdem terminis distinguuntur minor

minor probationis. Hoc argumentum si probaret, probaret utique, habitum charitatis non amitti per odium Dei, nec per nullum aliud peccatum mortale, quod absolute est falsum, ratione repugnantiae demeritoria ex ordinatione divina cum actu immediate contrario actui, in quem per se primo inclinat habitus supernaturalis.

5 Dico 3.: spes manet in animabus Purgatorij. Est communis, & probatur 1. : animæ in Purgatorio habent objectum spei ablens, & futurum, & aliquomodo arduum: ergo & spem. Hec conseq. constat; quia hoc est, quod requiritur ad actum spei. Antec. quoad 1. & 2. partem constat; quia non habent possessionem, & tensionem beatitudinis; & etiam habent arduitatem; quia ibi necessitas est, ut sustineant plura tormenta ad hoc, ut perveniant in possessionem beatitudinis.

6 Dices 1. contra istam conclusionem: spes non est nisi de contingentibus; sed beatitudo non est contingens respectu animalium Purgatorij; quia infallibiliter est futura: ergo &c. Prob. mai.: sic se habet spes circa bonum consequendum, sicut timor circa malum

vitandum; sed timor non est, nisi de malo contingent: ergo nec spes. Respondeo negando maiorem, & minorem probationis. Timemus enim mortem, que necessario eventura est. Timuit Christus Dominus suam passionem, & mortem, quam agnoscetabat infallibiliter eventuram, ut constat ex illo Marcii cap. 14.: *scipit pavere.* Unde communiter docent Theologi in Christo Domino fuisse verum timorem sua passionis, & mortis.

7 Dices 2.: spes est de bono arduo; sed non est arduum, quod necessario est obtainendum, & de cuius acquisitione est omnimoda securitas, ut evenit in animabus Purgatorii: ergo in ipsis non est vere spes. Aliqui respondent negando mai.; quia si arduitas sumitur pro difficultate, vel dubietate potius retrahit à spe, quam ad ipsam conducat. Unde in Immaculata Virgine fuit spes, & tamen non fuit arduitas; cum semper operaverit cum facilitate, & jucunditate. Sed conformiter ad probationem conclusionis respondeo negando min. argumenti; quia beatitudo non est ab eis assequenda, nisi post plures, ac terribiles possessas; quod abs dubio ipsis valde arduum erit. Nec omnimoda securitas excludit spem; quia

Apos.

Apostoli post confirmationem iustitiae habebant certitudinem de sua beatitudine absque contingentia; & tamen retinuerunt virtutem spei theologicæ.

unde consequenter dicunt, quod cum in Patria deficiant hæc conditiones, evanescat etiam spes.

2. Noto 2., quod varijs assignantur actus spes. Quidam convenienter ei sub expresso nomine spes, & prout tendit in suum objectum, ut absens, futurum, & arduum. Huiusmodi sunt desiderium stricte acceptum, confidentia in divina promissione, & erexitio animi, seu expectatio beatitudinis ex gratia Dei, & nostris meritis. Alij sunt, qui ei convenienter, quod habet suum objectum praesens in ratione sibi commodi: & tales sunt, quiete, gaudere, & delectari in illo ut tibi commodo.

3. Suppono 3.: quod etiam in spe assignari solent aliqui actus secundarii, hoc est, erga objecta secundaria, scilicet, desiderare, & expectare resurrectionem suorum corporum, communicationem gloriae ipsis, continuationem ipsius gloriae, & salvationem alorum. Unde cum hi actus sint alicuius virtutis supernaturalis, debent in Patria oriri ab aliqua virtute theologica, & non ab alia, quam a spe infusa; consequenterque hæc tam quoad habitum, quam quoad hos actus, manere debet in Patria. Unde in praesenti quod queritur est, an habitus spes maneat in Beatis, & quoad quos actus.

Certe,

QUÆST. II.

An in Beatis detur spes theologicæ?

1. **C**ulta presentem difficultatem, quæ procedit, tam de spe habituali, quam actuali, variant Scotisti; eo quod in hoc punto non sit satis expressa mens nostri Doctoris, ut ait Mastr. hic, quæst. 18. Pro cuius clariori, & breviori resolutione, nota 1, quod spes, in sententia afferente permanere in Beatis, respicit pro objecto motivo ipsum Deum, ut commodum nobis, praescindendo ab imperfectione absentia, quæ exercitat ejus desiderium, & a perfectione praesentia, quæ movet ejus affectum complacentiam in possessione illius. In sententia vero oppositum tenente, licet objectum motivum spes sit ipse Deus, ut commodus nobis; tamen includit, tamquam conditionem simpliciter necessariam, absentiam, futuritionem, & auctoritatem in ipsius consecutione.

Gerte, meo videri, multum laborant de nomine in hac difficultate resolvenda AA.; nos ut possibili modo omnem æquocationem tollamus, eam per varias conclusiones explicabimus. Sit ergo

Prima conclusio.

4 Habitus spei non manet in Beatis quoad actum desiderare, & sperare. Hæc conclusio est satis expressa in nostro Doct. in 3. dist. 31. quest. unic. 9. respondeo, ubi docet: nullus ponendus est habitus manere frustra; frustra autem ibi esset habitus cuius inclinatio esset tunc impossibilis; fides autem ex ratione sua inclinat in verum latens, secundum Glossam super illud, ad Hæbreos 11.: fides est substantia rerum separandarum, argumentum non apparentium. Et spes tantum inclinat in bonum absens juxta illud ad Rom. 8.: spes, quæ videtur, non est spes, accipiendo spem pro sperato, scilicet, pro objecto. Inclinationes autem istæ non poterunt haberi in Patria, ubi erit verum patens, & bonum habitum: igitur isti habitus non manebunt; quia essent superflui. Hæc Doct., in quibus nostra continetur conclusio.

5 Probatur 2. ex definitione ipsius spei. Spes est certa expectatio beatitudinis futuræ, veniens ex gratia, & ex meritis precedentibus; sed hæc definitio esset omnino falsa, si spes quoad desiderare, & sperare maneret in Beatis: ergo non manet. Prob. min. ex Div. Paulo cit. à Doct. in Epist. ad Roman. 8. ubi ait: spes, quæ videtur non est spes; nam quod videt quis, quid sperat? Et ex Div. Aug. tom. 8. in Psalm. 91. ubi ait: spes enim, quæ modo vocatur, tunc non spes, sed res erit, tandem enim vocatur spes, quando non videtur, quod speratur. Et paulo infra: spes rei est quæ non tenetur, adveniente ipsa re non erit iam spes; quia tenebimus, non sperabimus. Nunc sic sed Beati vident ipsum Deum, & habent ipsum Deum, & habent ipsam beatitudinem presentem: ergo in ipsis spes non esset expectatio beatitudinis futuræ. Ex his probationibus sequitur.

Secunda conclusio.

6 Habitum spei non manet in Beatis sub denominazione spei. Prob. hæc conclusio: denominatio spei sumitur ex ejus precipuo actu, quod est sperare, & desiderare beatitudinem essentialē; sed ex dictis, hic

actus non manet in Patria: ergo nec habitus, aut actus spei sub tali denominatione. Confirmatur: deficiente effecta, primario specificativo, & motivo alicuius actus, vel habitus, deficiunt etiam ipse habitus, & actus; sed in Patria deficit objectum specificativum, primarium, & motivum ipsius virtutis spei: ergo &c. Prob. min. licet Deus non deficiat nec deficere possit in se, deficit tamen, ut est objectum, motuum spei; sed hoc sufficit, ut deficiat spes, quoad denominationem: ergo &c. Prob. mai.: objectum motivum spei est ipsa beatitudo, seu summa bonum nostrum ut absens futurum, & aratum, assequibileque ex promissione divina; sed hoc modo tunc deficiet tale objectum, ut per se patet: ergo &c. Confirmatur 2. ex Apost. I. ad Chorint. cap. 13. ubi docet: *quod in via manent fides, spes, & caritas, & quod in Patria omnia evanescunt, preter charitatem, que numquam excidet: ergo &c..*

Solvuntur argumenta contra istas conclusiones.

7. Arguitur 1. : Beati sperant, & desiderant resurrectionem, & glorificationem: sive corporum: ergo adhuc

habent ipsum desiderare, & sperare. Confirmatur 1. : Christus Dominus semper fuit beatus; sed in Christo fuit proprie spes gloriae corporis; cum ea fuerit ipsi ardua: ergo cum beatitudine stat spes. Confirmatur 2. : Beati de facto nobis sperant beatitudinem; sed actus iste, quamvis imperativè pendeat à charitate, tamen elicitive est actus spei: ergo &c..

8. Respondeo ad argumentum conces. antec., negando suppositum consequentis; quia actus ille: non est virtutis theologica spei, de qua est quæstio; spes enim in ratione virtutis theologicae consistit ex eo, quod Deum respiciat, ut bonum nostrum possidendum per visionem, & fruitionem: hoc tamen non habet locum in glorificatione corporis, per quam non possidetur Deus; quia corpus erga Deum nullum actum possessionis elicere potest. Nec similiter resurreccio corporis potest amari spe theologica, ut medium ad ipsam visionem supernaturalem; quia per unionem animæ ad corpus nullum modum talis visio supernaturalis animæ angebitur, nisi ad summum accidentaliter. Unde desiderium illud erit naturale, quo

naturaliter pars expectat aliam partem.

9 Ad 1. confirmationem, nego min. loquendo de spe theologica; quia beatitudo corporis est naturalis proprietas animæ ab ea necessario promanans. Nec in Christo potuit esse ardua; quia ab initio conceptionis beatitudinem animæ possedit: & illa, ut naturalis proprietas, resumpto corpore, & beatitudine animæ necessario dimanavit. Ad 2. confirmat. nego min.; quia appetere beatitudinem proximi, quantum est illi bona, non est propriè, & in rigore actus spei, ut ex professò manet probatum quæst. 3. disp. 2. huius.

10 Arguitur 2.: Beati possunt desiderare continuationem propriae beatitudinis; sed actus iste, ut pote rei futuræ, pertinet ad spem theologicam: ergo in Beatis pertinet hec virtus quoad istos actus. Confirmatur Beati possunt sperare aliquam accidentalem gloriam, v. g. novas illuminationes, aut revelationes, & alia huiusmodi: ergo in Beatis datur habitus spei quoad actus desiderandi, & sperandi. Respondeo negando min.: continuatio enim beatitudinis propriae non potest esse objectum spei

in Beatis; non enim est illis ardua, & difficultis; siquidem perseverantia propriæ beatitudinis est illis non solum certa, sed facilis; cum modò non possint ab illa deficere, Deo non concurrente ad oppositum, sed eos in perpetua fruitione mantente, & conservante. Ad confirmat. nego antec. in sensu conclusionis; quia sicut gloria corporis non est objectum spei theologice, sic nec illa alia accidentalis.

11 Arguitur 3.: & militat contra 2. conclusionem: juxta Doct. in 3. dist. 26. §. ad quæst. secundum eamdem rationem formalem respicit spes objectum, & tentio; sicut eadem ratio formalis est tendendi in illud, & quiescendi in eo: ex quo sic argumentor: qualities salvatur eadem ratio motiva, & formalis alicuius potentie, aut habitus, salvatur etiam talis potentia, aut habitus; sed in Patria salvatur eadem ratio motiva tentioris: ergo & salvatur in Patria ratio formalis spei, etiam quoad denominationem; quia implicant, quod sit forma in aliquo subjecto, quin tale subjectum denominet.

12 Respondeo explicando Doct.: secundum eamdem rationem formalem respicit spes objectum, & tentio.

Ddd

sb

sub diversis tamen conditionibus necessario concomitantibus, & distinguentibus spem à tentione, conc. autoritatem: sub eisdem conditionibus, nego ipsam. Eisdem terminis distinguitur mai. Syllogismi. Itaque verum est, quod sub eadem ratione formalis, quæ est Deus, ut nobis beatifice commodus, respicit Deus per spem, & per tentionem; non tamen sub eisdem conditionibus simpliciter necessarijs; quia spes respicit tale bonum, ut absens, arduum, & faturum; tentio vero solum ut praesens; quæ conditions sufficiunt ad hoc, ut eis deficientibus, deficiat objectum motivum formale spei quoad desiderare, & sperare; & consequenter quoad denominacionem spei rigurosè sumptæ. Sed quia argumentum supponere videtur, quod actus tentionis, & gaudij sunt actus spei, & hoc ab omnib. non admittitur, ideo ut hoc bene percipiatur, sit,

Tertia conclusio.

13 Valde probabile est, quod spes maneat in Beatis quoad actus tentionis, & gaudij. Hæc conclusio est nostri Mastrij, & quamplurium Scotistarum. Prob. à Mast. autoritate Doct. cit. in 3. dist. 31.

§. Viso de fide, & spe; ubi docet, quod spes, & charitas non distinguatur ab invicem per præsentiam, vel absentiam objecti, sed ex eo præcille, quod charitas feratur in Deum, ut in se bonus est; spes vero quatenus bonum nostrum est. Ex qua doctrina sic argumentor: charitas potest esse principium actus, quo amamus Deum absentem, & præsentem, ut bonum honestum in se, & propter se: ergo similiter habitus spei quo desideramus Deum absentem, ut bonum nostrum, poterit esse principium actus, quo amamus ipsum præsentem, ut bonum nostrum, qui actus dicitur tentio.

14 Prob. 2. conclusio tunc manet habitus, quando potest ferri in suum objectum formale, exercendo circa illud plures actus; sed licet in Beatis non possit exerceri actus sperandi, & desiderandi, tamen possunt exerceri plures actus ipsius, ut actus amoris erga beatitudinem, quatenus illis bona est; qui actus est amor concupiscentie: & actum tentionis, qui est amor, quem Beatus habet de Deo habito, & possesto, quatenus est bonum nostrum: ergo &c. Aliqui dicunt, quod hi actus sunt charitatis; eo, quod Beati in præsentia objecti beati-

tifici omnia operentur propter Deum. Sed contra : prædicti actus sunt amoris concupiscentiae; cum ament Deum, ut commodum sibi, & non præcise, ut bonum in se quod est proprium charitatis. Deinde, & si tales actus possint esse actus amicitiae erga nos, non tamen immediate erga Deum: ergo non possunt elicere ab habitu charitatis.

15 Prob. tandem conclusio: in Patria, juxta communem Theologorum, non solum manet charitas, sed etiam aliae virtutes naturales, quas Beati habuerunt in via: ergo eum manebit spes. Prob. hæc conseq.: ideo spes non maneret in Beatis; quia ibi esset impossibilis ejus inclinatio in proprium suum objectum; sed hoc dato, & non concessso, adhuc maneret: ergo &c. Prob. min. non minus repugnat in Patria inclinatio, & exercitium virtutum moralium circa propria objecta, ac inclinatio, & exercitium spei; sed, hoc non obstante, illæ ponuntur in Beatis: ergo &c. Mai. constat; nam ibi erit impossibilis actus justitie redens aliquid alicui: similiter, & temperantiae moderans passiones; & etiam fortitudinis ad fortiter tolerandas passiones huius vitæ: ergo &c.

Solvantur argumenta contra istam conclusionem.

16 Arguitur 1. : spes essentialiter requirit absentiam objecti; sed Beati habent Deum præsentem; ergo nequeunt habere actum ipsius theologicæ: ergo nec habitum; quia nullum frustaneum est ibi admittendū, juxta Doct. Respondeo distinguendo mai.: spes essentialiter requirit absentiam objecti *quoad actum desiderij, & speranij*, conc. mai.: *quoad actum tensionis, & gaudij*, nego mai.; concess. min. nego primam, & secundam conseq. Nec habitus spei est omnino otiosus in Beatis; quia habet actum, quem eliciat, quod est longe perfectior; & excellentior actu sperandi, & desiderandi, quem viatores habemus.

17 Replicabis: ergo actus tensionis, & gaudij est perfectior, & excellentior, quam actus sperandi, & desiderandi: ergo absolute, & simpliciter manet spes in Beatis. Prob. hæc conseq.: manente actu perfectiori, & excellentiori alicuius virtutis, debet manere & ipsa virtus; sed, juxta nos in hac tertia conclusione, manet spes *quoad actum tensionis, & gaudij*, qui sunt longe perfectiores, & ex-

cel-

cellentiores, quām actus desiderandi: ergo manet absolute, & simpliciter spes theologica. Respond. disting. 1. conseq.: ergo actus tentionis & gaudij sunt perfectiores, & excellentiores *in se*, & *in modo attingendi suum objectum*, conc. conseq.: sunt excellentiores *quoad nostram nationem*, & prout rigurose sumi debet spes, nego conseq. Unde nego 2. conseq. Ad probationem dico, quod ut maneat virtus, & potentia est praecesse, quod maneat primus actus specificatus; quod non evenit, non manente desiderio. Vide dicta conclusione prima, & secunda,

18 Arguitur 2. & est replica: in Patria cessat praincipius actus spei, qui est desiderium: ergo & absolute habitus. Argumentum potest instari in virtutibus moralibus, quae manent in Beatis, etsi non possit haberi eorum praincipius actus, ut diximus in ultima probatione conclusionis. Unde dicimus, quod etsi deficit praincipius actus spei in Patria, hoc est magis notus, & qui dat denominationem spei; cum tamen ibi sint possibles actus tentionis, & possessionis, quoad istos probabiliter admitti potest virtus spei, estò non admittatur in eo rigore quo quoad actum desiderij, & separandi.

19 Arguitur 3. : Beati in Patria non gaudent de eadem beatitudine possessa, nec optant alijs beatitudinem, nisi ex solo motivo amoris Dei super omnia: ergo ad actus tentionis, & gaudij non requiritur spes; & consequenter non datur, Prob. antec.: Beati in Patria ob summam perfectionem status omnia diligunt in Dei gloriam: ergo omnia operantur ex solo motivo amoris Dei super omnia. Hoc argumentum etiam retorqueri potest contra omnes virtutes morales; quia cum Beatus in Patria omnia objesta honesta moraliter purè amet propter Deum summè dilectum; hinc fiet, quod honestatem virtutum moralium diligenter propter Deum summe dilectum; consequenterque in Beatis nulla alia erit virtus nisi charitas; quod est contra communem Theologorum.

20 Respondeo ergo, quod sicut ex eo, quod Beati omnia propter Deum operentur, non sequitur quin operari possint propter honestatem aliarum virtutum; quia actus charitatis, sicut non tollit à Beatis alias virtutes, ita nec earum actus impedit; sic similiter, & nos dicimus de spes licet ergo gaudent de sua beatitudine, qua-

nus in gloriam Dei cedit; quia tamen eam agnoscunt sibi simul honestissimam, & jucundissimam esse; satis consentaneum est, eos etiam gaudere de sua beatitudine sub hoc titulo honestatis, & jucunditatis.

21 Arguitur 4.: actus spei, etiam quoad tentionem, & gaudium repugnant in Patria: ergo non datur quoad hos actus Prob. antec.: actus tentionis, & gaudij sunt actus concupiscentiae perficientes voluntatem secundum affectionem commodi; sed in Patria nullus potest exerceri actus concupiscentiae: ergo &c. Prob. min.: concupiscentia sicut in ipso amante, ut in fine cui; sed hoc dedecet statui beatifico: ergo. Hoc argumentum tactum est disp. 2. hains, quest. 1. a num. 10. ubi distinguitur de duplice amore concupiscentiae, scilicet in ordinato sistente in ipso amato, ut in fine cui ultimo: & ordinato, quo voluntas amat bonum eternum Deum, tamquam sum commodum, ut plus ipsum in se amet amore amicitiae, sive ut magis eo fruatur.

22 Beati ergo esto ament Deum ut commodum ipsis, non tamen ibi sistendo; quia tunc eorum voluntas non esset honesta, & recta; sed ultimate in ordine ad Deum, ut perfecte conjugantur cum ipso, tan-

quam cum ultimo fine supernaturali: & sic non referunt hoc amore Deum ad se, ut ad finem, sed proprie amant Deum sibi, hoc est, conjunctionem ipsorum cum Deo, tamquam suo ultimo fine supernaturali. Ex quo ad argumentum in forma respondeo negando antec., & explicando doctrina data mai. & min. probationis, & antec. ipsius; quia actus ille concupiscentiae, ut pote ordinatus non est imperfectus positivè, nec ullam imfectionem statui beatifico repugnantem includit; licet sit imperfectus negative, hoc est, non ita perfectus sicut actus charitatis.

23 Arguitur 5.: hic actus concupiscentiae, qui manet in Patria, non potest esse virtutis spei theologice: ergo. Prob. antec. prima, & præcipua conditio virtutis theologice est, quod ejus objectum sit increatum; sed objectum primarium amoris concupiscentiae non est bonitas Dei, sed commoditas, & felicitas Beati, cui ipsa divina bonitas est delectabilis: ergo &c. Resp. negando antec. & min. probationis; quia amor spei, licet pro objecto habet æternam beatitudinem, ut bonam, & commodam Personam Beati, quam ille sibi ipsis desiderat; attamen Persona Beati non

non ingreditur objectum formale spei: & licet felicitas ipsius sit finis cui, non tamen ultima.

24 Arguitur 6.: actus, quo quis sperat alteri beatitudinem non est actus spei, sed charitatis: ergo & actus, quo quis complacet de propria beatitudine. Antec. constat ex dictis disp. 2. huius quest. 3. Prob. conseq.: idcirco actus, quo quis sperat alteri beatitudinem, est charitatis; quia eam sperat ex complacencia ipsius Personæ, cui illam desiderat; sed etiam in Patria habet complacentiam suæ Personæ: ergo talis actus est charitatis. Pro solutione nota differentiam inter actionem spei, & charitatis, & benevolentiae, quæ stat in hoc, quod actus benevolentie semper specificatur à bonitate, & dignitate Personæ, propter quam amans moverat ad procurandum illi bonum; & sic actus iste ultime tendit in bonitatem Personæ; actus vero spei specificatur à bono ipso, quod procuratur Personæ nulla habita ratione personalis dignitatis, quæ amat: & sic actus iste ultime sicut in bono concupiscit, ut bono desideranti; hoc notaro.

25 Respondeo negando conseq., & min. probationis; quia actus, quo complaces Beatus,

specificatur ex ipso bono amato, & concupito, in quo ultimæ sicut, & non aliaqua bonitate Personæ, propter quam se bonum existimet tali bono. At vero actus, quo alteri desidero beatitudinem, non ultimæ sicut in ipso bono concupito; sed ulterius tendit in dignitatem, & bonitatem Personæ, ex qua moveor ad volendum ei tale bonum; & sic hic actus est charitatis, amicitiae, & benevolentiae. Vide dicta loc. cit., & N. Mast. hic in fine.

26 Arguitur ultimò: ie Beatis non manet habitus fidei: ergo nec spei. Nego conseq. & paritatem: tum, quia habitus fidei nullum actum exercere potest in Patria; tum, quia fides in omnibus suis actibus dicit imperfectionem repugnantem statui beatifico: secus vero spes; nam licet imperfectionem dicat in actibus desiderij ratione absentiae objecti; secus vero in actibus intentionis, delectationis, & gaudij. = Sed hic notare volo, quod licet hæc teria conclusio satis probabilis appareat, forsitan stando auctoritati nostri Subt. Doct., maxime in 3. dist. 31. quest. unica, probabilior apparebit opposita. Et certe, si res bene perpendatur (ut jam monui ab initio huius questionis) lis apparebit de no-

mine ; quia tota ratio huius est , quod tentio , & gaudium de re asecuta manent in Bea-

tis , & hoc nullus aegat sed facilime negare poterit , quod hi actus sint virtutis spei rigurose sumptas .

DISP. V. ET ULTIMA

DE VITIJS SPEI OPPOSITIS.

Duo vitia contingere possunt contra virtutem Spei : unum per excessum ; non quod nimis speret ; sed indebito modo , quodquè dicitur „ Præsumptio : aliud per defec- tum , quodque „ Desperatio „ appellatur . De his ergo est hic nobis agendum . Quare sit

QUÆST. I.

*Quid , qualequé peccatum sit
Præsumptio ?*

PRÆSUMPTIO est du-
plex : una , quæ est
filia superbie , & est , qua inani
appetitu homo desiderat aggredi
aliquid supra suas vires . Et hæc
potest esse tantum peccatum ve-
niale , si est in materia levi ; vel
mortale , si fuerit in materia gra-
vi ; de hacquè in præsentि non

agimus . Alia , quæ est propria
huius loci , est spes obtinendi à
Deo gratiam , & gloriam , alia-
que dona super naturalia , aliter ,
quam Deus statuit eam dare , sci-
licet , vel ex propriis viribus , seu
per opera propria moralia , &
naturalia sine omni auxilio super-
naturali , sicut sperant Pelagianis
vel , sperando illam consequi ex
sola liberalitate , & misericordia
Dei sine ulla prorsus coopera-
tione nostra , ut dicant hæretici
moderni cum Luther . & Calvin .
Vel tandem , si aliquis statuit
persistere in statu peccati mor-

talis usque ad finem vitæ, præsumens, se pœnitentiam acturum in fine vitæ cum gratia Dei. De *præsumptione* ergo sic capta agimus in præsenti. Et

2 Dico r.: quod Præsumptio ex se est peccatum mortale contra spem theologicam. Est communis, & probatur: spes theologica inclinat, & dicit exspectandum à Deo infinitum bonum acquirendum per media, per quæ Deus ipse vult illud concedere; sed præsumptio ex quocumque capite procedat, desiderat illud bonum aliter, quam Deus vult illud dare, & illud a nobis desiderari: ergo *præsumptio* est grave peccatum oppositum spei. Unde Præsumptio est gravius peccatum, quam peccata contra alias virtutes morales; & etiam, quam peccata contra fidem; sed non est gravius peccatum, quam desperatio, aut odium Dei, ut postea dicemus.

3 Si autem queras, an præsumptio supponat semper peccatum contra fidem? sub distinctione respondeo. Si enim præsumens supponat, quod homo ex propriis viribus naturæ sine auxilio gratiæ supernaturalis posset consequi salutem, tunc est hæresis Pelagiana, & consequenter est contra fidem. Similiter si

supponit, quod salus nostra est Speranda à Deo, ita ut opera nostra nihil ad hoc conferant, tunc est hæresis Lutheri, & Calvinii, consequenterque hæc præsumptio est etiam contra fidem. Etiam, si quis ita præsumat de Dei misericordia, ut non credat, pœnitentiam sibi necessariam esse, sic quoque errat in fide, & hanc amittit, sicut & spem.

4 Si vero tandem ita præsumit, ut judicet, Deum in fine vitæ non defuturum sibi, sed daturum sibi gratias ad pœnitendum, & ad veniam peccati obtinendum, sicut fecit cum Latrone, tunc non errat propriè, nec videtur amittere fidem, nec spem; quia in hoc non peccat contra objectum fidei, nec spei. Peccat tamen graviter temerarié, & periculosisime, juxta illud Ecclesiast. 5.: ne dicas: miseratione Domini magna est, multitudinem peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim, & ira in illo citò proximant. Alia erga præsumptionem vide in Cassiis; nana dicta pro nunc sufficiunt.



QUÆST. II.

Quid sit desperatio?

1 **D**Esperatio enim supponit judicium, seu opinionem, vel apprehensionem intellectus de arditate vel impossibilitate consecutionis beatitudinis, aut applicationis mediorum, ex quo judicio oritur nolitio ipsius beatitudinis. Hoc autem judicium ex triplici capite oriri valet: primo ex falso iudicio de peccato, quod putatur irremissibile ex sua gravitate, multitudine, aut duratione: ex quo oritur induratio, & quedam necessitas, quam dum experitur peccator, desperat de venia, & refugit eam petere, sicut fecerunt Cain, & Judas. Secundo ex falso iudicio de Divina authoritate, bonitate, & misericordia Dei, quam putat peccator, se non posse mereri, & ideo desperat, & cessat exorare.

2 Tertio provenire solet ex Acedia erga Spiritualia, ob nimiam inclinationem in corporalia; seu clarus; quando quis apprehendit, seriam, & efficacem consecutionem beatitudinis esse sibi valde difficultem; quia contrariam suis voluptati-

bus; quas ita perdite amat, ut nolit eas deserere propter prosecutionem beatitudinis; ex quoque iudicio sequitur nolitio beatitudinis, ex nolitione appositionis mediorum pro ipsa consequenda; hoc iudicium, hicque modus desperandi est communis in multis, qui quamvis sciant, & credant sibi esse possibilem suam beatitudinem, si ipsi ve- lint cooperari cum gratia Dei; tamen ob Acediam, & difficultates, quas in prosequendo bono, & deserendis suis vitijs apprehendunt, a bonis operibus desistunt. Nunc ergo

3 Quæritur 1. : an desperatio consistat formaliter in aliquo ex illis iudiciis; an vero in nolitione subsecuta ad iudicium? Dico, quod licet desperatio supponat opinionem de difficultate, vel impossibilitate possidendi Deum, est tamen formaliter vitium voluntatis. Hoc probatur: desperatio est vitium oppositum spci: ergo pertinet ad voluntatem. Constat conseq.; quia contraria sunt in eodem subiecto; sed spes est in voluntate: ergo & desperatio. Unde sicut spes supponit actum intellectus proponentem voluntati Deum, ut summum bonum nostrum, & ut obtinendum per media opportuna, ex quo sequitur actus vo- Eee lun.

luntatis desiderans sibi tale bonum, & ponit media pro ipso, cum firma adhesione, & expectatione illud consequendi, in quo stat formaliter spes; ita desperatio supponit judicium de arduitate, vel impossibilitate applicacionis mediorum, & consequentis beatitudinis; ex quo oritur desitio; immo, & nolitio, in quo formaliter stat desperatio.

4 Queres 2. an desperatio sit gravissimum peccatum inter omnia peccata? Respondeo 1., quod desperatio ex sua natura est gravissimum peccatum. Prob.: desperans est impudentia, & resistens Spiritui Sancto; maxime si ex malitia oriatur; sed hoc est gravissimum peccatum, quod neque in hoc seculo, neque in futuro remittetur, juxta dictum Mach. 12.: ergo &c. Deinde illud est gravissimum peccatum, quod appetit viam omnivitio; sed tale est desperatio: ergo est gravissimum peccatum.

5 Respondeo 2. desperatio est gravius peccatum, quam peccata contra fidem. Est communis quoad omnes partes. Prob. quoad 1.: illa peccata sunt graviora, quorum opposita sunt perfectiora; sed oppositum desperationi, quod est spes supernaturalis, est nobilior, quam

oppositum peccatis contra virtutes morales; cum virtutes theologicae nobiliores sint virtutibus moralibus; quia illarum objectum est Deus, & eterna beatitudo: ergo peccatum desperationis gravius est peccatis contra virtutes morales.

6 Prob. 2. pars: magis videtur offendere divinam bonitatem, qui de ea desperat, quam qui in ea sola sperat; cum presumptionio superexalte illam, licet modo, & ordine indebito; desperatio vero eam minuat; sed maior irreverentia sit divinae bonitati eam minuendo absolute, quam absolute eam superexaltando; quis miserationes ejus super omnia opera ejus: ergo &c. Confirmatur; Spes mediat inter presumptionem, & desperationem, sicut liberalitas inter misericordiam, & prodigalitatem; sed maior irreverentia fieret Principi liberalissimo, si judicaretur misserrimus, quam si haberetur ut prodigus; cum primum recedat absolute a liberalitate: & secundum excedat, ergo &c.

7 Prob. 3. pars, scilicet, quod desperatione sit gravius peccatum, quam peccata contra fidem; quia desperatione ex se pertinet ad voluntatem; heresis vero ad intellectum elicitive, licet imperative ad voluntatem.

Iuntatem: sed actus voluntatis circa bonum sunt nobiliores, quām actus intellectus circa verum: ergo actus voluntatis circa malum sunt deteriores, quām actus intellectus circa falsum, & consequenter desperatio est gravior, quam heresis. Confirmatur ex dictis quæst. 3. disp. 1. hujus num. 18. nam spes est perfectior virtus, quam fides: ergo & actus, qui opponitur spei erit deterior.

8. Respondeo ultimo: desperatio non est absolutè gravius peccatum, quam odium Dei, admisso, quod hoc sit possibile, de quo tractatu sequenti disp. ultim. Prob. odium Dei opponitur immediate charitati; sed ea sunt deteriora, quorum opposita sunt perfectiora: ergo cum charitas sit perfectior. Ipe, odium Dei erit gravius, quam desperatio. Confirmatur: odium Dei est inmediatè contra ipsum Deum in se, & secundum se; desperatio vero contra ipsum, ut nobis bonum, & commodum; sed detectabilius est, odio habere Deum in se, secundum se, quam effendere eum, ut nobis bonum, & commodum: ergo &c. Prob. min. laudabilius est, eum amare in se, & propter se, seu ex affectu justitiae, quam ut nobis bonum, & commodum: ex-

go ab opposito detectabilius est &c.

9. Quæst. 3. an desperatio semper supponat ergorem in fide? Respondeo, quod licet saepe; non tamen semper. Prob. 1. pars: desperatio potest esse talis, ut quis judicet, maiorem esse iniquitatem propriam, quam misericordiam Dei; sicut patet de Cain, qui postquam occidit Abelem, dixit; *maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear*: vel potest esse talis, ut desperet judicando, vel Deum non posse remittere illi tot peccata; vel nolle ea remittere; sed utrumque hoc judicium esset erroneum in fide; quia primus auferat à Deo omnipotentiam ad hoc; & secundum voluntatem, quæ expresse habetur in Saer. Scripta, ut constat ex illo Ezech. 18. *in in quacumque hora ingemuerit peccator, vita viriet.* & 33. *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur.* O. virat: ergo, &c.

10. Prob. 2. pars: potest quis desperare ex eo, quod ei non eveniat aliquid, quod maxime desiderabat juxta suam voluntatem, sicut sapè accidit ab aliis, & aliis viciis ex nimia tentatione suæ miteriæ, & fragilitatis: ex qua apprehensione se suspendunt laqueo, aquis suffocant se, aut precipitio tra-
Ecc2. dant

dunt : sed in istis sic desperantibus non adest aliquis error contra fidem, ut per se patet ; sicut nec in his , qui obrati multitudine peccatorum ab omni bona se abstinent: g. in his omnibus est desperatio absq; errore in fide
Vide dicta num. 2. hujus.

QUÆST. III. & ULT.

An casu, quo Deus alicui revelaret suam eternam damnationem, posset talis homo licite desperare de sua salute?

PLura sub hoc titulo scitu digna continentur. Primum : an sit possibilis casus , in quo Deus revelet alicui suam æternam damnationem ob sua peccata ; & hoc vel propter peccata præterita , & præsentia ; vel ob peccata futura ? Secundum : an hac suppositione admissa , ille homo , cui talis revelatio suæ damnationis facta esset , adhuc posset licite desperare ? Ut ergo has difficultates claritate possibili resolvamus , quæstiones in duas sectio- nes dividam.

SECTIO I:
An Deus possit alicui revelare suam eternam damnationem?

2 Circa præsentem difficultatem quamplures Theologi ex antiquis partem negativam tenent , pro qua citantur Div. Bonav. Altisidorensis , & alii. Communis autem Theologorum sententia affirmat , id posse fieri de potentia Dei absoluta ; non vero de ordinaria. Unde si talis revelatio fieret alicui , non esset capienda absolute , sed sub conditione , & comminatoria , uti facta est Nini vitis. Aliqui cum N. Vulpes tenent , talem revelationem posse fieri absolute de potentia ordinaria peccatori propter sua peccata præterita , non vero justo ob suum peccatum futurum , vel ejus impænitentiam finalem. Quid nobis tenendum per publicem conclusionem constabit. Sit ergo

PRIMA CONCLUSIO.

3 Potest Deus de sua potentia absoluta revelare alicui suam damnationem propter sua peccata præterita , vel ac tua

equalia, seria, & absoluta revelatione; non verò hoc fieri potest de potentia ordinaria. Conclusio duas habet partes. Prob. quoad 1. quod reprobus sit damnandus est quædam veritas à Deo certò cognita: ergo Deus poterit eam revelare, sicut alias veritates. Pto. 1. hæc conseq.: talis revelatio non est in trinsecè mala nec ex parte objec-
ti, nec ex parte hominis, cui fieret; nec denique ex parte Dei: ergo poterit Deus eam facere. Prob. antec. quoad 1. part. quia talis tevelatio esset de ob-
jecto justitiae vindicative conti-
nentis finalem sententiam debi-
tum peccatis: ergo ex parte ob-
jecti non esset intrinsecè mala,

4. Prob. idem antec. quoad
2. part. talis sententia non re-
pugnat homini illi intimari in
poenam suorum peccatorum: ergo nec esset intrinsecè mala
ex parte hominis, cui fieret illa
revelatio. Prob. tandem quoad
3. part. idem antec. Deus non
habet debitum differendi talem
revelationem usque ad alteram
vitam; quinimo ex multis ra-
tionabilibus causis posset Deus
hoc facere, scilicet, ad terrorem
& correctionem aliorum similium
peccatorū: ad ostendendam suam
infinitam justiam in peccatorum
punitione: & ad declarandam
gravitatem peccati, que tantam

merceretur pœnam: ergo nullo modo talis revelatio esset inten-
sece mala ex parte Dei,

5. Prob. 2. conclusio quoad eamdem partem: ex eo,
quod Deus revelaret reprobos suam damnationem propter sua
præterita peccata, nullum se-
quæretur inconveniens repug-
nans Deo: ergo. Prob. antec.
si aliquod sequæretur, esset, quia
repugnaret fœc infinitæ sapien-
tiæ, aut bonitati; sed non re-
pugnaret infinitæ sapientiæ, ut
constat ex dictis numer. ante-
ced. in probatione tertiaræ partis
antecedentis; nec alias repug-
nat divinæ bonitati: ergo &c. Prob. hæc pars min. ex tali
revelatione nullum per se se-
quitur peccatum, sed solum ex
malitia illius, cui fieret talis
revelatio: ergo &c. Prob. antec
talis homo posset, si vellet,
singula vitare peccata per ob-
servantium præceptorum; nam et
si beatitudinem sperare non pos-
set, non ob hoc sequitur ne-
cessariò sibi fore desperandum
prout desperatio dicit pecca-
tum: ergo &c. Constat: reuelatum est in Scripturis,
AntiChristum esse Filium perdi-
tionis; sed tempore AntiChristi
posset Deus revelare, hunc esse
AntiChristum: ergo & posset
hoc revelare ipsi AntiChristo.

6. Prob. conclusio quoad

2. part. hoc est, quod haec re velatio absolute sumpta nequeat fieri de potentia ordinaria. Po sito presenti decreto, Deus sicut omnibus hominibus hanc vitam, ut stadium, in quo ad salutis trayrium tendere possint; & ideo decrevit nulli in hac vita cursum hunc reddere impossibilem: ergo, quia haec providentia stante, nulli talis revelatio fieri potest; cum per talem revelationem, spes, & prosecutio salutis redderetur homini illi impossibilis. Unde si talis revelatio reperiatur facta in Scriptura, verba illa non sunt intelligenda in rigore, & omnino absolute, sed committatoriè, & omnino conditionali ter, sicut illa Ninive: *nisi pœnitentiam egeritis, omnes ful peribitis.*

Solvuntur argumenta.

7 Arguitur 1. contra 1. partem conclusionis: homo, cui revelaretur sua damnatio propter sua peccata præterita, teneretur sperare beatitudinem, & non teneretur, sed hoc implicat: ergo &c. Prob. mai.: in primis teneretur; quia adhuc esset in via, in qua tene ratur observare omnia præcepta; sed alias non teneretur; quia

ei est sublatum objectum spei, quod est beatitudo, ut possi bilis acquiri: ergo &c. Respon deo, neg. mai. quoad 1. part.; quia, quamvis ille hemo adhuc obligaretur ad alia præ cepta servanda, non tamen ad præceptum spei. Disparitas est; quia per talem revelationem non tolleretur objectum aliorum græceptorum, ac proinde posset se exercere circa illa; at vero tolleretur objectum spei, quod, est beatitudo, ut possi bilis acquiri; & sic non posset exerceri erga ipsam; cum om nis actus iupponat objectum, circa quod versatur.

8 Arguitur 2. talis re velatio repugnat bonitati divi næ: ergo &c. Prob. antec. talis revelatio esset causa multorum peccatorum, non solum des perationis, sed etiam aliorum: ergo &c. Prob. antec. posita tali revelacione, vix homo posset ali quid boni facere, & præceptum ullum servare: ergo &c. Resp. negando omnia antecedentia argumenti; quia ea revelatio ne non obstante, posset homo ille physicè non peccare, immo & moraliter; cum talis revelatio non tolleretur indifferentiam physicam voluntatis, nec aliquod ex divinis auxiliis, que alias da rentur ipsi ad non peccandum: & sic sufficerent, ut posset non peccare. Rep.

9 Replicabis: ex tali revelatione, homo ille impelle-
retur vehementer ad peccan-
dum: ergo aliquomodo esset
causa futuri peccati. Nego con-
seq. quia vehementer tentatus
est sic impulsus; & nihilominus
non ob hoc necessario peccat,
sed liberè. Deinde, stante revo-
lutione, homo ille haberet suf-
ficiens motivum ad non pec-
candum, scilicet, turpitudinem
peccati, bonitatem Dei, quam
numquam offendere debemus,
etsi certi essemus de nostra dam-
natione. Tandem; quia Deus illi
homini posset adhuc præstare
talia auxilia gratie, ut non ma-
gis determinaretur propter illam
revelationem ad peccandum,
quam si talis revelatio nullo mo-
do existeret.

10 Arguitur 3. contra
eamdem 1. part.: ex ipsa se-
quitur, posse aliquem damnari
sine peccato, sed hoc repugnat:
ergo &c. Prob. mai.: ponamus
casum, quod aliquis solum ob
peccatum desperationis sit dam-
nandus: hic homo, si ei re-
velaretur damnatio, damnare-
tur absque peccato: ergo &c.
Prob. antec.: posita tali reve-
latione, non esset in potestate
huius hominis non desperatio; cum
sublatum sit ei objectum spei: er-
go desperatio non esset in illo
peccatum; & consequenter dam-

naretur sine peccato. Respondeo,
negando sequentiam mai: & ex-
plico casum. Verum ergo est,
quod potest aliquis damnari ob
solum peccatum desperationis
commissum post revelatam dam-
nationem; sed quod alias com-
missum fuisset, eriam non facta
revelatione: & quod previssum
sunt committendum indepen-
denter ab ipsa revelatione; quia
predictus homo noluit adhibere
media necessaria ad salutem, hoc
est, observationem, præcepto-
rum; nam adhuc facta revela-
tione, potest Deus præbere ei au-
xilia; quia licet non teneatur talia
media adhibere ad consequen-
dam salutem, tenetur ea adhibe-
re ad peccata vitanda; & sic
talis homo non damnaretur abs-
que peccato.

11 Non vero potest po-
ni casus, quod aliquis sit dam-
nandus ob solum peccatum des-
perationis commissum occasio-
ne revelatae damnationis, quod-
que alias commissum non esset.
Ratio est; quia revelatio dam-
nationis supponit peccatum in
præscientia Dei prius ab homi-
ne commissum; cum propter
illud Deus hominem damnet.
Unde, implicat, quod posset ho-
minem damnare ob solum pecca-
tum commissum occasione re-
velatae damnationis; quodq; alias
non esset commissum; quia tunc
dam-

damnatio præsupponeret peccatum; cum propter illud prævissim in homine esset à Deo decreta damnatio: & non præsupponeret; quia in præscientia Dei non antecederet, sed sublequeretur decreeum damnationis, quod implicat.

12 Arguitur ultimo contra 2. part. conclusionis: Deus de facto revelavit suam damnationem Iude, ut patet ex illo Matth. 26.: *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur.* Et Joann. 17. coram discipulis suis appellavit Judas, Filiu perditionis. deinde: Joann. 8.: Christus Dñus. revelavit Pharisæis: *in peccato vestro morietur.* Tandem: Anti-Christus dictus est Filius perditionis: ergo poterit ei fieri talis revelatio de potentia ordinaria, sicut modo facta est universalis Ecclesiæ. Confirmatur: non repugnat, quod de facto fiat aliqui revelatio de ejus perseverantia in gratia; nam in probabili sententia sic facta fuit nostro Protoparentri Seraphico biennio antè suum obitum: ergo & potest fieri revelatio de damnatione alicui.

13 Respondeo, neg.; apt.; quia illa verba Matth. sicut & Christi Domini ad Pharisæos, solum fuerunt comminatio, ut ipsos à suis pecca-

tis retraheret. Et quamvis verba Joann. de Juda videantur absoluta; non tamen fuerunt dicta ipsi Judæ, sed reliquis Apostolis, cum quibus iam Judas non erat. Ad illud de Anti-Christo, nego conseq.; quia et si revelatus sit ut filius perditionis in communis Ecclesia; non tamen sibi potest fieri de potentia ordinaria; et si ab aliquo homine ipsi manifestaretur talis revelatio, non teneretur eam credere. Ad confirmationem, nego conseq., et patitatem; nam revelatio æternæ salutis alicui est magis consentanea divinæ bonitati, & sapientiæ, quam revelatio damnationis, ut satis constat ex dictis.

Secunda conclusio.

14 Deus de potentia absoluta potest homini justo velare suam damnationem propter sua peccata futura, ve impunitentiam finalē. Est contra Coninchium. Prob. conclusio: talis revelatio non repugnat nec divinæ bonitati nec infinitæ sapientiæ, nec Dei justitiæ: ergo. Prob. antec. quoad i. partem: eo, repugnaret divinæ bonitati, quia homo ille esset paratus ad peccandum; sed

Sed hoc est falsum : ergo &c.
Prob. min. : non obstante revelatione, homo ille haberet sufficientissimum motivum non peccandi , scilicet , Dei bonitatem super omnia diligendam : turpitudinem peccati : & maiorem poenam infugendam pro tali peccato; quare si cum his motivis peccareret , hoc ex sua malitia fieret , juxta illud Hieremias 8. confusi sunt, qui abominationem fecerunt; quinimo confusione non sunt confusi , & erubenter neficerunt : ergo non repugnat divinae bonitati talis revelatio..

15. Probatur eadem min. quoad 2. part. ; nam ad hanc revelationem faciendam posset Deus habere justas , & rationabiles causas relatas in probatione 1x conclusionis num. 3. huius. Et ultra , ut alij cum tremore , & timore propria operentur salutem ; dum vident , etiam justos a justitia cadere , & aeternam damnationem incurrire posse; ideoque aiebat Apostolus : qui stat , videat , ne cadat ergo non repugnat talis revelatio divinae sapientia. Prob. eadem min. quod 3. part. : et si talis pena non sit debita iusto de praesenti, est tamen debita viæ status futuri ; & quamvis esset contra justitiam anticipare poenam aeternam , qua hominem ponit

extra statum viæ; non tamen est contra justitiam anticipare manifestationem poenæ , ante culpam commissam , quado culpa est certo futura ; & maxime si fiat ob rationabiles causas immediate assignatas : ergo nec repugnat divinae justitiae revelatione damnationis ob peccata futura , vel finalem impenititiam.

Solvuntur argumenta.

16. Arguitur 1. : repugnat divinae bonitati revelare maximam poenam , quam justus non meretur : & hominem amicum , Filium adoptivum pro parenti , constitueret extra Sphaera salutis , & in mortali necessitate à beatitudine in perpetuum excedendi : ergo &c.. Pto. antec. implicat. Deum odio habere , quem amat amore amicitia supernaturalis ; sed ex tali revelatione Deus odio habet justum; quia non potest esse maius signum odij , quam aliqui decerpere , & intimare suam damnationem , & separationem aeternam amicitię ergo repugnat divinae bonitati &c.

17. Hoc argumentum quod est fundamentum Connini , chij , ipsum & urget , quod si

Fff.

ostendo; stante casu possibili, quem ipse adiuit, de illo, qui de suis peccatis posuit de novo justificari, perseverante tamen revelatione sue damnationis; nam postquam peccator est justificatus, est amicus, & filius Dei adoptivus, eique debetur gloria ex vi praesentis status, non minus, ac debita est justo antequam nullum committat peccatum. Nunc sic; sed tali revelatione perseverante, talis homo amicus, & filius Dei adoptivus esset extra omnem speiem salutis; Deusque ipsum odio haberet: ergo idem sequeretur inconveniens. Respondeat, & erit nostra responso.

18 Respondeo tamen negando antec.; quia sufficit, ut ille talenti poenam sit meriturus propter peccata futura, propter quae illa infligitur; alias nec Deus ab eterno potuisse velle damnationem reprobis; cum actu eorum peccata non fuerint posita. Sufficit ergo quod actu sint ponenda: & sic quamvis iusto poena non sit debita vi praesentis status; debitam tamen est vi status futuri. Nec illi talis poena infligitur proper statum praesentis amicitiae; sed propter futurum inimicitiae. Nec talis revelatio dicenda est poena inflicta ante commissionem culpam; sed potius intimatio, & manifestatio poenæ, quæ, dum culpa

est certo futura, non dedecet honestati divinæ, ut fiat, ob alias rationabiles causas.

19 Nec tandem verum est, jutum ex tali revelatione moraliter necessitari ad peccandum; quia, ut supra dixi, facta tali revelatione, adhuc homo posset sua libertate non peccare; nam quamvis de facto vehemens tentio impellat voluntatem ad peccandum, tamen, ea non obstante, adhuc homo liberè peccat, & potest non peccare; cum juxta omnes, gravis tentatio non inducat sufficientem moralem necessitatem; immo in nostro casu homo ille haberet sufficientia motiva jam relata non peccandi: ergo tale peccatum est absolute vitabile; solum ergo esset necessitatus ex suppositione, quam ipse homo tollere poterat.

ago 20 Arguitur 2. ex Damasc. lib. 2. de fide cap. 29. nequit Deus ex sua voluntate antecedenti velle ea, quæ nobis absolute mala sunt, maxime si sint causa desperationis, & damnationis; licet hoc velle possit voluntate consequenti ob causam à nobis prius datam; sed predicta revelatio est simpliciter mala ei, cui fit; quia admittit ei omnem potestatem sperandi, & est gravissima occasio desperandi, & aliorum pec-

tatorum : ergo nequit Deus alicui facere talem revelationem, nisi accepta occasione ex ipsius peccatis. Resp. concessis, præmissis, negando conseq.; quia minime ex tali revelatione sequeretur, quod Deus ex se, & voluntate antecedenti vellet ea, quæ nobis absolute mala sunt, ante ullam causam à nobis datam.

21 Ratio est ; quia ad hoc, ut non dicatur, Deum sic velle; non requiritur, ut causa sit actus posita ; sed sufficit, ut certio sit ponenda ab illo, cui facta esset revelatio ; alias Deus ante commissa peccata vellet reprobis aeternam damnationem ; siquidem talis voluntas in Deo antecedit peccata reproborum actu commissa: ergo, quia prævidit Deus peccata reproborum absolute futura, potuit absolute velle illis aeternam damnationem, antequam reprobri actu in re peccent ; quin ex hoc sequatur, quod voluntate antecedenti illis vellit, quæ eis mala sunt. Sic ergo similiter poterit ante peccata actu commissa alicui manifestare suam damnationem per hoc, quod prævidit sua peccata actu futura absolute.



SECTIO II.

Quid in hoc casu talis homo facere posset, & deberet?

22 Circa istam difficultatem varie sentiunt A. A.; quidam cum N. Vulpes, dicunt, quod adhuc teneretur sperare. Alij. quod non teneretur sperare beatitudinem; tamen licet non posset desperare de ea: sic Aretinus noster cum alijs Thomistæ docent, quod posset desiderare, & concupiscere beatitudinem, non tamen illam sperare sub praecerto talis virtutis. Alij dicunt, quod hic homo licet desperare posset, prout desperatio dicit tantum nolitionem beatitudinis; sic Suarez cum pluribus Jesuitis; & ex nostris Pontius, & aliqui Scotistæ.

23 Noster vero Marsilius hic cum distinctione procedit; nam vel revelatio illa certa, & absoluta facta est hominini propter sua peccata præterita, quæ Deus, nec remisit, nec remittere statuit : vel facta est homini propter peccata futura, quæ libere facturus est si primo modo fiat; tunc cum communis sententia tenet hominem illum non teniri ad sperandam beatitudinem; immo nec posse illam sperare; pos-

set tamen sperare auxilia gratiae ad cavenda nova peccata. Si vero revelatio fiat ob peccata futura, posset adhuc ille hominem sperare beatitudinem, & media ad illam: & sic licite, & impunè desperare non posset. Contra hunc modum dicendi Mastrij sunt quamplures Scotistæ; novissime Krisper, Gonzalez, & alij. Quid nobis tenendum per sequentes conclusiones constabit. Sit ergo

Prima conclusio.

24 Ille homo, cui fieret à Deo revelatio absoluta de sua damnatione propter sua peccata præterita, non posset, nec teneretur rationabiliter sperare beatitudinem: immo licite, & impunè desperare posset. Et contra primum, & secundum modum dicendi, Prob. tamen i. quoad i. part. ex Subt. Doct. in 3. dist. 28. quest. unic. §. de primo, & de tertio, dicente: non enim debeo summè diligere me, velle diligi ab aliquo, cuius dilectio non est illi grata, & à quo non vult diligi: ergo à pari, nec potest, nec debet aliquis sperare beatitudinem, quam Deus non amplius vult dare, nempe, facta revelatione propter sua peccata præterita. Conseq. inferitur; si enim habitus charitatis, juxta Scotum, non potest inclinare ad amorem no-

litum à Deo; cù sit extra charitatis objectū; sic etiam nec habitus spei ad beatitudinem nositā à Deo.

25 Prob. 2. conclusio quoad eadem i. part.: actus spei non est qualemcumque desiderium alicuius boni, sed seria, & efficax prosecutio boni desiderati possibilis; sed reprobus certus divina revelatione absoluta de sua damnatione propter sua peccata jam præterita non potest habere talem actum efficiacem de sua beatitudine: ergo nec posset rationabiliter sperare propriam beatitudinem. Major discursus constat; quia actus spei fertur in bonum desideratum, non solum tamquam in bonum possibile acquiri; sed tamquam in bonum saltim probabiliter acquirendum: & sic est efficax intentio finis dicens ordinem ad electionem mediorum. Prob. min. discursus, in casu talis revelationis tollitur objectum spei, quod est beatitudo ut possibilis acquiri; sed sublatu objecto, nequit ponii actus; cum omnis actus supponat necessario objectum circa quod versetur: ergo reprobus divina revelatione certus &c.

26 Confirmatur i.: ad impossibile nulla est potentia nullus. quæ tenetur; sed homin, certificato de sua damnatione propter sua peccata præterita, bea-

beatitudo est impossibilis : ergo nec tenetur, nec potest eam sperare. Conseq. inferritur ; quia objectum spei debet esse saltem possibile. Maior est maxima Theologotum. Prob. min. : decretum absolutum & efficax Dei est omnino immutabile : ergo stante revelatione facta reprobo de decreto absoluto Dei, quod Deus non decrevit remittere ipsi sua peccata præterita, relinquentendo illum sine omni misericordia, beatitudo est illi omnino impossibilis. Conseq. patet, nam ex ipso, quod peccata sunt præterita, non sunt amplius in potestate nostra : & illo decreto supposito, nec in potestate illius hominis esset, illa peccata præterita revocare, vel per pœnitentiam retractare; sed totum hoc requiritur, ut beatitudo esset illi possibilis acquiri: ergo cum totum hoc deficiat, beatitudo redditur impossibilis.

27 Confirmatur 2: nos non possumus sperare beatitudinem Anti-Christo, eo, quod Ecclesiæ revelatum est, ipsum esse Filium perditionis, & damnandum : ergo idem dicendum est de homine, cui propter sua peccata præterita facta esset revelatio certa, & absoluta suæ eternæ damnationis. Totum hoc consonat cum doctrina Mag.

Pat. Aug. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 24. ubi ait : si Ecclesia certitudinaliter sciret, qui sunt reprobri, & damnandi, non plus pro illis oraret, quam pro Diabolo. Nunc sic; sed nec de salute Diaboli, nec damnatorum potest haberi spes, nec ipsi eam habere possunt, ut dictum manet disp. 4. quæst. 1. huius, num. 3.: ergo nec ille, cui facta esset talis revelatio possit eam habere.

28 Notandum tamen est hic maximè, quod ex rationibus usque aductis non statim sequitur, quod ex eo, quod homo non teneatur, aut non possit sperare beatitudinem, manet necessitatus ad actum desperationis. Ratio est; quia facta tali revelatione, adhuc manet liber libertate exercitiū ad actum desperationis; ita ut possit suspendere illum actum desperationis, & possit se negative habere, scilicet, non sperare. Quid ad specificationem vero manet necessitatus; ita ut si vellit elicere actum circa beatitudinem, non posset elicere alium, quam actum desperationis. Notetur hoc bene. Nunc vero

29 Prob. conclusio quoad 2. part. scilicet, quod in tali casu posset homo illicite, & impunè desperare. Qui nullo modo obligatur ad ali-

aliquem actum eliciendum, potest licite, & impunè velle, eum non elicere; sed ille, cui facta esset revelatio absoluta suæ aeternæ damnationis propter sua peccata præterita, quæque Deus non vult remittere, nullo modo obligatur ad sperandam suam beatitudinem, ut ex 1. parte conclus. constat: ergo potest possitie eam nolle sperare; sed nolle sperare beatitudinem, est proprio de desperare de ipsa: ergo posset talis homo licite, & impune desperare. Maior 1. discursus constat; quia tali suppositione facta, non esset, cur obligaretur ad suspendendum omnem actum.

30 Ex hoc infert nos. M. Mastrius, quod homo ille posset desperare de Dei misericordia. Tum, quia si Deus illi revellasset, quod absolute vellet ipsum punire propter peccata præterita, illumque deterere sine omni misericordia; certo deberet credere, se nullam misericordiam a Deo consecuturum: ergo de illa consequenter desperare posset. Tum, quia, suppositione facta, nulla esset ratio per se mali; quamvis desperatio ex se mala sit. Parificatur in eo, cui fieret absolute revelatio de non consequenda sua salute corporali; hic certo de ipsa posset absolu-

te desperare: ergo pariter dicendum venit in praesenti de salute spirituali.

Solvuntur argumenta.

31 Arguitur 1. contra 1. partem conclusionis: stante tali revelatione facta reprobo propter sua peccata propria præterita, non negarentur illi auxilia ad salutem sufficientia; sed sub eis maneret ei salus possibilis: ergo teneatur, & posset sperare beatitudinem. Resp. negando mai. nam propter peccata præterita supponimus, Deum tali homini jam revelasse, se in posterum non amplius præstirum ei misericordiam. Unde non manet locus sperandi media, & auxilia ad impenrandam veniam, & ad beatitudinem consequendam; sed sed tantum posset sperare auxilia ad cavenda nova peccata, vel ad observationem reliquorum præceptorum, quæ non essent illi observatu impossibilia, sicut esset præceptum affirmativum spei.

32 Replicabis: talis homo non esset extra statum viæ: ergo teneretur beatitudinem sperare. Resp. distingendo antec. talis homo non esset extra statum viæ secundum portionem inferiorem, conc. antec.

ser.

Secundum portionem superiorem, nego antec. & conseq. quia in eo casu, ut ait Noster Mastrius; ille homo desineret esse ex parte Viator, hoc est ex parte posteriori esset extra statum viæ; quia non posset amplius ad suum finem contendere; quamvis forte posset sibi mereri gratiam temporalem, vel mitigationem majoris poenæ aeternæ per observationem aliorum præceptorum.

33 Arguitur 2. talis homo non posset nolle beatitudinem: ergo saltem posset eam sperare. Prob. antec. bonum, quod nullam habet rationem mali, non potest esse nolitum; sed beatitudo est tale bonum: ergo, &c. Resp. disting. antec. talis homo, &c. si non cognoscat beatitudinem sibi impossibilem, conc. antec. : si cognoscat propter justissimum Dei decre-
tum, nego antec. & conseq. & disting. mai. probationis: bonum, quod in se &c. non potest esse nolitum in se, conc. mai. non potest esse nolitum cognitum ut impossibile alicui, nego mai.; & concess. min. in hoc sensu, nego conseq. Itaque homo ille non nollet beatitudinem in se, sed tantum quatenus certò cognosceret, ipsam esse sibi impossibilem acquiri.

34 Replicabis: ergo in eo instanti, quo Deus diceret huic homini: si instanti A non

elicias actum spei, damnaberis, haberet potentiam proximam sperandi pro eodem instanti, quo ipsi revelaretur sua damnatio. Prob. conseq. in illo instanti A si hic homo non speraret, ei esset revelata sua damnatio; sed in illo instanti A debet posse sperare; alias Deus non posset dicere si in instanti A. &c. immo nec posset damnari propter omissionem actus spei, si talis actus non omittetur libere; cum pro tunc nullum supponatur peccatum, propter quod possit damnari: ergo &c.

35 Respondeo, negando conseq.: ad probat. distinguo min.; sed in illostanti A. deberet posse sperare, stante revelatione damnationis pure conditionata, conc. min. *absoluta*, nego min. et conseq. omisio ergo actus spei est conditio, qua posita, revelatio conditionata damnationis transitet in absolutam. Unde facta absoluta ex omissione actus spei, non potest homo amplius sperare in illo instanti, maximè in sensu compagno omissionis beatitudinis; licet posset sperare in sensu divisorio omissionis, & permanente conditionata revelatione damnationis, quæ quidem per actum spei posset impediri.

36 Arguitur 3. contra 2. part. Conclusion: homo ille in illo casu non

non posset licetē desperare : ergo &c. Prob. antec. desperare est intrinsecē malum : ergo nequit licetē fieri. Prob. antec. desperare derogat divinæ misericordiæ, quasi hic, & nunc non posset, & aut nolle hominem salvare : ergo. Resp. negando antec. & antec. probationis, & probationem hujus ; quia sine ullo defectu suæ bonitatis, et misericordiæ posset Deus alicui homini adhuc viventi ob gravissima ipsius peccata, in alia prudenter, nolle dare sufficiencia auxilia, ut à peccatis resurgat ; idque ei revelare, prout de facto contingit in damnatis, quo casu talis homo sine ulla injuria divinæ misericordiæ, vel derogatione ipsius judicaret, salutem esse sibi hic, et nunc impossibilem, et ut talem eam desperaret.

37. Arguitur ultimo: non possumus licetē nolle beatitudinem ; quia contemneremus Deum ; quod numquam licet ; sed hoc faceret homo ille per desperationem : ergo &c. Respondeo distinguendo mai. non possumus licetē nolle beatitudinem. *temptive*, conc. mai. : *appetitivæ*, nego mai. : inversis terminis distinguo mihi, & nego *conseq.* Quamvis enim nequeat quis nolle beatitudinem eam

contemnendo ; quia cum beatitudo nostra consistat in possessione, & fruitione ipsius Dei ; ideoque qui eam contemnit, etiam implicitè Deum contemnit, quod numquam licet : potest tamen quis nolle eam appetere, ut pote in pœnam peccatorum à Deo sibi sublatam ; & sic non tantum licet, sed actu virtuoso potest possit nolle beatitudinem ; quatenus in pœnam suorum peccatorum justè à Deo privatur ipsa.

Secunda conclusio.

38. Justus cui fieret revelatio absoluta de sua damnatione propter peccata futura ab ipso committenda liberetur, non posset, aut teneretur rationabiliter sperare suam beatitudinem : immo licet, & impunè posset eam desperare. Conclusio hæc est contra nostrum Mastr., & aliquos Scotistas. Prob. quoad 1. part. : homo, cui fieret à Deo revelatio suæ damnationis propter peccata præterita non potest, nec tenetur sperare beatitudinem, juxta Mast. : ergo nec justus, cui fieret absoluta revelatio propter peccata futura. Prob. conseq. : non minus infallibile est

decretum absolutum reprobationis factum intuitu peccatorum præteriorum , quæm intuitu futorum ; sed vi talis absolutæ infallibilitatis non potest , nec tenetur sperare homo; cum fieret a Deo révelatio decreti absoluti de sua damnatione propter peccata præterita: ergo nec &c.

39 Maior constat; quia divinum decretum non est infallibile , quia de hac , vel illa re est : sed quia est ultima determinatio Dei. Min. etiam constat ; quia vi talis absolutæ infallibilis redditur beatitudo ut impossibilis acquiri, & tollitur objectum spei, prout in conclus. 1. probatum manet. Conseq. vero infertur , & amplius prob. : stante tali revelatione , non posset ille homo amplius efficaciter tendere in beatitudinem, ut possibilem acquiri , seu in illam , ut in bonum saltim probabiliter acquirendum, quod juxta Mast. requirit ad actum spei ; cuin talis actus non sit qualecumque desiderium boni , sed feria , & efficax prosecutio boni desiderati : ergo &c. Prob. antec. omnibus illis rationibus supra factis pro probatione 1. partis I. conclusionis.

40 Confirmatur : vel Deus potest justo revelare ab-

solutè , & serio suam damnationem propter peccatum futurum , vel non ? Hoc secundum non coi cedi: Mastrinus : & si concedatur , statim extra statum questionis ; sed primo stante, ille homo apprehenderet illud Dei decretum , ut efficax , & infallibile : ergo sicut stante simili decreto damnationis propter peccata præterita , non stat objectum spei & illo decreto non obstante , salvatur contingens libertatis creatæ ; sic similiter stante decreto efficaci damnationis propter peccata futura , non stabit objectum spei , & salvabitur libertas Personæ , cui fieret revelatio.

41 Prob. 2. pars conclusionis: homo , cui revelatur sua damnatio propter suum peccatum futurum , est tam certus de sua damnatione infallibiliter futura , ac ille , cui revelatur propter peccata præterita ; nam pro certo scit , se frustra ullum connatum exhibiturum ad procurandam salutem : ergo & que, ac ille posset licite desperare. Prob. conseq. : ille licite potest desperare , cui sperare est omnino inutile , & frustraneum; sed hoc accideret in nostro casu : ergo &c. Prob. min. : ad actum utilem spei debet ejus objectum proponi possibile , & probabiliter futurum ; sed in

prædicto casu hoc non eveniret; ergo &c.

42 Confirmatur; Deus, supposito tali decreto à se facto, non potest expectare hominis liberationem: ergo nec homo cognoscens hoc efficax decretum. Prob. conseq.: id ipsum, quod Deus cognoscit, & revelat homini, cognosceret ille homo; imo plus deberet credere Deo revelanti, quam sibi ipsi ex sua libertate rationcinanti; sed id cognoscendo Deus non potest sperare huic homini beatitudinem: ergo nec homo ipse poterit sibi sperare eam; & consequenter licet potest desperare.

Solvuntur argumenta.

43 Arguitur 1. pro Maistro: si Deus revelaret Paulum, quod esset occisurus Petrum, adhuc Paulus teneretur eum non occidere: ergo & si Deus revelaret Paulo ejus damnationem ob finale peccatum futurum, adhuc sperare tenebitur, & precavere peccatum finale. Nec valet, si dicas, quod per revelationem homicidij non tollitur libertas non occidendi, sicut nec per præscientiam; stante vero revelatione de damna-

tione, jam homo non manet liber ad sperandum; quia in illo non manet objectum spei, nec judicium de possibilitate beatitudinis. Non valet; quia Deus revelaret Paulo finalem impunitam, ac damnationem, in quantum ipse propria voluntate futurus est impunitens; non verò aliter; ergo quem maneret liber ad non committendum illud peccatum finale, quod est causa suæ damnationis; ac manet liber ad non occidendum, facta revelatione homicidij futuri,

44 Respondeo, parvatem stare in hoc, quod sicut Paulus, stante revelatione occisionis, tenetur non occidere, sic certificatus de damnatione tenetur non peccare finaliter, sed quia hoc peccatum ipse sua libertate infallibiliter est facturus; sicut ei præscientia divina revelat; ideo tenetur quidem omnem connatum adhibere, ut evitetur; quod tamen non contingit, sicut nec Paulus inevitacionem occisionis; quamvis teneatur non occidere; quia tollitur objectum spei, non vero objectum homicidii. Homo ergo ille maneret liber ad non committendum peccatum finale, sicut Paulus ad non occidendum, quod vult Maistrus; non tamen liber ad sperandum; quia revelatione damna-

nationis non tollit libertatem virtuosè agendi ; benè tamen libertatem sperandi ; eo quod judicet , objectum spei esse sublatum ex infallibili culpa libera ipsius. Unde in forma nego consequent. argumenti , & conc. totum Entyphmema , quod non est contra nos.

45 Arguitur 2. homo non potest licite desperare de sua salute , quandiu est in plena ejus libertate eam ponere , vel non ponere ; sed stante revelatione damnationis propter peccatum futurum , est in plena libertate hominis ponere , vel non ponere salutem : ergo &c. Prob. mai. non potest licite nolle prosequi salutem , quandiu obligatur ad eam prosequendam ; sed quandiu est in plena libertate hominis salus , manet obligatio eam prosequendi : ergo &c. Prob. min. si aliquid tolleret hanc obligationem , maxime esset illa revelatione ; sed haec non : ergo &c. Prob. min. implicat , quod aliquis damnetur non prosequendo salutem , nisi teneatur ad eam prosequendam : ergo facta revelatione de damnatione propter peccatum finale futurum , implicat damnari , nisi sit obligatus ad illud [peccatum] vitandum ; nam si non tenetur , quomodo damnabitur ?

46 Respondeo 1. inf-

tando argumentum : juxta adversarios , potest Deus revelare homini suam damnationem propter peccatum finale futurum , sed tunc homo ille esset obligatus ad tale peccatum vitandum , quod esset ei impossibile : ergo Deus peccatum finale futurum poterit homini revelare , cum obligatione ad impossibile ; sed hoc nullo modo dici valet : ergo dicere tenentur , vel quod Deus nequit revelare damnationem ob peccatum futurum ; vel quod , supposita tali revelatione ; homo debilitabitur à spe ; rando , & quidquid dicant respondebunt pro nobis.

47 Resp. directe distinguendo mai. homo non potest licite desperare , quandiu est in plena ejus libertate cognita ut tali pro omnistatu , conc. mai. cognita per Dei præscientiam intimantem se ipsam pro futuro necessariam ex loppositione sui liberi actus futuri ponendi ; ita ut non possit amplius ponere salutem , nego mai. & distinguo min. sed facta revelatione , &c. est in plena libertate hominis se pro præsenti non reducente ad peccatum futurum exclusivum beatitudinis , conc. min. : est in plena libertate hominis pro futuro se ipsam determinante ad peccatum , necelatio exclusivum beatitudinis , ne-

nego min. & conseq.

48 Iaque sicut de facto nos in meate Dei ab eterno iam summus objective determinati ad nostra peccata futura, quamvis de facto simus pro praesenti indifferentes ad ea ponenda, vel non ponenda; sic dicimus, quod facta illa certa revelatione, homo ille est de praesenti indifferentis ad peccatum necessario exclusivum beatitudinis; tamen pro futuro determinatus a se, & non in plena libertate ad peccatum exclusivum beatitudinis: unde ad probationem min., nego min., & ad huius probationem distinguo antec.: implicat, ut alius damnatur, non prosequendo salutem, nisi ad eam teneatur, si damnatur praeisse ob non prosecutionem, conc. antec.: si damnatur propter aliud peccatum, vel praeteritum, vel futurum, nego antec. & conseq. Vide dicta sect. i. huius argum. 3. num. x. & xi.

49 Arguitur 3.: sicut homo ille non haberet peccatum in non sperando; quia certo, & infallibiliter est ei revelata damnatio; ita nec haberet peccatum futurum; quia certo, & infallibiliter revelatur tale peccatum saltem implice; eo ipso, quod propter

peccatum futurum revleatur ei absolute certo, & infallibiliter esse damnandum: ergo sicut ex tali revelatione non tenetur vitare desperationem, ita nec tenebitur vitare peccatum futurum. Nunc sic: sed hoc nequit dici; alias damnabitur sine peccato, & obligatione ad ipsum vitandum: ergo &c.

50 Respondeo negando antec.: disparitas est; quia ideo homo ille non sperando non habet peccatum; quia ex justa voluntate Dei tollitur ei objectum spei: & sic sine culpa desperandi, desperaret. At Deus peccatum futurum revelaret homini dependenter a culpa eius libere ponenda; cum Deus ei non subtrahat concursum ad non peccandum, si veller homo non peccare; sed solum certo subtrahet, quia certe homo libere volens, peccavit. Hinc ergo est, quod homo ille semper teneatur vitare illud peccatum finale; quamvis sit ei infallibiliter revelatum; quia ei est revelatum cum obligatione, qua tenetur vitare. Unde cum hac obligatione, numquam libere observaverit, sed respuerit in tempore fureo, hinc peccabit, & damnabitur.

51 Arguitur ultimo; peccatum est causa damnatio-
nis tollentis beatitudinem spe-
randam ; sed peccatum potest
poni : ergo & similiter damnatio ; & consequenter beatitu-
do potest ponи, vel non ponи.
Nunc sic; sed beatitudo ponib-
ilis est objectum spei : ergo
semper manet. Respondeo dis-
tinguendo min. ; sed peccatum
potest ponи vel non ponи in *sen-
su diviso* futurae determinatio-
nis , & revelationis, conc. min.:
in *senso composto* talis determi-
nationis , & revelationis , nego
min. Eisdem terminis distin-
guitur conseq. subillatum. Om-
nia hęc pendent ex his quę

docentur in 1. sententiatum, &
in tom. 2. Cucus huius alio
Provinciæ agendo de prædictis.
& reprobation., quæque pro
hac difficultate recolenda sunt.
De qua ingenuę fateor, quod fa-
tisardua est, scrupulisq laborat.
Unde melius assentire Maf-
trio, si absolute doceret, quod
Deus nec de potentia sua abso-
luta posset absolute revelare
alicui suam æternam damnatio-
nem; sed quia hoc concedit cum
communi Theologorum ; in
consequens mihi viuum fuit
ipsi assentiri in præsentí con-
clus quod satis ex dictis con-
stat. Dictaque sufficient pro hoc
Tract.

TRACT.



TRACT. VI.

DE CHARITATE THEOLOGICA.

Charitas ergo virtus theologica necdum maior, & perfectior fide, & spe theologicis, sed omnium virtutum forma, & vita est; sine ipsa enim alię informes, & mortuæ sunt. Quapropter merito à S. S. P. P. corona, & Regina omnium virtutum nancipatur. Per fidem Deum cognoscimus tamquam per speculum: per spem Deum querimus: per charitatem vero Deum tenemus, & amplectimur: illæ in Cœlo evacuabuntur; hæc autem numquam excidet. De hac ergo virtute in præsenti tractagemus; quem sicut, & præcedentes, in Disputationes dividemus, hæque in varias quæstiones secabimus. Sit ergo.

DISP. I.

DE CHARITATE HABITUALE.

Licer, ut de fide supponatur, dari charitatem habitualem, quæ virtus supernaturalis, & theologica sit; tamen circa ejus naturam, & quidditatem aliqua scitu digna sunt; pro quorumque brevi declaratione, sit.

QUÆST. I.

An sit, & quid sit charitas habitualis Theologica?

I PER charitatem theologicam habitualem

intelligimus hæbitum supernaturalem, & infusum à Deo facientem hominem amicum, & filium Dei adoptivum, hæredem regni æterni, inclinan-

que ipsum ad amandum Deum propter se , & super omnia; sed de hoc habitu queritur inter Theologos : an detur? Unde quæ hoc constet , & ex suppositione quod detur ; quid sit an aliquid increatum : an vero creatum? Et quamvis resolutio quoad 1. partem satis constet ex dictis Disp. 7. quæst. 1. Tract. de fide , ubi ostenditur ex Scriptura , dari hanc virtutem, spem , & charitatem per modum habitus ; tamen breviter.

2. Dico 1. : licet naturaliter ostendi non possit, dari habitum infusum charitatis ; tamen ex fide sufficiet ostenditur. Prima pars conclusionis constat ex eo , quod nulla ratio naturalis hoc efficaciter ostendit nec a priori, nec a posteriori : imo diu mansit problematica sententia de existentia huiusmodi habitus , ut constat ex Concil. Viennensi: ergo dari habitum infusum charitatis nulla ratione naturali ostendi potest Videatur N. Doct. in 3. dist. 3. quæst. unica §. ad quæst.

3. Prob. 2. pars conclus. ex Scriptura ; nam 1. ad Corinth. cap. 13. dicitur : nunc manent fides , spes , & caritas. Ubi per ly manent, denotatur permanentia habitus. Deinde Epist. ad Roman. cap. 5. dicitur ab aliup

ritus Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum , qui datus est nobis. Tandem Concil. Tridentin. Sef. 6. cap. 7. art: in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hac omnia simus infusso accipit homo per Jesum Christum , cui inscritur fidem spem , & charitatem. Sic communiter , & alij SS. PP. : ergo tamquam de fide tenendum est , dari habitum. Hoc & suaderi potest ratione congruentia, quam adducit Subt. Doct. proxime cit. pro habitu fidei , quæquidem æquas probat de habitu charitatis.

Dices tamen : haec omnia loca Sac. Script. , sicut & alia plura, quæ adduci solent, possunt , & debent intelligi de charitate actuali : ergo non probant de charitate habituali. Resp. negando antec.: nam authoritas Pauli nunc manent , non potest aptari actibus ; cum permanere proprie competit habitibus. Deinde charitas repetitur in infantibus ex quo baptizantur ; sed isti sunt incapaces actuorum , sicut , & amentes , & dormientes : ergo authoritas Concilij Trident. respectu istorum nequit intelligi de charitate actuali. Tandem quia haec veritas convincitur ex Conc. Vienensis sub Clement. V. uti conformio Sac. Script. SS. que P.P. Quoad

5 Quod 2. questionis part., sciendum est quod communiter tribuitur Magistro Sentent. in 1. dist. 17., quod asseruerit, charitatem non esse aliquid creatum, sed esse ipsum Spir. Sanctum creatorem, qui per se immediate absque aliquo medio creato sit in nobis immediatum principium dilectionis Dei. Verum N. Doct. sua assuetam modestia in eadem dist. quest. 2. ipsum pie excusat, dicens: Magistrum ponere Spiritum Sanctum inhabitantem animam justi, & ut sic perficit potentias habitibus supernaturalibus, duas, quidem, intellectum, & voluntatem fidei, & spei, ad credendum, & sperandum; sed voluntatem nullo habitu ad amandum, quam isto per quem dicitur inhabita-re. Unde quod negat Magister, est, quod detur alius habitus distinctus ab isto, per quem spiritus Sanctus inhabitat animam justi, hoc est, distinctus ab habitu gratiae Sanctorum, sicut habitus gratiae est distinctus ab habitu fidei, & spei.

6 Sed quidquid sit de hoc (quod proprie ad expo-sitivos attinet) opinio contra-ria est omnino certa. Pro cuius resolutione noto, quod dum quaeritur: an charitas sit quid creature? ly creatum non sumitur in rigore, prout est ex

nihilo, seu ex nullo praesuppo-sito subiecto; sed prout crea-tum distinguitor ab increato, seu creatore ipso. Nota 2., chari-tatem habitualem posse sumi vel formaliter pro ipso dono, quod est formaliter charitas; vel efficiere, seu pro causa effectiva illius do-ni. Si hoc secundo sensu sumatur, certum est, charitatem esse quid increatum, scilicet, ipse Deus, qui solus est per se im-mEDIATE causa efficiens charita-tis. Difficultas ergo procedit de charitate formaliter sumpta. De quaque.

7 Dico 2.: charitas supernaturalis formaliter sumpta, qua voluntas nostra elevatur ad diligendum Deum super omnia, est aliquid creatum incistens, nobis, & nostrae voluntati in-habens. Habetur tamquam de-fidei, & habetur ex Subt. Doct. in 1. dist. 17. quæst. 2. & alibi. Prob. que ex Trid. fet. 6. cap. 7. ubi definitio justitiam ha-bitualem nobis inherenteri sic ait: hoc enim fit donum charitas Dei diffunditur in coramus eorum, qui justificantur, & in illis in-venietur. In justificatione enim in-fusa accipit homo tria hec, fidem, spem, & charitatem; sed per baptismum, de quo agit ibi Concil. accipit justificatus fi-dem, & spem sibi inherentes per modum habitus: ergo & quia

quia est quid creatum; alias non possit inhaerere anime.

8. Dices tamen 1. contra istam conclus. ex Ioan. cap. 4: *Deus caritas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*: ergo charitas est ipsemet Deus. Respondeo, Explicando antec.: Deus charitas est secundum se, & in se, conc. antec.: *respectiva ad nos*, subdivisus quo antec.: est charitas effective conc. antec.: formaliter, nego antec., & conseq. in sensu distinct. Unde charitas nostra non est ipsemet Deus formaliter, sed aliquis effectus illius, qui est similitudo, & participatio physica, aut moralis charitatis divinæ. Ob hoc ergo qui manet in charitate, in Deo manet, non quidem formaliter, sed per similitudinem, & participationem: & Deus manet in eo, non quidem per se immediate, sed medio dono creato, ratione cuius est in habente charitatem specialiori modo, ac in alijs rebus.

9. Dices 2. ex Magno Parent. Augustino lib. 15. de Trinitate cap. 17. ubi docet, quod Deus aliter dicitur charitas, ac dicitur fides, spes, patientia; nam absolute dicitur charitas; fides, spes, & patientia cum hoc addito, nostra; sed ratio huius differentiae est; quia

Deus in se est formaliter charitas, & non tantum effective; non vero est in se formaliter fides, spes, & patientia, sed solum effective: ergo quia Deus est formaliter charitas. Confirmatur: juxta eundem Sanctum Doct. cit. Deus est charitas, sicut est spiritus, & vita; sed est Spiritus, & vita formaliter, & non causaliter tantum: ergo &c.

ro. Respondeo distinguendo mai.: Deus aliter dicitur charitas, ac dicitur &c. respectu sui, conc. mai.: respectu nostri, nego mai., & min. Itaque Deus respectu nostri est tantum effective, & non formaliter charitas, sicut tantum effective est fides, spes, & patientia. Respectu vero sui aliter est charitas, quam fides, & spes; quia charitas est formaliter; cum conceptus charitatis sit perfectio simpliciter simplex; at vero respectu sui solum virtualiter, & eminenter, est fides, & spes. Eodem modo responderetur ad confirmationem; nam spiritus, & vita est perfectio simpliciter simplex, sicut charitas, & bonitas. Unde non solum causat in nobis spiritum, vitam, & bonitatem, sed ipse est formaliter spiritus, vita, & bonitas: & sic idem dicendum venit de charitate:

11. Dico 3. : charitas
Hhh. est.

est virtus theologica distincta à fide, & spe, per quamque elevamur, & inclinamur ad diligendum Deum propter se ipsum, & proximum propter Deum. Est communis, & explicatur: dicitur virtus; quia facit habentem bonum, estque bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & qua nullus male utitur. Et hæc est ratio generica, per quam convenit cum omni virtute, tam morali, quam theologica. Dicitur theologica; quia habet omnes conditiones ad virtutem theologicam requisitas. Vide dicta Tract. antec. Disp. I. quæst. 3. num. 3. Dicitur distincta à fide, & spe; ut constabit ex di- rendis de ejus objecto, & ex particulis sequentibus. Dicitur, per quam elevamur, & inclinamur &c., quæ est ultima differentia huius virtutis ab alijs, & singulariter à spe; nam hæc diligit Deum amore concupiscentiæ; charitas vero eum amat propter se ipsum absque reflexione ad nos ipsos, seu amat amore puræ amicitiæ.

12 Totum hoc constat ex Subt. Doct. in 3. dist. 27. quæst. I. §. in ista quæst. ubi ait: quod virtus (scilicet charitas) distincta est à fide; quia actus ejus non est credere, similiter à spes quia actus ejus non est concupiscere

bonum amanti, in quantum est commodum amantis, sed tendere in objectum secundum se, etiam si per impossibile circumscriberetur ab eo commoditas ejus ad amantem. Hanc virtutem affectivam perficientem voluntatem, in quantum habet affectionem justitie, voco charitatem. Hęc Subt. Doct.

13 Dicitur, ad diligendum Deum propter se ipsum; per quod ostenditur ratio per se motiva, & distinctiva charitatis à reliquis virtutibus, sive moralibus, sive theologicis; nulla enim alia inclinat per se intrinsecè, & essentialiter ad hoc, nisi sola charitas. Denique dicitur, & proximum propter Deum; tum ut denotetur objectum secundarium materiale charitatis, de quo postea: tum quia ratio formalis propter quam debet diligere proximus ex charitate supernaturali, & infusa non est bonitas propria ipsius; hæc enim ad summum pertinet et ad charitatem naturalem d' est bonitas prout dicit ordinem, & attributionem ad ipsum Deum, tamquam ad principium primum, & finem ultimum illius. Unde si per impossibile non esset, nisi unus homo, adhuc salvaretur charitas supernaturalis essentialiter, cuius per se objectum est ipse Deus; & tamen non esset di-

dilectio proximi per negationem
suppositi.

14 Ex his ergo, charitas habitualis (de qua in praesenti; nam de actuali disp. 2. huius agimus) sic potest definiri: *est quid creatum intrinsece inherens anime per modum formae seu habitus elevans illam ad esse supernaturale, & ad filiationem adoptivam Dei, ejusque voluntatem ad diligendum Deum propter se, & proximum propter Deum.* Sed ut omnis equivocatio tollatur; nota, quod est haec differentia: si charitas consideretur praecisissime, ut forma supernaturalis praescindens a formalitate habitus, sic dat formaliter animae, seu subiecto illam habenti esse filium adoptivum, haeredem gloriae, & consortem participativae divinae naturae, non quidem ex natura rei, sed ex ordinatione divina, ut manet dictum tom. 6. tract. 17. disp. 3. quæst. 1. per totam.

15 Si vero consideretur ut *habitus*, sic elevat voluntatem, & cum illa principium diligendi Deum, & proximum. Unde si per impossibile non haberet esse rationem *habitus*, adhuc posset esse forma supernaturalis elevans animam ad ordinem supernaturalem, reddensque illam consortem divinae naturae, & filiam adoptivam Dei. Sed tunc pertineret non ad primam spe-

ciem qualitatis, quæ est habitus; sed ad quartam, quæ est *forma*, ratione cuius habens illam dicetur formosus, & speciosus. Coeterum de facto pertinet ad primam speciem qualitatis (quæ est habitus); quia non solum habet decorare animam modo dicto, sed etiam esse principium per se diligendi Deum, & proximum, prout opportet ad salutem, & de condigno.

QUÆST. II.

An præter charitatem infusam admittenda sit charitas acquisita nos tris actibus?

I N duplice sensu potest præse-
ns difficultas agitari: primo, an ex repetitione actuum charitatis naturalis generetur aliquis habitus naturalis, quo facilitemur, & inclinemur ad diligendum Deum? secundo: an ex repetitione actuum supernaturalium media charitate habituali infusa elicitorum dignatur etiam aliquis habitus acquisitus? In utroque sensu ventilanda venit præfens difficultas. Sed ut hoc bre-

brevius, clariusque fiat.

2 Notandum est hic, posse dari amorem Dei naturalem. Hæc possibilis sufficienter ostenditur ex propositionibus damnatis à Pio V. & Gregor. XIII. in Michealem Bajo, cuius uia erat hæc : *distingatio duplicitis amoris, naturalis, quo Deus amat, ut Author naturæ, & gratuitus, quo Deus amat, ut beatificator, vanus est, & comunitia.* Alia, quæ est 77. est hæc : *amor naturalis, quæ ex viribus nature exquiritur, ex sola philosophia per relationem presumptionis hominum, cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.* Sed ex falsitate harum propositionum evidenter sequitur, esse possibilem amorem Dei naturalem: ergo est possibilis.

3 Deinde, ratione sic ostenditur: quamplures philosophi ratione naturali ducti cognoverunt Deum, ut summum bonum, & ut talem pro viribus naturæ esse amandum docuere. Præterea Apost. ad Roman. 1. ait: *invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta, conspicuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Ubi Apostolus inexcusabiles facit infideles, quia noscentes ex visibilibus creaturis Deum, non

sicut Deum glorificaverunt: ergo, juxta Apostolum, ex viribus naturæ est possibilis cognitionis Dei, ejusque virtutis, & bonitatis, ac actus aliquis propriæ talis, quo colatur: ergo est similiter possibilis aliquis amor naturalis Dei; quia visibilia illa non minus nobis manifestant inviabilitatem Dei, ut illum glorificemus; ac ut illum præ ceteris omnibus rebus diligamus. Præsupposita ergo possibilitate huius amoris naturalis, de quo plura vide Tom. I. tract. I. disp. 2. per totum, sit

Prima conclusio.

4 Ex repetitione actuum naturalium charitatis naturalis ergo. Deum gignitur in nobis quidam habitus facilitans voluntatem ad similes actus elicendos. Est communis, & probatur: ex maiori facilitate in opendo, sive in intellectu, sive in voluntate ponimus habitus acquisitos tam intellectus, quam voluntatis: ergo ex maiori facilitate in diligendo cognoscitur esse in voluntate habitum facilitatem ad dilectionem. Nunc sic; sed ex repetitione actuum naturalium charitatis, seu amoris naturalis Dei, nequit non dari talis facilis-

litas ad talem amorem: & hæc erit maior, vel minor secundem quod fuerit repetitio talium actuum: ergo &c. Confirmatur: ex repetitione actum generatur naturaliter habitus: ergo ex frequenti repetitione actuum naturalium charitatis datur in nobis quidam habitus facilitans voluntatem ad actus similes elicendos.

5 Dices t.: si datur **actus**, & habitus acquisitus naturalis charitatis, superfluit habitus infusus; sed hoc non est dicendum: ergo &c. Prob. sequela maioris: ideo ponitur charitas infusa, & supernaturalis, ut ex illa, & voluntate efficiatur unum adequatum principium respectu actus amoris Dei super omnia; sed hic actus posset elici à voluntate adjuta habitu acquisito charitas: ergo superflueret habitus infusus. Confirmatur: talis actus naturalis charitatis esset dilectio Dei supra omnia: ergo & esset proxima dispositio ad gratiam. Prob. hæc conseq. 3 quia talis actus naturalis esset sufficiens aversio à bono commutabili, & conversio in Deum: ergo esset proxima dispositio ad gratiam, & consequenter sine actu, & habitu charitatis theologicæ infuso posset homo justificari; quod est contra fidem.

6 Respondeo negando mai.; ad cuius probationem respondeo ex Doct. in 1. dist. 17. habitum charitatis infusæ poni, non ut sit principium Dei amoris naturalis, nec supernaturalis præcisus; sed ut sit principium amoris Dei supernaturalis, & meritorij. Unde cum charitas sit principium merendi, hinc est, quod actus supernaturalis, & meritorius amoris Dei petat elici à charitate supernaturali infusa: & cum similem actum nequeat elicere voluntas, nec se sola, nec adjuta aliquo habitu acquisito naturali, ideo non frustra ponitur habitus infusus supernaturalis charitatis.

7 Ad confirmationem, nego conseq., quia talis dilectio Dei esset solum ex virtutibus naturæ elicita, & sic non esset, scut opportet, quod requirit Concilium Trid. ses. 6. can. 3. ad hoc ut sit ultima dispositio ad gratiam. Imo ex hoc loco Concilij firmatur nostra conclusio, quod sic ostendo; nam si alia dilectio Dei, quæ non esset proxima dispositio ad gratiam, ut pote elicita virtutibus naturæ, non daretur; frustra poneretur à Concilio illa conditio prout opportet: ergo quia supponit Concilium posse dari sine gratia aliquem actum amoris Dei naturalis, qui tamen, cum

cum non sit sicut opportet, nequit esse ultima dispositio ad gratiam.

8 Replicabis: amor Dei naturalis super omnia repugnat: ergo &c. Prob. antec.: talis amor repugnaret cum omni peccato actuali etiam contra præcepta supernaturalia commissio: ergo deberet secum habere efficaciam ad adimpletionem omnium præceptorum instantiam etiam supernaturallum; sed amor naturalis non potest habere talem efficaciam; cum efficacia illius sit naturalis, & solum connexa cum præceptis naturalibus: ergo repugnat amor naturalis Dei super omnia. Resp., negando antec.: ad probationem, omissio antec. distingo conseq.: ergo debet haberet secum efficaciam ad adimpletionem &c. supposita potestate omnia adimplendi, ut si adjuvetur ab alio comprincipio supernaturali, conc. conseq.: tali potestate non supposta, nego conseq.; & distingo min. sed amor naturalis non potest habere talem efficaciam *ex se*, conc. min., si adjuvetur alio comprincipio supernaturali, nego min. & consequent.

9 Itaque non supposita tali potestate adimplendi omnia præcepta instantia, nullum

esset peccatum, ea non adimplere. Unde semper esset verum quod non conjungeretur talis amor cum peccato ullo actuali; quia talis omissione, non supposta tali potestate, peccaminosa non esset. Amor ergo naturalis Dei super omnia intrinsecè conjungitur cum adimpletione omnium præceptorum naturalium *absolute*: & cum adimpletione supernaturalium sub conditio-ne, scilicet, quod voluntas eliciens talem amorem adjuvetur alijs comprincipijs ad conjungendum talem amorem; & cum amore Dei super omnia, & cum adimpletione præceptorum supernaturalium. Tam argumentum, quam replica, plus facit contra possibilitatem amoris Dei naturalis, quam contra conclusionem.

10 Dices 2.: si ex frequenti repetitione actuum naturalium charitatis acquireretur habitus naturalis facilitans ad diligendum Eum naturaliter, sequeretur quod voluntas cum tali habitu æqua lique connatu posset elicere actum amoris Dei eque intensum; imò & magis, ac cum habitu infuso circa idem objectum; sed hoc nequit dici: ergo &c. Sequela maioris constat; quia voluntas mea ex repetitione actuum naturalium posset habere ha-

habitu acquisitum naturalem, ut 8. ; & habitum infussum solum ut 2. ; ex quo sequatur, quod cum æquali conatus ex parte voluntatis posset elicere actum èquè intensum, imo & magis, ac cum habitu infuso. Prob. min. : talis actus esset necessario non minus meritorius, ac elicitus ex habitu infuso charitatis ; sed hoc nequit dici ; ergo &c.

II Respondeo , conces. seq. negando min. , & mai. probationis. Tum , quia in nostra potestate non stat , quod actus sit meritorius ; licet stet , quod actus sit demeritorius. & ratio est ; quia possumus ad malum , cuius adæqua- ta causa est nostra voluntas ; ad bonum vero , & meritum sine gratia , & Dei adjutorio , ni- hil valemus. Tum , quia ut habitus aliquis sit nobis principium meriti , solum pendet ex divina voluntate. Unde Deus pro suo lib. o instituit , & ordi- navit , q. ad charitas , & gra- tia nobis infusa sint principium merendi ; & hoc non quia super- naturalis est ; nam fides , & spes sunt supernaturales , & tamen non sunt principium merendi ; quare à priori non est alia ratio , nisi divina voluntas , que sic statuit , & decrevit ; quamvis sit aliqua congruentia , scilicet , quia

habitus charitatis est nobilissi- mus , & perfectissimus.

12 Unde si Deus sta- tuisset , quod charitas habitua- lis acquisita esset principium merendi , tunc casus ejus actus essent meritorij , sicut sunt de facto actus charitatis infusæ. Sed quia hoc non decrevit ; hinc dicimus , quod quantumcumque intensi ponantur actus charita- tis acquisitæ , cum tamen non habeant secum annexum pactum divinum , uti habent actus cha- ritatis infusæ in quacumque intensione , licet minima ; ideo nec sunt , nec possunt esse illi meritorij , sicut isti.

Secunda conclusio.

13 Ex frequentatione actuum supernaturalium chari- tatis infusæ acquiritur etiam in nobis novus habitus. Hæc con- clusio videtur contra Angelic. Præceptorem part. 2. art. 4. ad 3. , ubi videtur docere , non gigni novum habitum ; sed pri- rem roborari , & perfici. Nos- tra vero conclusio est commu- nis inter Scotitas , & Nominales , deduciturque ex Subt. Doct. in 3. dist. 23. quæst. 1. & dist. 27. quæst. unic. §. de 3. dico , ubi sic ait : dico ; quod non potest acqui- ri

ri ex actibus aliquis habitus ejusdem speciei cum charitate; licet possit a quiri amicitia, tendens in Deum sub eadem ratione objecti, & etiam per actum similem: ergo sentit Scorus, quod ex actibus charitatis infusæ potest acquiri aliqua amicitia, sive charitas, tendens in Deum, quamvis neget, esse ejusdem speciei cum charitate infusa. Hoc idem docet Doct. agendo de fide, & spe; nam præter habitus infusos harum virtutum admissit habitus acquisitos: ergo pariter dicendum est de habitu acquisito charitatis.

14. Prob. I. conclusio ratione: justus se frequenter exercens per actus charitatis, & aliarum virtutum infusarū, scilicet, fidei, & spei, acquirit per tale exercitium facultatem novam ad actus charitatis, fidei, & spei eliciendos; sed hæc facilitas est per habitum, & non per habitum infusum: ergo per acquisitum, & consequenter per actus charitatis infusæ acquiritur habitus charitatis, sicut, & aliarum virtutum. Maior experientia constat; minor quoad 1. part. est certa; quia si hæc facilitas in operando non esset per habitum, non posset probari, quod dantur habitus acquisiti. Min. quoad 2. part. etiam constat; quia habitus in-

fusus non dat facilitatem, ut patet in recenter converso ad fidem, qui immediate post baptismum non experientur facilitatem. E contra, qui fidem amittit, & pariter charitatem, experitetur facilitatem credendi alios articulos; & diligendi Deum, & proximum propriet Deum; sed hæc facilitas non est ab habitibus infusis: ergo ab acquisitis.

15. Prob. 2. conclusio: actus supernaturales virtutum infusarum non debent habere minorem vim cognoscendi habitum, ac actus naturales: ergo sicut per actus naturales virtutis generatur habitus, etiam per actus supernaturales virtutis infusæ generabitur. Prob. ant. ideo actus naturales generant habitum; quia sensibilitè, seu perceptibilitè afficiunt potentiam, & potentia per ipsos perceptibiliter tendit in objectum; sed actus supernaturales, que sensibilitè afficiunt potentiam, & potestia per ipsos perceptibiliter tendit in objectum: ergo Mai. constat; quia acquisitio habitus est perceptibilis potentiaz; quia quo magis afficitur actibus, maiori facilitate tendit in objectum. Min. etiam est certa; alias posset quis cognoscere certos, an eliciat actum naturalem, vel supernaturalem; quod quidem absurdum, & erroneum est.

Solvuntur Argumenta contra istam conclusionem.

16 Arguitur 1. actus supernaturalis charitatis infusæ non sunt generativi habitus: ergo ex actibus supernaturalib. &c. Prob. antec. : habitus charitatis infusæ non augetur physicè per actus ab illo physicè procedentes: ergo actus illius non sunt generativi &c. Prob. conseq. si tales actus essent generativi aliquujus habitus, maxime illius, à quo ipsi generantur; sed hujus non sunt generativi: ergo &c. Min. cum conseq. tenet. Major constat paritate actuum, & habituum aliorum, ut patet in Logica, Physica, & Metaphysica: ergo si tales actus &c.

17 Respondeo, negando antec. & concessio antec. probationis, nego conseq. Ad cuius probationem, nego mai, & paritatem probationis. Disparitas est satis clara: quia habitus illi, qui non sunt iufusfi, sed acquisiti, eo quod tales habent ex se non solum influere ad actus similes illis, à quibus fuerunt geniti, sed etiam facilitare potentiam ad tales actus eliciendos. At vero habitus infusus, et si influat in subs-

tantiam actus, non tamen tribuit potentiae facilitatem. Unde actus supernaturales charitatis infusæ, quamvis artingere nequeant substantiam ipsius habitus infusi; nec ejus augmentum; quia habitus charitatis infusæ, eo, quod talis, est talis naturæ, quod à solo Deo petat creari, & infundi; possunt tamen, & congruit generare aliquam facilitatem in potentia ad tales actus eliciendos: quæ quidem facilitas realiter distinguitur ab ipso habitu infuso, nec cum illo exigit infundi, imò petit non infundi, sed acquiri ex actibus frequentatis. At vero actus, & habitus acquisiti Logice, & aliarum scientiarum & causant ipsum habitum, sive ejus augmentum, & ipsam facilitatem, quæ quidem est indistincta ab ipso habitu acquisitione.

18 Arguitur 2. respectu ultimi finis non solum posse simpliciter, sed & facilitas est per se infusa, & non acquisita; sed actus charitatis infusæ versantur circa ultimum finem: ergo mediis talibus actibus non acquiritur habitus, nec dans posse, nec facilitans. Major constat paritate primorum principiorum respectu intellectus, quæ dant posse, & facilitatem; sed quod faciunt prima

principia respectu intellectus, facit ultimus finis respectu voluntatis: ergo &c.

19 Pro solutione huius replicet, quæ est Illust. Palanc., nota, quod voluntas nostra potest ferri in ultimum finem dupliciter: vel appetitu *innato*, ut natura est: vel *elicito*, ut ratio nalis est. Et hoc adhuc dupliciter: vel considerata natura in statu naturæ integræ, vel in statu naturæ lapsæ. Voluntas ergo secundum appetitum innatum fertur naturaliter, & inclinatur in ultimum finem, ut latè probatum manet in Proœnialib. Theologiz: & sic respectu huius inclinationis non datur ulla facilitas superaddita, sed est congenita cum ipsa voluntate; imo ab illa realiter indistincta; sicut dicitur de habitu primorum principiorum, quod sit congenitus cum ipso intellectu, & ab illo realiter indistinctus.

20 Voluntas vero considerata secundum appetitum elicitorum diversimodè se habet erga ultimum finem; licet enim si consideretur in statu naturæ integræ, posse admitti & concedi, quod habeat talen facilitatem congenitam ad diligendum Deum (quod de dilectione efficaci apud quamplures graves theologos est falsum, ut videlicet est apud Gonet tom. 4. disp.

1. artic. 4. num. 189.) tamen, juxta communem theologorum sententiam, voluntas considerata in statu naturæ lapsæ non habet talem facilitatem sibi congenitam ad diligendum Deum. Videatur Gonet cit. & N. Mastr. hic quæst. 25. per totam. Hoc ergo notato.

21 Respondeo distincti guendo mai. argumenti: respectu ultimi finis non solum posse, sed facilitas debet esse per se infossa, si tale posse sumatur pro appetitu *innato*; connaturaliter fertur voluntas in ultim. finem, conc. mai.; si sumatur pro appetitu *elicito*, & in statu naturæ lapsæ, nego mai.: & omissa min., nego conseq. Ad probat dist. min.; sed quod faciunt prima principia respectu intellectus, hoc facit ultimus finis respectu voluntatis, quoad appetitum innatum conc. min.: quoad appetitum elicitorum, & in statu naturæ lapsæ, nego min. & conseq. Hæc doctrina facilime constabit cuilibet ex experientia: qui libet enim facillimè cognoscit hoc primæm principium: Deus est colendus: quod tibi non vis, alteri ne facias: & tamen non ita facile est cui libet Deum colere, alterique non irrogare malum.

22 Arguitur 3. : habitus charitatis infussus dat non

non solum posse, sed & faciliter posse: ergo frustra ponitur novus habitus acquisitus ex actibus supernaturis; nam hic si ponitur, solum ponitur ad faciliter posse. Prob. antec.: habitus determinans potentiam, & eam inclinans determinat ad actus certae speciei praestat illi facilitatem erga tales actus; sed habitus charitatis infusæ non solum dat posse simpliciter voluntati ad actus charitatis, sed eam determinat, & inclinat determinate ad illos in specie eliciendos: ergo dat facilitatem. Maior contat; quia difficultas voluntatis solum potest provenire ab indifferentia ad actus illius, vel alterius speciei; quequè tollitur ab habitu charitatis infusso, cum determinet voluntatem quoad specificationem ad ultimum finem in specie, & ad amorem illius.

23 Resp., negando antec.: ad cuius probat. dico, quod habitus determinans potentiam, & eam inclinans determinat ad actus certe speciei, si hoc solum faciat dando simpliciter posse, non ob hoc præcise facilitat potentiam ad tales actus, sed solum tollit impotentiam, qua ablata, adhuc ex multis capitulis sentit difficultatem ob non assu factio-

nem; quia sentit propensiones, & inclinationes multas contrarias ipsi inclinationi charitatis infusæ. Unde, et si determinet habitus charitatis ad actus illius, non ob hoc præcise tollit inclinationem, & propensionem voluntatis ad actus contrarios; & ab ultimo fine avertentes, ut experientia ipsa Magistra docet in Justis, qui cum habitu charitatis habet continuam pugnam cum carne, & sanguine iniungentibus contra Spiritum. Unde ad hanc repugnantiam faciliter vincendam, non ponuntur fructu habitus acquisiti ex frequenti repetitione actuum charitatis infusæ.

24 Arguitur 4. Si ex actibus repetitis charitatis habitualis infusæ acquireretur habitus acquisitus, hic facilitaret ad eliciendos actus supernaturales, & meritorios amoris Dei; sed hoc nequit dici: ergo. Prob. min. hæc facilitas ad actus supernaturales, & meritorios Dei est donum ipsius excedens vires naturæ: ergo huiusmodi facilitas nequit provenire ab aliquo habitu acquisito. Antec. patet paritate habitus facilitantis ad eliciendos actus peccaminosos, & demeritorios, qui habitus est vitium vituperabile: ergo habitus facilitans ad actus supernaturales, & meritorios,

donum Dei laudabile, excedens vires naturæ. Resp, conces, mai, negando min. ; ad probationem distinguo antec. : & facilitas est donum Dei in causa, & pre-suppositive, cooc. antec. : in se, & ex suppositione, nego antec. & cont.

25 Verum itaque est, talem facilitatem non posse acquiri viribus naturæ, & ex actibus naturalibus, sed necessario exigere actus supernaturales, à quibus dignatur; tamen ex suppositione quod tales actus supernaturales dentur, necessario dabitur talis facilitas, & erit debita naturæ sic operanti medijs talibus actibus. Hoc patet in sententia probabilissima; nam licet visio clara sit indebita, & minime naturalis intellectui nude sumpto; tamen ex suppositione, quod talis intellectus sit lumine gloriæ elevatus, illi censetur, quod sit naturalis visio, & debito naturæ debita.

26 Ad probat. Antecedentis, distinguo antec. : qui habitus est vitium vituperabile, comparative ad actus à quibus dignitus fuit, conc. ant. : in se, nego antec. & conseq. Ideo ergo habitus vitiosus est malus, non quia in se in genere physico, aliquam includat malitiam; sed quia ab actibus vi-

tiosis supponitur genitus. Una de non punitur quis quia habeat habitum vitiosum; sed quia actus pravos elicit. Idem ergo, & similiter vice versa dico de habitu acquisito ab actibus supernaturalibus, qui quidem in se absolute non est donum gratiæ, premiabile, aut laudabile, sed solum comparative ad actus, à quibus fuit genitus.

27 Arguitur Ultimo: talis habitus sic acquisitus esset naturalis, & non esset; sed hoc implicat: ergo nequit dari talis habitus. Prob. mai. quoad 1. partem; quia S. S. P. P. nullum habitum supernaturalem agnoscunt, nisi habitus infusos; sed hic habitus esset acquisitus: ergo esset naturalis. Prob. eadem mai. quoad 2. part. scilicet, quod non esset supernaturalis: talis habitus esset supernaturalis; ergo non esset naturalis. Prob. antec. : talis habitus procedit ab actibus supernaturalibus, ut supponimus; sed quod supponit principium supernaturale, à quo procedit, est quid supernaturalis: ergo esset supernaturalis.

28 Aliqui Scotistæ hoc argumento convicti, tenent, habitum acquisitum ex frequentatione, & repetitione actuum supernaturalium charitatis esse supernaturalem; sed, meo

videri, immerito, ut satis constat ex dictis Tract. de fide, disp. 8. quæst. 2. agendo de supernaturalitate entis. Quare non placet hæc responsio. Si militer hoc argumentum non premit in sententia nostri Maltr. & aliorum Scotistarum defensantium, actus supernaturales dilectionis Dei super omnia, sicut & aliarum virtutum theologicarum, esse tantum supernaturales quoad modum, non vero quoad substantiam; unde facilium solvunt præsentem difficultatem, dicendo, talis habitus acquisitus esse intrinsece naturalem. Cogit. vero nos, qui in loco immediate præallegato, Sect. 2. defensavimus, actus virtutum theologicarum procedentes ab habitibus infusis esse supernaturales quoad substantiam. Sed hoc non obstante.

29 Respondeo, quod habitus acquisitus per actus charitatis infusæ est naturalis. Quare licet sit à principio supernaturali, non tamen petit secundum entitatem suam produci à principio supernaturali; nam idem habitus acquiri vallet per actus naturales. Quare supernaturalitas in actibus charitatis de materiali se habet respectu causalitatis in habitum acquisitum; nam actus, qui-

cumque sint, non aliter habent vim generandi erga objectum suum, nisi in quantum sensibiliter, seu perceptibiliæ afficiunt potentiam, & potentia per ipsos tendit in objectum cum facilitate perceptibiliæ.

30 Unde quod habitus acquisitus, etiam si acquisitus sit per actus supernaturales, non inclinet per se actus supernaturales, quamvis cum potentia elevata per com principium supernaturale faciat, ut facilius actum supernaturalem eliciat, non qua supernaturalem; sed sufficit ad hoc, ut talis habitus acquisitus non sit supernaturalis, sicut actus, ex quibus gignitur. Et licet habitus acquisitus inclinet in similes actus, à quibus producitur, hoc solum est verum similitudine actuum desumpta ex unitate objecti formalis, & in ea ratione, quæ est formalis, & ratio sub qua generandi habitum in actibus; non vero inclinet necessario in actus similes in ratione materiali, seu quæ de materiali se habet in actibus ad generationem habitus: & talis est supernaturalitas in actibus habitus infusæ in ordine ad habitum acquisitum generandi.

31 Si quæras hic, an tamen habitus naturalis acquisitus

tus charitatis ex actibus naturalibus, quam habitus acquisitus ex actibus supernaturalibus; similiter, & actus procedentes ab his habitibus possint respicere Deum proportionatè sub omni conceptu, sub quo illum respicit habitus infusus charitatis; ita ut utriusque sit idem objectum necdum materiale, sed etiam formale? Resp. affirmativè. Et quia hæc difficultas latè pertractata est disp. 8. de fide divina actuali, quæst. 3. per totam, meritò ab ea hic supercedeo. Vide eam ibi.

32 Sed nota hic, quod licet charitas infusa, & acquisita tendere possint circa idem objectum formale, & sub eadem ratione formalí, tamen sunt distinctæ rationis specificæ. Hæc diversitas specifica intrinsecè provenit à suis prædicatis intrinsecis; extrinsecè vero, & dignoscitivè sumitur à diversis principiis, non utcumque, sed per se expositis à prædictis habitibus; quia habitus infusus charitatis per se, & ab intrinseco sui petit à solo Deo infundi; acquisitos vero petit similiter non à Deo infundi, sed acquiri mediis actibus. Alia discrimina inter charitatem infusam, & acquisitam vide apud N. Mastr. hic quæst. 23 art. 2. quæ omitto; quia quamplura ex

ipisis nobis non placent, nec ipsi Maistro.

33 Similiter nota, quod, habitus acquisitus ex actibus naturalibus charitatis, quem possibilem statuimus conclu. 1. huius, est ejusdem rationis specificæ cum habitu acquisito ex actibus supernaturalibus charitatis infusa. Ratio est; quia habitus acquisitus ex actibus supernaturalibus non est ab illis reduplicative, ut supernaturalibus, sed secundum rationem, secundum quam cum naturalibus convenient, ut diximus in solutione ultimi argumenti hujus. Tum, quia non ita necessario, & ab intrinseco sui exigit causari à supernaturalibus actibus, quod non possit causari à naturalibus: ergo nullum adest caput, ad hoc ut isti habitus acquisiti ex actibus naturalibus, & supernaturalibus specie different. Totum quod diximus in hac quæst. facit etiam pro stabiliendis habitibus acquisitis tantum virtutum.

QUÆS. III.

Ad quid requiritur habitus infusus charitatis?

1. Ratio difficultatis ori-
tur ex eo, quod charitas in-
fu-

fusa non est necessaria ex parte objecti formalis; cum sine ipsa possit attingi Deus sub ratione formalis, sub qua est objectum charitatis, per charitatem naturalem, ut insinuavimus in antec. & probavimus in Tract. de Fide cit. Nihilominus tamen habitum charitatis infusae esse necessarium (licet non necessitate simpliciter; cum possit Deus de potentia sua absolute elevere voluntatem ad excellentissimum amorem ipsius sine habitu) diximus quæst. 1. hujus a num. 2. Ad quid vero sit necessarius, dissentunt AA. Nos breviter per sequentes conclusiones mentem nostram conformem menti Subt. Doct. breviter aperiemus. Sit

Prima Conclusio.

2 Habitum infusus charitatis non requiritur præcisè propter majorem intensionem gradualem actus charitatis. Videlicet contra aliquos Scotistas. Prob. tamen: actus charitatis non debet de facto habere maiorem intensionem, quam alii actus voluntatis; nemo enim dubitat; quod multi peccatores tam intense diligent creaturas, ac justi communiter diligunt Deum; sed ad hanc intensionem

gradualem sufficit voluntas cum habitu acquisito: ergo præcisè ad tales intensionem non requiritur præcisè habitus infusus. Prob. min. non est major ratio, cur voluntas cum habitu valeat tribuere aliis actibus tantam intensionem, quantum habere possunt, & non possit eam tribuere actui charitatis: ergo si per se habitus acquisitus potest tantam intensionem tribuere aliis actibus, poterit etiam actui charitatis.

3 Prob. 2. conclusio: actus charitatis non debet necessario habere semper majorem intensionem gradualem, quam sex gradus v. g.; sed potest illos habere à voluntate, medio habitu acquisito; ergo voluntas absque habitu supernaturali infuso potest dare tantam intensionem actui, quantum debet, habere. Prob. min. 3 exercendo se voluntas in 1. actu, magno connatu, ille actus debet habere unum gradum intensionis ad minus, & eo mediante acquiritur habitus adjuvans potentiam ad alios similes actus eliciendos: ergo si cum illo habitu, & æquali connatu alium producat actum, hic actus ob concursum habitus erit intensus, ut duo, & consequenter augebitur habitus præexistentis, et sic procedendo per varios

rios actus naturales tanto con-
iu, & maiori habitu , tandem
elicit actum cum intensione
sex graduum , ut est evideus.

4. Dices contra hanc
conclusionem : Subt. Doct. tum
in 1. distinct. 17 quæst. 2. §.
ad solutionem quæst: tum in 3.
dist. 23. quæst. utic. §. ad quæst.
& dist. 27. §. de tertio artic. do-
cet , dari habitum infusum ad
hoc , ut actus sit intensior , &
& perfectior ; quia alicquin ait
Doct. in primo loco , videtur;
quod sine isto posset haberi ac-
tus intensissimus diligendi Deum
& hoc tam in via , quam in
patria , & ita beatitudo : ergo
nostra conclusio est expressa con-
tra Doct. Videantur alia loca
præallegata ipsius.

5. Respondeo , quod dum
Subt. Doct. adstruit necessita-
tem habitu^m supernaturalium
propter intensionem aliquam , &
maiorem perfectionem actuum ,
non debet intelligi de intensione
pure graduali intra eamdem
speciem , sed de perfectione en-
titative specifica intra idem ge-
nus. Hoc colligitur ex eo ; quod
in 1. dist. 17. cit. etiam ne-
gat , requiri habitum infusum
propter intensionem actus , & af-
ferit , quod habitu naturali ac-
quisito potest haberi actus chari-
tatis ita intensus , imo magis ,
ac cum habitu infuso. Scotus

ergo intelligitur de intensione ,
perfectione , seu illa nobilitate ,
qua dicimus , Angelum excede-
re animam rationalem , & hanc
excedere sensibilem , dum , scili-
cet , comparantur ut sunt sub eo-
dem genere , sub quo una spe-
cies excedit aliam.

Secunda Conclusio.

6. Habitus infusus chari-
tatis (idem dic de aliis habi-
tibus infusis) requiritur ad per-
fectionem ita propriam , & pec-
uliarem actus , quæ præstari
non potest à potentia , nec ad-
hibendo omnem connatum sibi
potabilem , nec habituata habitu
naturali acquisito. Hæc conclu-
sionem est communis ; & sic bre-
viter probatur : ex dictis quæst.
1. hujus conclus. 1. datur ha-
bitus infusus charitatis , &
hoc ut de fide constat ; sed talis
habitus infusus non est sim-
pliciter necessarius ad maiorem
intensionem actus , ut constat ex
dictis conclus. antec. nec de-
bet ponи propter ornatum , &
decorum potentiae tantum , ut
docet Doct. in 1.dist. 17. quæst.
quæst. 2. q. ad solutionem ; ergo
ponitur ob perfectionem ita pro-
priam , & peculiarem actus , ad
quam non potest ipsa potentia

attингere naturaliter; nec se sola,
nec auxiliata habitu acquisito.

9 Dices : habitus infusus charitatis requiritur ad hoc
ut actus sit magis acceptus Deo,
& meritorius : ergo non requiri-
tur praeceps ob talem perfectio-
neam entitativam propriam , &
peculiarem actus charitatis. Resp
onso illo antec. negando conseq,
quia hoc, quod est, actum esse
acceptum Deo , & meritorium
competit illi , & habitui infuso
moraliter. Hic autem queritur,
ad quid physico requiratur ha-
bitus charitatis, quia omnis for-
ma physica praeter effectus mo-
rales debet habere aliquem effec-
tum physicum. Unde praeter
effectum moralium charitatis, qui
est dignificare moraliter actum,
facere ipsum acceptum Deo , &
meritorium, debet assignari alias
effectus physicus proprius ipsius
habitus ; & hunc dicimus , nul-
lum alium esse praeter assigna-
tum, scilicet, perfectio entitati-
va propria , & peculiaris actus
charitatis.

8 Si autem inquiras: quae-
nam sit illa perfectio entitativa
propria, & peculiaris actus cha-
ritatis? Dico , esse , quod ac-
tus ab illo habitu procedens est
elicitus modo, quo opportet, ut
sit salutaris , & conduceat ad vi-
tam aeternam consequendam po-
sitive ; unde est intrinsece supe-

naturalis ; & sic verum est , ha-
bitum requiri propter peculia-
rem, & propriam perfectionem
ipsius actus , ad quam haec po-
tentia se sola , nec cum habitu
acquisito, etiam perfectissimo,
attингere valet. Ulteriorem no-
tiam huius insinuabilius postea
in fine hujus disp. dum annota-
tionem faciamus variatum ques-
tionum ad hanc disp. pertinent-
ium. Nunc vero sit

QUÆST. IV.

*An Charitas sit perfectissima
virtus, formaque aliarum
virtutum?*

I Ex dictis constat,
quod charitas est virtus theo-
logica distincta a fide , & spe;
nunc autem queritur , an sit
perfectior ipsis ; pro quo nota,
quod charitas potest compara-
ri cum aliis virtutibus , vel in
genere moris, vel in genere entis,
ita in esse physico naturae, & in
esse morali. Et certe in hoc ge-
nere solum controversia potest
esse inter charitatem , & fidem;
quenam earum sit entitativa per-
fectior ? Nulli namque dubium
est, quod charitas , ut supremus
habitus , sit perfectior quocum-
que

que alio habitu expectante ad voluntatem, sive sit moralis, si ve theologicus. Unde difficultas est inesse entitativo. Quare pro resolutione primæ partis quæstionis sit

Prima Conclusio.

2 Charitas tam inesse moris, quam in esse physico est præstantior omnibus aliis virtutibus tam moralibus, quam theologicis. Hęc conclusio quoad ntramque partem est communis inter Catholicos. Prob. 1. pars: charitas inesse moris est vita, & forma aliarum virtutum: ergo in isto genere est præstantior illis. Prob. antec. charitas est principium omnis meriti, & à quo omnis actus virtutum tam moralium, quam theologicarum habet esse meritorius; ita ut sine charitate nulla virtus possit esse meritoria vita æterna; ergo &c. Antec. constat ex variis text. Sac. Script. ubi charitas prę omnibus virtutibus ponderatur. Et comparativè ad fidem ait Apost. 1. ad Corinth. cap. 13. *Si babuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non babuero, nihil sum*. Et Trident. fel. 6. cap. 7. *Fides, nisi charitas accedat, nec*

unit perfectè cum Christo, nec eius membrum vivum efficit: ergo charitas est perfectior fide in esse moris; & consequenter omni alia virtute.

3 Prob. 2. pars: primo, quia dum Apollotus I. ad Choriut. cap. 13. ait: *maior autem horum est charitas*, loquitur absolute, & absqueulla limitatione: ergo needum in esse moris, sed & in esse physico, præstantior est charitas. Sed probatur ratione: perfectio cuiuscumque habitus ex triplici deducitur cap.: primo, ex perfectiori modo operandi; secundo ex maiori, vel minori perfectione objecti: tertio tandem ex maiori nobilitate potentiae, quam informat; sed ex omnibus his capitibus excedit charitas fidem, & consequenter reliquias virtutes: ergo. Probatur min. charitas respicit Deum in se ipso immediate, & propter ipsum: & sic perfectiori modo tendit in Deum, quam fides, quæ respicit Deum, ut obscure revelantem; sed Deus, ut est in se, est nobilior objectum in esse objecti, quam ut obscure revelans: & alias charitas subjectatur in voluntate, quæ in nostris principiis est nobilior intellectu: etgo &c.

1. contrari partem pro Lutheris: fidei convenit nostra justificatio: ergo in esse motis est perfectior charitate. Antec. probat ex illo ad Rom. 1. *Justus ex fide vivit:* & 5. *justificati igitur per fidem:* ergo. &c. Resp. negando antec. ; quia contra hoc haereticum assertum stat definitio Concilij Tridentini ses. 6. cap. 8. ubi assert , predicta Apostoli verba intelligenda esse in eo sensu , quem perpetuo tenuit Sancta Mater Ecclesia , scilicet per fidem justificari dicimus ; quia *fides est humanae salutis initium, & fundamentum, & radix justificationis;* non quia ipsa fides sola sine charitate sit forma justificationis , ut somniavit Lutherus ; quia solum justificat, dum per dilectionem operatur, ut satis constat ex authoritatibus positis num. 2. huius , & ex Trid. ibi cit.

5 Dices 2. : fides est simpliciter melior charitate: ergo &c. Prob. antec. : illud est melius , cuius oppositum est pejus , justa Philosop. 2. Topyc. cap. 3. ; sed infidelitas est pejor odio Dei, sive quocumque alio peccato oppositio charitati: ergo. Maior patet ; quia contrariorum eadem est ratio. Prob. min. 1. : quia infidelitas magis Deo oppo-

nitur, quam odium ; cum neget illum esse , & sic affective illum destruat. Secundo; quia infidelitas plus destruit, cum destruendo fidem destruat omnia bona , & virtutes supernaturales ; sed odium Dei destruendo charitatem non destruit, nec fidem , nec spem : ergo &c.

6 Resp. ex Doct. in 4. dist. 49. quest. 4. Lateral. negando antec. & min. probationis : ad probationem dico , quod infidelitas non opponitur cum Deo , ut est revera in se ; quia ut est in se debet amari. Quare tam odium, quam infidelitas affective , & quantum est in se destruunt Deum ; cum hac tamen dissentia, quod in fidelitas destruit Deum affective secundum quod male apprehenditur , & sic non ut est in se ; odium vero destruit Deum affective , prout in se est ; nam quia Deum , in se est , odit , affert a Deo omnem rationem amabilitatis summi boni, & ultimi finis

7 Ad 2. probat. ejusdem minoris tespondeo , quod infidelitas destruit alias virtutes solum indirecte , & illative, quatenus ex directa destructione fidei reliquæ virtutes , quarum ipsa est fundamentum, & radix destruuntur; ex hoc autem non sequitur , fidem esse perfectionem.

Ra-

Ratio est ; quia persæpe res imperfectior est fundamentum, & initium perfectioris , & tunc ablacio illius est indirecta ablacio alterius. Vide quæ diximus disp. 5. tract. antec. quest. 2. a num. 4.

8 Dices 3.: actus martyrij , qui est actus fortitudinis, est perfectior actu charitatis juxta illud : *maiores charitatem nemo habet*, ut animam suam ponat quis pro amicis suis: ergo virtus moralis fortitudinis est perfectior charitate. Confirmatur : virtus eo perfectior est , quo ejus actus est difficultior actu charitatis : ergo &c. Respondeo , negando antec.; nam illa maior perfectio actus martyrij habetur ex charitate ; catenus enim est meritorius premij æterni ; quatenus provenit, seu elicitur ex charitatis imperio , in quo sensu intelliguntur verba relata Christi Dñi. Ad confirmat. nego mai.; nam perfectio virtutis essentialiter sumitur ex objecto specificativo , fine , & principio illius , in quibus omnibus excedit charitas reliquos actus aliarum virtutum. Difficultas vincenda unice est circumstantia addens aliquem rationem bonitatis , seu meriti, ceteris paribus.

9 Pro resolutione se-

cundæ partis questionis , sciendum est, quod nihil utsitatus apud S. S. P. P., quam quod charitas aliquomodo sit forma aliarum virtutum , quod non obscurè colligitur ex Sac. Script., ut ex illo Joann. Epist. 1. cap. 3. : *qui non diligit, manet in morte*: & ex illo 1. ad Corinth. cap. 13. *si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mibi prædest.* Ex quibus , alijsque textibus , habetur , quod actus aliarum virtutum sunt veluti informes , aridi , & infructuosí ad finein vitæ æternæ , nisi à charitate aliquomodo vivificantur , & informantur. Sed quomodo hoc intelligendum sit, est difficultas?

10 Dico ; charitas habitualis est forma virtutum solum moraliter , & extrinse ; non vero physice , & intrinsece. Est communis , & probatur quoad 1. part. : charitas dat valorem , & meritum alijs virtutibus , & illas ad Deum finem ultimum ordinat , earum actus dirigit, ac illas imperat , ut Regina, & elevat ad attingendum nobiliori modo suum objectum ; sed haec omnia nequit efficere charitas habitualis , quin sit forma moralis , & extrinseca aliarum virtutum: ergo est. Hoc sensu intelligendi sunt Patres , & Theologi appellantes charitatem , for-

formam, vitam, & animam virtutum; non autem ita, ut charitas physicé informet alias virtutes, nec quod in illis inhéreat; cum unus habitus alium non informet physicē, sed solum recipitur in voluntate. Sed ut hoc clarius constet.

11 Prob. 2. pars conclusionis: fides infusa (idem dic de spe, & virtutibus moralibus) separata à charitate est proprie, & perfecte virtus in suo genere: ergo charitas non est forma phylīca ipsius. Probatur antec.: fides separata à charitate per peccatum lethale retinet prædicata essentia virtutis veræ, ut constat ex Trident. Sef. 6. cap. 28. per hæc verba: *si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper ammitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit:* ergo fides separata à charitate est vera fides; & consequenter est vera virtus.

12 Confirmatur: fides separata à charitate non desinit concurrens cū intellectu ad actus supernos fidei, dirigit, & inclinat in bonum, quod juxta Div. August. lib. 1. Retractationum cap. 9. est essentia veræ virtutis: ergo fides separata

a charitate est vera virtus. Prob. antec.: in peccato lethali existens adhuc vere, & super omnia credit mysteria fidei; sed hæc mysteria credita dirigunt, & inclinant in bonum; ergo &c. Mai. constat ex Trid. cit. Prob. min.: inter mysteria credita, sunt: *Deum esse misericordem esseque paratum recipere peccatorem ad gratiam in quamque hora ingemuerit: ad vitam aeternam esse necessariam pœnitentiam ipsius peccatoris;* sed hæc omnia dirigunt, & inclinant in bonum: ergo fides sine charitate habet dirigere, & inclinare in bonum.

13 Dices 1. contra 2. part. conclusionis: opera fidei sine charitate non sunt supernaturalia, nec opera Deo accepta; cum sint mortua: ergo sine charitate nulla est vera virtus. Resp. distinguendo antec.: opera fidei sine charitate non sunt supernaturalia, nec Deo accepta *in linea meriti de condigno vita aeternæ,* conc. antec.: *in linea veræ fidei procedentia elicitive ab abitu superno fidei,* nego antec. & conseq. Itaque cum Deus statuerit, neminem habere pro amico, & cum jure ad vitam aeternam, nisi habeat charitatem; ideo charitas est forma vivificans opera fidei, & aliarum virtutum in linea super-

naturali meriti: & hoc de condigno vita æternæ. Cum hoc componitur, quod actus fidei peccatoris fidelis, si fiant ex auxilio, & habitu superno, sint intrinsece supernaturales, & meritorij de congruo, & sic aliquomodo disponant ad justificationem.

14 Dices 2.: juxta Aug. lib. 5. de Civit. Dei. cap. 12. *virtus vera non est, nisi quæ tendit ad verum hominis finem, quo melius non est; sed fides sine charitate non tendit ad verum hominis finem, quo melius non est: ergo non est vera virtus.* Resp. neg. min.; nam fides sola, ut vera fides est, respicit verum hominis finem, scilicet, Deum, ut finite veracem, & sapientem, quoquè nihil melius est; cum Deus non sit melior se ipso.

15 Dices tandem ex Glos. penultim. de poenitentia dist. 2. ubi dicitur: *charitas est forma omnium virtutum;* quod & contestantur S. S. P.P. dicentes, sine charitate non esse veras virtutes: ergo &c. Rcspl. quod tam Glossa, quam S.S.P.P. non sunt intelligendi ita, quod significant, quod omnia peccatoris opera sint peccata, ut somniavit Lutherus damnatus à Trident. ses. 6. cap. 7.; sed solum indicant infideles, & pec-

catores, non habere virtutēs perfectas vivificatas, & influentes in vitam eternam; sed imperfectas; quia licet positive non retrahant ab ultimo fine, ut vitia retrahunt; tamen ad illum obtinendum non sufficiunt, & sic pro nihilo reputantur à S. S. P. P.

QUÆST. V.

An inter Deum, & homines detur vera, & mutua amicitia; & hæc sit charitas?

I **Q**uamvis amicitia communiter significet mutuum amorem duorum ad invicem; non tamen semper mutuus amor præcisse sumptus est amicitia vera, & propria; sed ut hoc melius noscatur, noto primo, quod amicitia alia est honesta, alia utilis, & delectabilis alia. Hæc triplex divisio sumitur ex triplici bono, quod potest amico amari, scilicet, honestum, utile, & delectabile. Si enim duo amentur ex motivo virtutis, & honestatis in utroque repertæ, tunc datur amicitia honesta: si vero mutuo amentur ex mo-

vo utilitatis, aut delectationis, quam quis ex altero capit, tunc erit solum amicitia utilis, aut delectabilis. Inter has amicitias sola honesta est proprie, & simpliciter amicitia, de quaque est praesens quæstio.

2 Noto 2. quod amicitia honesta sic definitur à Philosoph. 8. Ethicor. cap. 2.: *est mutua aliquorum benevolentia, que non lateat amicos, sed sibi invicem nota sit.* Cum hac convenit illa Div. Augustini Epist. 113. *amicitia est humanarum rerum, & divinarum cum benevolentia, & charitate consensio.* Ex his, alijsque definitionibus ab A.A. traditis infertur, quod ad veram amicitiam quatuor requiriuntur conditions. Prima est, quod sit amor, non quilibet, sed honestus, *qui benevolentie nuncupatur;* & est talis prout respicit bonum honestum distinctum ab utili, & delectabili.

3 Secunda est, quod talis amor honestus sit mutuus; amicus enim est amico amicus; & sic amicitia dicit amorem benevolentie in amante, & connotat redamationem in amico amato. Ex quo quantumcumque quis alterum amet, si ab illo non redametur, erit quidem amans, sed non amicus,

unde impropter dicitur quis amicus pecuniarum, & aliarum rerum, quæ intellectu, & voluntate carent. Hæc conditio fundatur in alia, quæ ab alijs a singulis solet, scilicet, *communicatio bonorum, & societas mutuæ* quæ communicatio fit, vel per beneficiorum, vel per conversationem, vel per eiusdem naturæ participationem. Et hæc conditio satis innuitur in definitione allata Div. Augustini.

4 Tertia conditio est, quod talis amor non lateat amicos, sed sit notus utrique amanti. Defectu huius notitiae defectus est amicitia; tum, quia praeditus defectus facit, ut qui diligitur, non diligatur tamquam amicus vicissim, & respondens, seu solvens obsequium amoris, quod requiritur ex secunda conditione ad veram amicitiam. Tum quia impedit amicitiae effectus, & obsequia, quæ quidem, quandiu latet mutuus amor, nequit in eum venire; nihil enim magis allicit ad amorem, quam cognita redamatio.

5 Quarta tandem conditio est, quod sit inter æquales, vel *absolute*, vel *secundum quid.* Hac conditione Philosoph. cit. cap. 7. negat, dari riguasam amicitiam inter Patrem, &

Filiū; Dominū, & servū;
Deū, & hominē. Sed circa
hanc conditionem nota ex N.
Doct. in 3. dist. 27. quæst. unica
§. de tertio dico; ver. ad pri-
mum prīncipale, quod licet hæc
conditio sit necessaria ad ami-
citiam rigurosam, & strictam; non
vero ad veram, & propriam, quæ
amicitia excellentia, seu super-
excellentia dici solet; & huius-
modi amicitia non negatur à
Philos. cit. 8. Ethic. cap. 10.
Inter Deū, & hominē, subdi-
tos, & Principes. His notatis,
sit.

Prima conclusio.

6 Inter Deū, & ho-
mines justos datur vera, &
propria amicitia. Est Doct. cit.
Prob. 1. ex Scriptura. Psalm.
138. dicitur, *nimis honorati sunt
amici tui Deus*. Et Lucæ 12.: di-
co. autem vobis amici meis: &
Joann. 15. vos amici mei estis: er-
go &c. Confirmatur ex Tid. Ses.
6. canone 6. ubi definitur: *quod
in iustificatione homo ex iusto
fit iustus: Ex inimico amicus Dei:*
ergo juxta Concilium inter
Deū, & hominē datur vera
amicitia. Hoc idem communiter
doceat S. S. P. P.

7 Prob. 2. conclusio
ratione: ad veram amicitiam
inter Deū, & hominē dan-
tur cōditiones requisiæ pro ipsa:
ergo & honestus amor bene-
volentia; nam Deus amat ho-
mines omnino gratis, & non in-
tuitu alicuius utilitatis, aut emol-
umenti: & talis amor datur ex
parte hominis justi erga Deū;
cum per charitatem diligat Deū
propter se ipsum, & propter
summam ejus bonitatem præcis-
se, & non intuitu mercedis; ex
quo sequitur, quod inter Deū,
& hominē datur mutuus, & ho-
nestus amor benevolentia; &
consequenter duæ primæ condi-
tiones, scilicet, quod talis
amor sit honestus, & mutuus.
Nunc sic; sed alias datur ter-
tia, & quarta conditio: ergo
dantur omnes conditions.

8 Prob. min. subsumpta,
quoad 1. partem: amor nos-
ter nequit latere Deū; cum
Deus comprehensive, & infi-
te omnia noscat; nec amor
Dei erga nos, nos latet; cum ex
fide sciamus, Deum diligere
diligentes se, & quod communi-
nices cum hominibus, ma-
xime postquam in terris visus
est, & cum hominibus conver-
satus est: ergo adest tertia con-
ditio ad veram amicitiam. Prob.
de quarta: ad veram, & propriam
ami-

amicitiam non requiritur equalitas stricta, & rigurosa; sufficit enim quod in aliquo vero sensu detur aequalitas; sed haec datur inter Deum, & Justos: ergo &c. Prob. min.: justus per gratiam participat divinam naturam; sit Dei consors, & quodammodo equalis, juxta illud Petri Epistol. 2. cap. 11: magna, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamur divinae naturae consortes: ergo &c.

9 Confirmatur hoc ex Subt. Doct. cit. §. de tertio dicto, ubi ait: Deus autem habet honestatem, & redamationem sicut amationem, & excellentius potest esse amicitia ad ipsum, ita ut dicatur super amicitia. Etsi arguitur, quod aequalitas est ratio amicitiae: verum est, (respondeat Doct.) supposita honestate quae est prima ratio amabilis. Aequalitas autem est ratio amicitiae stricte sumptu: sed excellentia est ratio habitus magis similis, vel perfectioris, quam sit amicitia. Talem in proposito voco charitatem. Hæc Doct.

Secunda conclusio.

10 Charitas est vera amicitia inter Deum, & homines.

minem modo explicatio. Conclusio constat ex autoritate immediate adducta. Subt. Doct. Et probari potest adaptando charitati omnes conditiones ad veram amicitiam requisitas. Probatane breviter sic: charitas est virtus, media qua nos diligimus Deum propter se, & complacemus in sua infinita bonitate: & similiter charitas in Deo est, qua Deus nos supernaturaliter diligit, & ad ipsum tamquam ad finem ultimum nos ordinat, & facit nos filios, hæfedes, & participes vita æternæ, communicando in bonis proprijs, & specialibus ipsius Dei: ergo est vera amicitia inter Deum, & homines.

Solvuntur argumenta.

11 Arguitur 1. contra utramque conclusionem: charitati non convenient conditiones ad veram amicitiam requisitæ: ergo &c. Prob. antec.: eis Deus nos amet amore mutuo, & benevolentia, ejus tamen amor nobis notus non est; juxta illud Ecclesiast. 9. nemo enim scit, utrum odio, vel amore, dignus sit; quod & confirmat Trid. varijs in locis. Deinde deficit aequalitas; cum inter Deum, & homines aequalitas nequeat dari. Lli.

Tan-

den ex dictis num. 3. : communicatio , & societas est conditio amicitie ; sed hæc non datur inter Deum , & homines ; eum non sit conversatio Dei cum hominibus , nec non possimus tribuere ei aliquid ; ergo charitati deficiunt conditiones &c.

12 Respondeo , negando antec. , & antec. probationis , quod non probatur ex illis auctoritatibus ; nam ille loquuntur de notitia certa , & evidenti ; & licet sic justis non innoteſcat amor Dei , innoteſcit ſaltem probabiliter , se esse in gratia , & diligi a Deo , quod ſufficit . Deinde ; quia actualis notitia non est necessaria , ſed ſufficit , quod charitas , & amicitia ſit ex fe illativa , & ſufficiens ad illam notitiam aliquando inferendam . Quare Puer recenter baptizatus eſt Dei amicus , quamvis careat uſu rationis , ut communiter docent Theologi . Ad 2. probationem conſtat ex dictis num. 5. & etiam ex auctoritate Doct. adducta num. 9.

13 Ad ultimam probationem , nego min. : tam quia Dei cum hominibus de facto datur conversatio , & societas interna , & spiritualis , medijs illustrationibus , excitationibus , & vocationibus divinæ gratiae .

Tum , quia in iustis datur communicatione bonorum ex parte ſui cum Deo , cum pro beneficijs acceptis ei gratias agunt , & amore , atque obsequium respondunt . Et hæc communicatio , & conversatio datur , etiā iusti actu non operentur ; quia datur in radice , & in habitu ratione habitus , ut in Puertis .

14 Arguitur 2. : vera amicitia fundatur in amore multo , & gratuito , ac in gratuita communicatione ; ſed licet Deus gratuito diligat hominem , & ipſi cōferat bona ſupernaturalia ; homo tamen nequit gratuito amore Deum ; nec cum Deo communica de ſuis bonis : ergo &c. Prob. min. : quantumcumque homo diligat Deum , & ei gratias agat , totus hic amor , & communicatione ipſi Deo debetur quampluribus titulis : ergo &c. Respondeo , negando min. , & diſtinguo antec. probationis ; quantumcumque &c. totus hic amor debetur , & exhibetur a justis , quia non debitus ex alijs titulis , ſed præciffe ex motivo charitatis , dum Deum ex charitate diligunt , conc. antec. ; debetur , & exhibetur , quia debitus ex alijs titulis , nego antec. & conseq.

15 Itaque dum iusti ex puro motivo Charitatis Deum diligunt, & obsequia præstant, talis amor dicitur amicitia, & gratuitus; quia non exhibetur spe mercedis; aut intuitu utilitatis, aut convenientiae propriae; sed omnia in gratiam amici, & quia titulo suæ bonitatis meretur sic amari. Quod vero talis amor ex alijs titulis debeatur, de materiali, & per accidens se habet, ut non sit gratuitus; quia iustus vi talis amoris sic Deum diligit, quod ipsum si militer diligeret, quamvis non esset Dominus illius benefactor, aut creator; quia hoc minime attendit, nec ex hoc movetur diligens Deum amicabiliter, sed ex charitate.

16 Replicabis: si Deus, dum confert gratiam hominibus, supponeret in illis bona opera, quibus ex justitia deberetur gratia, tunc gratia non esset gratia, sed merces, juxta dictum Apostoli: ergo pariter: si homo diligens Deum supponit ex parte Dei opera, & beneficia, quibus ex justitia deberetur amor Dei super omnia, iam iste amor, communicatio ex parte hominis non erit gratuitus. Respondeo, concedendo antec., & negando conseq.; nam si gratia non daretur, nisi habentibus

ex se opera bona, & solum inuitu ipsorum, non solum materialiter esset debita, sed etiam formaliter ex debito talium operum, & sic gratia non esset gratia, sed merces.

17 Si vero quanvis opera bona supponerentur, Deus non daret gratiam intuitu illorum, sed precissivè à tali titulo, sicut daret illam non habentibus opera bona, tunc gratia esset gratia; siquidem respectu dantis per accidens esset, quod præcederent, aut non præcedent opera bona; quia adhuc gratuitò daret illi gratiam, cum non daretur formaliter ex operibus, nec ex debito. Similiter ergo dicimus, si amans Deum solum amaret ob beneficia recepta, tunc non esset gratuitus amor; veruntamen amans Deum ex charitate non sic amat; sed unice ob suam bonitatem, taliter, quod vi talis amoris æque illum amat, & si nihil illi contulisset.

18 Arguitur 3.: inter Dominum, & servum nequit esse vera amicitia; sed homo, quanvis iustus, est magis servus Dei, quam mancipium Domini creati: ergo &c. Resp. distinguendo mai.: inter Dominum, & servum servitute vili, & coacta, nequit esse vera ami-

cittate, conc. mai.: servitute amicabili voluntaria ex amore, & timore filiali, nego mai.: & concess. min. nego conseq. Itaque prima servitus, ut pote coacta ex timore paenae, est contraria verae amicitiae; secus vero secunda; quia haec non contrariatur charitati; sed ex charitate crescit, & augetur, & qui sic operatur, vocatur ab ipso Christo amicus, juxta illud: *vos amisi mei effis &c.*

19 Replicabis: inter Dominum, & servum creatum non potest dari vera amicitia in sensu composito, quod servus maneat in servitute: ergo cum creatura semper maneat in servitute essentiali Dei, nequit inter Deum, & creaturam dari vera amicitia. Resp. negando conseq.; quia si inter Dominum, & servum creatum esset vera amicitia, haec impelleret Dominum, ut servum a servitute liberaret; cum posset hoc facere. Unde, si non liberat, signum est, non amare servum amore amicabili, & benevolentiae. Hoc autem in amicitia Dei nequit inveniri; quia Deus non potest abdicare a se dominium proprietatis, & essentialis, quod habet supra creaturam: & sic non potest eam liberare a tali servitute essentiali.

20 Arguitur ultimo; Deus nequit ullum Iustum diligere amore benevolentiae: ergo inter Deum, & hominem &c. Probant: amor benevolentiae, ut distinctus ab amore concupiscentiae, est ille, quo aliquis propter se ipsum amat, & ex complacentia in ipso; sed Deus nequit creaturam aliquam sic amare: ergo &c. Prob. min.: si sic amaret creaturam, moveretur ex bonitate creature ad illam sic amandam; sed Deus nequit moveri ex bonitate creatarum; quia vilesceret divina voluntas: & omnia propter semetipsum operatus est Deus: ergo &c. Hoc argumentum, quod in hac materia est alicuius difficultatis, varie solvitur ab A.A.; sed eorum solutionibus in sua probabilitate reliquit;

21 Respondeo, negando antec. & concess. ~~min.~~ distinguo min. probationis: sed Deus nequit creaturam aliquam sic amare, hoc est, propter se ipsum, & prout est in propria persona, conc. min.: ut eminenter contentiam in bonitate divina, nego min. Eisdem terminis distinguitur mai., & min. probationis. Itaque bonitas divinae essentiae eminenter continet bonitatem propter se amabilem amici; & sic objectum mo-

motivum talis amoris est divina essentia, ut contentiva eminenter bonitatis, justi, quem diligit Deus. Unde dicimus quod Deus diligit justum, seu amicum, motus à propria amici persona, non prout in se est, sed prout eminenter in Deo continetur; quod sufficit ad hoc ut talis amor sit complacentia Personæ amici, vel proprie, vel æquivalenter.

22 Deinde: ex quo Deus non moveatur ex bonitate propria ipsius justi ad ipsum amandum, solum, probatur, non dari inter Deum, & Justum amicitiam humanam strictè, & rigurose sumptam; non tamen probat, non dari amicitiam excellentiæ, seu superexcellentiæ; cum conditio illa requisita ad amicitiam strictam salvetur in amicitia Dei erga iustum excellèriori, & eminentiori modo. Vide quæ diximus num. 5. & 9. hujus.

QUEST. VI.

In qua solvuntur difficultates de augmento, & diminutione charitatis habitualis.

I **C**haritatem habitualem in via augeri per opera à Justo in charita-

te facta, ut certum de fide tenendum est, & constat ex Ecclesia, quæ in quadam collecta Dominicæ 13. post Pentec. ait: *da nobis quas sumus Domini fideli, spei, & charitatis augmentum;* sed quia actus charitatis possunt esse intensiores, vel minus intensi ipso habitu charitatis, hinc primo dubitatur à Theologis, per quos actus charitas habitualis augeatur, an solum per intensiores: an per æquales: an per minus intensos etiam? Secundo etiam dubitatur; an casu, quo charitas habitualis augeatur per actus remissiores ipso habitu, tale augmentum statim detur: an vero differatur? Et tandem dubitant per quos actus minuantur habitus charitatis? De his ergo difficultatibus est nobis breviter agendum in praesenti. Quare

2 Dubitabis 1. : an charitas habitualis augeatur non solum per actus intensiores habitu, sed etiam per æquales, & remissiores? Respondeo affirmative. Contraria sententia trid. bniur Div. Bonavent. in 2. dist. 40. art. 2. quæst. 3. & Div. Thomæ in 1. dist. 17. quæst. 1. artic. 3. Sed quidquid sit de hoc eam expresse tenet Bñez 2a. 2æ. quæst. 24. articul. 6. Prob. nostra conclusio 1. ex Conc. Trid.

Sci. 6. de justificatione. Cap. 10. ubi docet: *justos renovari de die in diem, & crescere in accepta iustitia per bona opera.* Et cap. 16. ait: *atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita eterna, & tamquam gratia filii Dei per Christum Iesum misericorditer promissa bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Et can. 32.: *Si quis dixerit, justificatus bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam, & ipsius vite eternae, si tamen in gratia defecerit, consecrationem, atque etiam glorie augmentum, anathema sit.* Hoc Concil.

3 Nunc sic; sed ille, qui actus charitatis remissos elicit, bone operatur: ergo non est illi deneganda corona gloriae, & augmentum charitatis, & gratiae reddenda fideliter bonis operibus, & meritis ipsius. Confirmatur; nam Concilium ibi numerans conditiones ad meritum requisitas, solum, exigit, quod sit opus hominis justi, & factum ex Deo, hoc est, auxilio, & gratia; quo supposito ait: *nihil ipsius, justificatis amplius deesse, credendum est, quo minus illis*

operibus, que in Deo sunt facta, vitam eternam promeruisse sensentur: ergo cum actus charitatis supernaturalis, etiam remissi, elicantur ab homine justo per Dei gratiam; contra Trid. erit assertare, ea opera non mereti augmentum gratiae, & gloriae.

4 Prob. conclus. ratione: ex contraria sententia sequitur, quod actus minus intensus esset meritorius augmenti charitatis, & gloriae; non vero actus magis intensus; sed hoc nequit dici: ergo &c. Prob. sequel; nam actus ut qua uer in habente charitatem ut duo esset meritorius: actus vero ut sex in habente charitatem ut octo non esset ita meritorius: ergo &c. Deinde, qui esset magis gratus, scilicet, habens charitatem, ut octo, non mereretur actu illo intenso, ut sex: & qui esset minus gratus, scilicet, habens charitatem, ut duo, mereretur actu illo intenso, ut quatuor: ergo magis gratus esset pejoris conditionis, quam ille, qui esset minus gratus; quod est absurdum.

Solvuntur argumenta.

5 Arguitur 1.: ex quibusdam scripturæ locis, quibus

bus reprehenduntur, qui tepe-
de, & remisē agunt, ut 2.
Apocalyps. reprehenditur qui-
dam Episcopus, eo quod pri-
mam charitatem, hoc est, an-
tiquum fervorem in operando,
deseruerisset. Secundo, ex com-
muni proloquio apud S. S.P.P.,
scilicet: *in via Dei non pregre-
di, est regredī; sed per opera
remissa non progreditur; ergo
regreditur; & per consequens
non meretur. Tertio; quia so-
lus ille est dignus novis donis,
qui bene utitur acceptis; sed
qui remisē operatur, non be-
ne utitur habitu accepto: ergo
&c.* Respondeo, quod loca Scip-
ture per rapidos, & tempestos
intelligit, illos, vel qui cessa-
runt ab exercitio virtutis, vel
minus frequenter virtuti va-
cauit, vel deficiunt in operan-
do studiose secundum aliquam
circumstantiam; qui ratione ter-
tio actum Apocalyps. repre-
henditur Episcopus Sardineq. eo
quod opera plena non fecisset,
hoc est, cum omnibus circuns-
tantijs, quarum aliqua deficiente,
opera non sunt plena.

6 Unde de illo in cap.
2. dico, reprehendi, vel, quia
charitatem primam amissit, ob
peccatum mortale, ut tenent
multi expositores: velquia pri-
mum fervorem amiserat, ne-
gligendo vitare venialia, quod

valde diversum est ab operibus
bonis remissis. Ad proloquium
nego, quod qui remisē ope-
ratur in via virtutis, non pro-
grediantur; licet non ita strenue
ac qui intensē operantur. Ad
ultimum neg. min.; nam, qui
remisē operatur, bene utitur
habitu supernaturali charitatis;
licet non quantum poterat. Un-
de de illo, ad summum veri-
ficatur aliqua imperfectio ne-
gativa, non autem imperfectio
positiva, aut privativa debita
virtuti.

7 Arguitur 2.: ut
habitus gratiae, & charitatis
augeatur, requiritur debita
dispositio; sed hęc est
sola dilectio intensior info
habitu; ergo &c. Prob. min.:
solus actus intensior naturalis
est dispositio sufficiens ad aug-
mentum habitus naturalis: er-
go pariter &c. Resp. 1., ne-
gando suppositum maioris; quia
gratia ex se non exigit prævia
dispositionem, ut patet in Dei-
para, Angelis, & Pueris re-
center baptizatis, quibus in-
fusi fuit prima gratia absque
prævia dispositione; imo nec
requiritur dilectio Dei ad aug-
mentum; ut patet in justifica-
tis intra Sacramentum eam sa-
la attritione. Secundo respon-
deo, omisi mai, negando min.;
& omisso antec. probationis,

nego conseq., & paritatem; quia dispositio naturalis ad augmentum habitus naturalis concurrevit physice; non vero dispositio ad augmentum habitus gratiae, & charitatis; sed solum moraliter in nostris principiis.

8. Arguitur 3. & potest esse replica: in instanti justificationis, quando homo primo justificatur, servatur proportio aequalitatis inter intentionem actus, & habitus; quia Deus nos infundit entitatem gratiae, nisi juxta dispositionem operantis, ex Trid. ses. 6. cap. 7: ergo credendum est, eamdem proportionem servari in praestando augmentum gratiae, hoc est, quod augmentum gratiae non sequatur, nisi ex actu intensiori; alias in fine augmenti habitus quoad intentionem superaret actum.

9. Respondeo, quod in utroque casu servatur proportio inter ipsum actum, & gratiam promeritam; sicut enim in prima justificatione infunditur gratia commensurata merito de condigno; ita in augmendo augetur, juxta meritum de condigno; nec sequitur absurdum ex hoc, quod in fine augmenti habitus superet in intentione actum; i.e. hoc est

necessare; nam in fine incrementi non solum habetur habitus gratiae correspondens merito praesenti, sed etiam meritis praeteritis. In prima vero justificatione solum datur habitus gratiae correspondens praesenti dispositioni; ac proinde in hoc proportio servari non debet.

10. Arguitur 4: si habitus charitatis augeretur per actum remissum, lequeretur, quod qui eliceret, actum charitatis, ut duo, & ipsum continuaret per unam horam, vel diem, infinite augeret habitum; sed hoc est absurdum: ergo &c. Prob. sequel.: sicut productioni actus debetur preemium, ita & liberæ conservationi illius; sed in hora sunt infinitæ conservations; cum sint infinita instantia: ergo &c. Resp. negando sequel. Ad probationem distinguo mai.: sicut productioni actus debetur preemium, ita conservationi illius, pro quolibet illius instanti continuativo, nego mai.: pro quilibet parte nova duracionis, concinno mai.: inversis terminis distingo min., & nego consequent.. Non ergo cuilibet instanti continuativo correspondet preemium, sed requiritur aliqua morula, aut duratio, ut de novo prudenter existimat, quod novo

novo prœorio sit dignus actus
continuatus , seu continuatio
illius.

11 Replicabis : si in
quolibet instanti daretur novus
actus , daretur , & novum prœ-
mium : ergo pariter , cum in
quolibet instanti detur nova
continuatio libera, dabitur no-
vum prœmium. Resp. negando
conseq. & paritatem ; quia in
casu antec. , in quolibet instanti
poneretur actus extra causas
cum nova , & distincta liber-
tate physica ; & sic nihil mi-
trum , quod poneretur novum
prœmium ei debitum ; at vero
in instanti continuativo non
exerceretur nova libertas ex-
plicite , sive in actu 2. , & exer-
citio physico ; quia nihil phy-
sicum de novo causatur , sed
solum interpretative ; nam cum
posset non perseverare , & per-
severet , judicatur ibi nova li-
bertas ; quare non est novum
prœmium.

12 Dubitabis 2. : an
augmentum charitatis debitum
actibus remissis statim detur ?
Circa hanc difficultatem Tho-
mista cum Angelic. Praecept.
2a. 2æ. quest. 24. art. 16. com-
muniter tenent , quod tale aug-
mentum charitatis per actus
remissos non confertur in eodem
instanti , in quo prædicti actus
eliciantur : & circa tempus , in

quo tale augmentum conser-
rat postea , non satis inter se
conveniunt. Huic sententiæ ad-
hærent quam plures Scotiæ
citantes Subt. Doct. in 4. dist.
21. quest. 1. & dist. 22. quest.
unica, artic. 2. Sed affirmativa
est probabilior. Cum quaque sit

CONCLUSIO.

13 Augmentum cha-
ritatis pro actibus remissis sta-
tim datur , sicut pro actibus in-
tensis , proportione servata.
Prob. primo : ex Concil. Trid.
eit. ubi docet , quod Deus jus-
tificatis promittit augmentum
gratiae , & gloriæ sub conditio-
ne tantum , quod eliciant ope-
ra condigne meritoria : ergo ,
posita conditione , cuilibet ope-
ri meritorio statim dabitur aug-
mentum gratiae , & gloriæ. Con-
seq. prob. ex ipso Concilio ses.
6. cap. 10. : *justi per observan-
tiā mandatorū Dei , & Ec-
clesiæ , in ipsa iustitia per Christi
gratiā accepta , cooperante fide ,
bonis operib⁹ crescent , ac magis
justificantur :* ergo quia statim
accipiunt augmentum gratiae ;
vel dicant contrarij , ubi ap-
ponatur aliqua limitatio , vel
dilatio p̄mij promissi ?

14 Confirmatur: Concilium ibi loquitur distinctè de augmento gratiæ , & gloriae; nam docet, gloriam non dari, nisi suo tempore , scilicet , si in gratia disceserit : de gratia autem absolute docet , statim conferti , posito opere salutari, tempore non expectato ; quia ut tenet commune Juristarum proloquium : *exceptio firmat regulam in contrarium.* Hoc est, exceptio posita in uno extre-
mo , & non in alio , manifeste firmat regulam in contrarium pro illo extre-
mo , cui non apo-
nuntur exceptio.

15 Dices 1. contra hanc conclus. ex Doct. in 4. Dist. 22. quæst. unic. num. 9. & in Reportatis ibidem ; ubi satis aper-
te docet , Deum non retribuere in hac vita pro omnibus bonis actibus , sed reservare ad aug-
mentum gratiæ post vitam : er-
go &c. Respondeo 1. , Docto-
rem ibi locutum fuisse juxta opinionem tunc temporis com-
munem ; quæ tamen post defini-
tiones aïlatas ex Trid. non
est nunc in eodem probabili-
tatis gradu. Respondeo 2. , quod
est opinio valde probabilis,
Deum in ingressu gloriæ præter
gratiæ , quam justi merentur
per bona opera , dare aliquod
genus gratiæ ultra præmium

condignum : & de hoc potest intelligi Doctor cit. scilicet, via-
toribus , excepto Christo Do-
mino , ejusque purissima Ma-
tre , reservari aliquod augmen-
tum gloriæ post hanc vitam.

16 Dices 2. : si aug-
mentum gratiæ correspondens
bohis operibus remissis statim
daretur , sequeretur , quod ius-
tus in via posset adæquare gra-
tiæ Patriæ ; sed hoc non est
dicendum , ait Scotus cit. , nisi
de Christo Domino , & anima
Beatæ Virginis : ergo &c. Res-
pondeo , concedendo sequæ-
lam : quis enim negabit , gra-
tiæ Apostolorum in via non
superasse gratiam puerorum , qui
post suscepimus baptismum sta-
tim decesserunt è vita? Imo
probabilius est , aliquos , &
etiam omnes justos , non habe-
re maiorem gratiam in Cœlo ,
quam habuerunt in termino
viæ. Ad probationem minoris ex
Doct. respondeo , quod intelli-
gendas est sicut manet explicata
in 2. responsione replicæ
antec.

17 Dubitabis 3. : per
quos actus diminuatur charitas
habitualis ? Certum de fide est ,
quod charitas habitualis de-
perditur per quodcumque pec-
atum lethale. Unde dubium
de hoc non procedit ; sed solum
de

de peccatis venialibus : an scilicet , licet peccatum veniale non privet tota gratia , & charitate , privet tamen aliquo illius gradu ; ita ut charitas de facto maneat remissior per peccata venialia ?

18. Dico : per peccata venialia quantumcumque multiplicentur , habitus gratiae , & charitatis non minuitur . Est communis , & probatur i. ex Trid. ses. 6. de justificatione cap. 11. ubi definitur , quod quamvis justi , & sancti in hac mortali vita venialiter quotidie cadant , non propterea desinunt esse justi . Et paulo post ait : *quod Deus :: sua gratia semel justificatos non deserit , nisi prius ab eis deseratur* ; sed per peccatum veniale justus non desinit esse justus : ergo per illud nihil de sua justitia amittit . Prob. hæc conseq. : si aliquid de sua justitia amitteret , jam saltim secundum illud , quod amitteret , desineret esse justus ; & sic absolute verum non esset . quod justi per venialia , non desinunt esse justi .

19. Prob. 2. conclusio ratione : si habitus charitatis minueretur per peccata venialia , hæc possent toties repeti , quod charitatem extinguenter ; sed hoc nequit dici ; alias ve-

niale transiret in mortale : ergo &c. Prob. sequel. : si noui peccatum veniale , vel duo , aut quatuor auferrent aliquem gradum charitatis , possent repeti , & tollere alium gradum , & sic procedendo ; sed gradus charitatis non sunt infiniti , ut omnes concedunt : ergo possent ita multiplicari numero peccata venialia , quod ultimus gradus charitatis penitus extingueretur ; & consequenter &c.

20. Dices i. : experientia constat , quod post multorum peccatorum venialium repetitionem , quilibet est minus promptus , & idoneus ad exercendos actus charitatis : ergo quia habitus huius minuitur per peccata venialia . Prob. conseq. : ex maiori facilitate in exercendis actibus optime infertur maior intensio virtutis , seu habitus ; ergo similiter ex maiori difficultate optime infertur minor intensio charitatis ; *quia contrariorum eadem est ratio* . Respondeo concessio antec. negando conseq.. Ad probationem dico , antecedens esse verum de virtute , & habitu acquisitione , qui deseruit ad faciliter posse . Non autem de virtute , & habitu insufflo , qui solum dat posse , ut supra dictum manet .

21 Unde licet minus idoneus se experiatur in actibus charitatis exercendis qui plura venialia committit, non est, quia aliquid de charitate infusa minuatur; cum haec non det facilitatem, & promptitudinem ad operandum; sed quia aliquis habitus vitiosus generatur mediis illis actibus peccaminosis; quia ad actus oppositos inclinat, & facilitate in acquisitionem exercendi actus charitatis impedit, seu destruit. Per hoc patet ad imbibitam probationem consequentia; quia illa ineptitudo, seu habitus vitiosus genitus ex venialibus peccatis non contariatur charitati infusa, sed tantum acquisitione.

22 Dices 2.: quam plures SS. PP. videntur, asserere peccata venialia minuere charitatem: ergo &c. Confirmatur, augmentatio, & diminutio sunt circa idem; sed charitas potest augeri, & de facto augetur: ergo & minui. Nunc sic; sed hoc nequit fieri, nisi per venialia peccata: ergo &c. Respondeo, quod Patrum testimonia intelligentur de diminutione indirecta charitatis, quae est dispositio ad charitatis corruptionem; quia licet per peccata venialia aliquid gratiae, & chari-

tatis non desperatur; tamen homo disponitur, ut labetur in peccatum lethale, quo charitatem amittat juxta illud: *qui spernit modica, paulatim decidet in graviora.* Ad confirmationem dico, contraria esse circa idem, quando subjectum æqualiter se habet ad utrumque; sed charitas infusa non eodem modo se habet ad augmentum, & diminutionem. Habet causam efficientem, scilicet Deum, & disponentem, seu meritoriam; scilicet, nostros charitatis actus; sed non habet causam diminuentem, saltim in hac prudenter de facto; sed ut hoc clarius constet.

23 Dubitabis ultimo: *quomodo charitas habitualis incipiat, & desinat esse?* Dico breviter: charitas habitualis infunditur a Deo gratis: ab eodem auctoritate effectiva: per nos autem intenditur meritorie: & perditur demeritorie. Tota haec conclusio constat ex dictis tom. 6. Cursus huius almae Provinciae agendo de modo, quo habeat esse gratia habitualis. Quare non est amplius in hoc immorandum.

QUÆST.

QUÆST. VII. ET ULTIMA.

An gratia, & charitas creata formaliter ex natura rei distinguantur?

¹ **Q**UAMVIS tomo 6. cit. tract. 17. disp. 1. quæst. 3. pag. 381., ut mox dicemus ad longum; stabilitum sit, non dari realem distinctionem inter gratiam, & charitatem creatam; gravis tamen est difficultas inter Scotistas: *an formaliter ex natura rei distinguantur: an vero formaliter ex natura rei diversa connotata?* In quo, ni fallor, lis est aliquomodo de nomine. Unde, ut melius percipiatur; nota, quod consulto quærimus de charitate *creata*; quia aliud est loqui de charitate, *ut sic*; aliud de *creata*, & *limitata*.

² Certum enim est; charitatem *ut sic* non sortiri denominationem gratie; sed, *ut sic* denominetur, debet intelligi recepta in subjecto; & consequenter ut finita, & limitata. Unde charitas exigit essentia-liter limitationem, ut gratia dicatur; sed non ita, ut limitatio, sit ratio formalis constitutiva in esse gratie; sed ut

quid transcendens, & requisitum; quia gratia, juxta Concilium, est forma intrinsece inherens: & sicut per receptionem, & inherentiam non constituitur formaliter in esse gratia; etsi sit requisitum essentialiter; sic dicimus, quod limitatio, & inherentia charitatis non est ratio formalis constitutiva ipsius inesse gratia, licet requiratur. Hoc notato,

Dico 1.: charitas creata non distinguitur formaliter ex natura rei à gratia habituali: sed eadem formalitas simpliciter, ut est principium actus dilectionis Dei, appellatur charitas: & in quantum in subjecto recipitur illud consistendo gratum, & acceptum Deo, dicitur gratia. Conclusio sic explicata est quamplurium Scotistarum. Prob. ratione: gratia ideo est formaliter gratia, quia est interior renovatio animæ constituens hominem gratum, acceptum, & diligibilem à Deo; sed hoc totum convenit habitui charitatis creatæ, in quantum recipitur in anima, aut voluntate: ergo &c. Mai. est certa; prob. min. ex Doct. in 2. dist. 26. §. ad argumenta. V. ad 4. ubi tenet, quod in quantum homo habet habitum charitatis, qui est principium dilec-

lectionis Dei , redditur diligibilis, & acceptabilis acceptatione speciali : ergo totum, quod convenit gratiae , convenit charitati habituali , ut recepta.

4 Confirmatur 1.: gratia in tantum constituit subiectum amabile , in quantum illud perficit ; sed perficit illud in quantum est formaliter charitas : ergo & illud constituit amabile in quantum est formaliter charitas. Prob. min. : in tantum constituit gratia subiectum amabile , in quantum est principium amoris meritorij ; sed hoc habet , ut formaliter charitas : ergo &c. Prob. min. ex Doct. cit. , ubi aum. 6. ait: *quod gratia tantum perficit animam in ordine ad determinatum actum , scilicet , meritorium , qui est solius voluntatis.* Et clarius in Reportat. ibi: *g. dicitur.* ¶ item: *gratia non perficit animam qualitercumque , sed solum ut principium operationis.* Nil clarius pro nobis.

5 Confirmatur 2.: charitas creata formaliter qua talis reddit animam in linea supernaturali pulchriorem , quam quæcumque alia formalitas ab ipsa distincta : ergo charitas creata formaliter qua talis reddit hominem acceptabilem , & ama-

bilem Deo. Prob. antec. : charitas creata , quia formaliter charitas , est perfectio simpli- citer simplex : & non illa formalitas , quæ à contrarijs dicitur gratia : ergo pulchriorem reddit animam in linea super- naturali , quam quæcumque alia formalis ab ipsa distincta.

6 Prob. 2. conclusio : illa sunt idem formaliter , quæ ita adequate se includunt in suis conceptibus formalibus , ut conceptus formalis unius idem dicat , ac conceptus formalis alterius ; led sic se habent conceptus formales gratie , & charitatis creatæ : ergo &c. Prob. min. quod conceptus formalis gratie dicit , est , esse participationem formalem divina naturæ , juxta Scotistas ; esse deorem animæ illam constitutem Deo acceptam , & à Deo specialiter amabilem in ordine ad beatitudinem ; sed omnia hac dicit conceptus formalis charitatis creatæ: ergo &c. Prob. min. : in primis per charitatem constituit homo particeps moraliter divinæ naturæ ; tum , quia per illam acceptatur homo , ut filius Dei , juxta illud Joannis: *Videte qualem charitatem &c.* Tum , quia est prima radix meriti de condigno ; cum omne meritum , & demeritum oriatur

à voluntate elicitive, vel imperative: ergo &c.

7 Deinde charitas creata est decor, & pulchritudo spiritualis animæ eam constitutens Deo acceptam, & amabilem in ordine ad beatitudinem. Tandem, quia si homo per gratiam generatur, & renovatur, & reformatur in eo esse, in quo deturpabatur per peccatum; huiusmodi renovatio fit per charitatem, quam tam: ergo omnis conceptus formalis gratiae convenienter etiam charati creatæ qua tali.

8 Dico 2.: gratia, & charitas creata unice distinguuntur penes diversa connata, scilicet, in quantum actum connotat, dicitur *charitas*; & in quantum connotat subjectum illam includens, dicitur *gratia*. Sic expresse Doct. in 2. dist. 27. ubi agens de distinctione gratiæ, & charitatis §. ideo alia est opinio, sic ait: differunt etiam ratione connotati; quia illud absolute potest considerari, ut est habens principium operandi, & ut sic non dicit imperfectionem, & potest esse in Deo, & dicitur *charitas*. Potest etiam considerari, ut objectum Dei est in me, prout Deus habet me gratum, & sic de-

terminat objectum, & dicitur *gratia*, est tamen idem ro. Ubi Subtilis Doct. postquam in anterioribus verbis non agnoverat in charitate formalitatem aliquam à gratia distinctam, praeter limitationem; concludit in hac autoritate apponendo inter ipsam, & gratiam solum distinctionem penes diversa connotata: ergo juxta mentem Doct. &c.

9 Sed ut aliqua argumenta faciliter diluantur, notate, quod hæc distinctio penes diversa connotata, licet non sit realis, quam ponunt Thomistæ; nec formalis, ut volunt aliqui Scotistæ; nouamenta est virtualis, aut per rationem; quia respectus, & connotata differunt per terminos, quos respiciunt; sed termini, quos respiciunt gratia, & charitas creata, ut connotata, sunt realiter distincti; cum sint vel ipsa anima, & actus charitatis; vel ipse Deus, ut amabilis: ergo distinctio illa penes diversa connotata non est rationis, sed realis connotativa; non posita à Thomistis; quia ista etiam cadit penes absolutum gratiæ, & charitatis.

SOLVUNTUR ARGU-
menta.

10 Arguitur 1. : gratia est principium essendi , & charitas principium operandi ; sed principium essendi , & operandi differunt formaliter , sicut essentia , & propria passio ; ergo &c. Confirmatur ; gratia est participatio divitiae naturae ; & charitas creata divina charitatis ; sed divina natura , & charitas differunt formaliter , sicut essentia , & propria passio ; ergo &c. Resp. distinguendo min. ; sed principium essendi , & operandi differunt formaliter in substantijs , omitto min. ; in accidentibus , nego min. & conseq.. Fides ergo in suo conceptu adæquato ejusdem indivisibilis formalitatis includit , & principium essendi fidelem , & credendi fideliter. Unde & conceptus adæquatus gratie , & charitatis creatæ utrumque formalissime includit penes diversa connotata. Ad confirmationem nego mai. ; quia charitas creata est participatio moralis divitiae naturae , sicut gratia : & gratia participatio moralis divitiae charitatis.

11 Arguitur 2. : principium conveniendi , & discon-

veniendi diff. runt formaliter , sicut superius , & inferius ; sed Deus , & creature convenient in conceptu charitatis , & non in conceptu gratiae ; cum hæc non detur in Deo : ergo Confirmatur : hæc est bona consq.: est gratia : ergo charitas ; non tamen è contra : est charitas : ergo gratia : ergo quia charitas se habet , ut quid superioris respectu gratiae ; & consequenter &c. Resp. omissa mai. , distinguendo min. ; sed Deus , & creature convenient in conceptu charitatis prout abstrahit à limitata , & illimitata , conc. min. : in conceptu charitatis limitata , nego min. , & consequentiam sub eadem distinctione.

12 Itaque non dicimus , quod charitas , ut sic non differat à gratia ; nam sicut differt à charitate limitata , differt à gratia ; quia eo præcisè quod intelligatur charitas limitata conceinens , & connotans subiectum , intelligitur gratia. Unde sicut charitas limitata ratione limitationis differt à charitate , ut sic ; similiter , & gratia. Per hoc patet ad confirmationem. Hæc enim est bona consq. : est gratia : ergo charitas limitata : & similiter : est charitas limitata : ergo gratia : licet non valeat absolute: est


est charitas ut *sic*; ergo *gratia*: in hoc ergo sensu stat superioritas charitatis ad gratiam. Vide dicta num. 1. huius.

13 Replicabis: charitas, quæ abstrahit à limitata, & illimitata, non est per nos formaliter *gratia*: ergo nec charitas creata habitualis est idem formaliter cum *gratia habituali*. Prob. conseq. dum charitas, ut *sic* contrahitur ad esse limitatum, tantum dicit limitationem, & accidentalitatem supra rationem charitatis; sed prout dicit limitationem, & accidentalitatem non constituitur in esse *gratiæ*: ergo charitas limitata non est idem formaliter cum *gratia*. Respondeo distinguendo antec. : charitas, quæ abstrahit &c. non est per nos formaliter *gratia* defectu alicuius formalitatis specificæ *gratiæ*, nego antec. : defectu alicuius prædicati transcendentalis denominantis in esse *gratiæ*, conc. antec., & nego conseq.. Et concessis præmissis probationis, nego conseq..

14 Explicatur solutio: charitas ut *sic* secundum omne id, quod dicit in recto, est *gratia*, et si non denominetur *gratia*; quia ut talem denominationem habeat, debet con-

notare limitationem, ut requisitam essentialiter; nam si non intelligitur, ut limitata, non intelligitur, ut creata, ut accidens, & ut infusa; quod est essentialiter requisitum, ut intelligatur renovans, & perficiens animam per sui infusionem, sine cuius renovatione, & infusione non appellatur *gratia*: hac ergo ratione charitas divina non appellatur *gratia* respectu animæ.

15 Quapropter *gratia* non distinguitur à charitate ut *sic*, sicut homo ab animali; quia homo ultra animalitatem addit rationalitatem, quæ *per se*, & *in recto* pertinet ad ejus simplicissimam constitutionem. *Gratia* vero non includit aliquid prædicatum per se, & *in recto* constituens *gratiam*. Unde charitas, & *gratia* se habent, ut sapientia ut *sic*, & sapientia in Angelo, quæ ultra sapientiam solum addit limitationem, & accidentalitatem, non ut constitutivas sapientiæ Angeli, sed ut essentialiter prærequisitas, ut intelligatur sapientia.



Notantur aliquæ difficultates huius Disputationis alibi jam discussæ.

Quia quamplures sunt quæstiones ad hanc disputationem attinentes, quæ tamen in aliis materiis Cursus Theologicus huius Almæ Provinciæ, pro Dignitate tractatae sunt; operepratum duxi eas hic omittere; cum tempus pro aliis difficultatibus instet. Placuit tamen in gratiam studientium, hic breviter annotare loca, in quibus de his actum est. Sit ergo.

Quæst. 1. an, & quomodo voluntas concurrat cum habitu charitatis ad actum dilectionis Dei super omnia? Tom. 4. tract. 10. disp. 6. quæst. 1. per totam. Pag. 214.

Quæst. 2. an habitus charitatis nobis infusus sit principium effectuum dilectionis Dei super omnia: vel solum sit conditio elevans voluntatem? ibidem. Quæst. 3. sect. 1. & 3. Pag. 237. & 247.

Quæst. 3. an habitus infusus charitatis sit tota ratio agendi?

Eodem tom. tract. & Disputatione, quæst. 4. Pag. 266.

Quæst. 4. an habitus charitatis infusæ suppleri valeat per auxilium extrinsecum Divine omnipotentie? Ibi quæst. 5. Pag. 295. & tom. 6. tract. 17. Disput. 3. quæst. 7. Pag. 491.

Quæst. 5. an sine charitate, vel alia forma intrinseca possit homo constituit sanctus, justus, amicus Dei, & ejus filius adoptivus? Eodem tom. 6. tractatu, disput., quæst. & Pagin. ac antecedens.

Quæst. 6. utrum habitus charitatis realiter distinguitur ab habitu gratie? Tom. 6. tract. 17. disp. 1. quæst. 3. Pag. 381.

Quæst. 7. an charitas ex natura sua sit sanctitas? Eodem tom. & tract. disp. 3. quæst. 1. Pag. 424.

Quæst. 8. an charitas habituialis expellat peccatum physicè, vel moraliter? Ibi quæst. 2. Pag. 441.

Quæst. 9. an, ut opera Iustorum sint meritoria de condignitate æterne, debeant procedere ex imperio charitatis? Eodem tom. & tract. disp. 4. quæst. 4. Pag. 512.

DISP. II.

De charitate divina actuali.

PLura ad hanc Disput. Spectantia discussa iam sunt ; tum tractatibus antecedentibus : tum disp. 1. huius. Quare brevi negotio à præsenti disp. nos expediemus. Tract. siquidem 1. de fide, disp. 8. quæst. 2. sect. 2. probatum manet , quod actus fidei infusæ est intrinsece , & quoad substantiam supernaturalis. Quare ut ibi notavimus num. 17. , idem dicendum venit de actu charitatis infusæ. Deinde, eodem Tract. & disp. Quæst. 3. per totam stabilitum manet , quod actus naturalis fidei potest elici viribus naturæ circa idem objectum formale fidei infusæ ; & consequenter , quod circa idem omnino motivum dantur fides divina acquisita , & infusa. Quod similiter ; & de actu charitatis infusæ , & acquisitæ dicendum venit. Circa quam etiam difficultatem actum est disput. 1. huius Tractatus, quæst. 2. per totam. Quare pauca nobis restant tractanda. Sit ergo

QUÆST. I.

*Quid , quotplexè sit charitas
actualis ?*

EX dictis quæst. 1. huius num. 14. constat , quod charitas habitualis est quid creatum intrinsece inherens anime per modum formæ , sicut habitus elevans illam ad esse supernaturale , & ad filiationem adoptivam

Dei , ejusque voluntatem ad diligendum Deum propter se , & proximum propter Deum. Ex qua definitione satis constat resolutio prime partis huius questionis. Unde dico , quod charitas actualis est actus elicitus à charitate habituali , simul cum voluntate , quoquæ diligimus Deum propter se , & proximum propter Deum. Circa hoc non est amplius immorandum ; quia nulla se esset difficultas.

2 Circa 2. partem vero quæstionis dico, quod sicut charitas habitualis alia est infusa alia acquisita; & hæc alia supernaturalis, alia vero naturalis nostris actibus acquisita, ut diximus quæst. 2. huius cit.; sic similiter potest charitas actualis dividiri in supernaturalem, & naturalem. Charitas actualis supernaturalis sunt actus ipsius charitatis infusæ versantes erga Deum, ut Auctorem gratiæ, & gloriæ: & erga proximum propter Deum. Charitas autem actualis naturalis sunt actus versantes erga Deum, ut Auctorem naturæ, & erga proximum, ut bonus naturalis est. Quod talis charitas naturalis detur, constat ex dictis num. 2. quæst. 2. disputat. 1. huius.

3 Sed circa hoc ut omnis æquivocatio tollatur, præoculis habendum est, quod variis modis potest dici charitas actualis naturalis, aut supernaturalis. Primo enim dici potest naturalis, aut supernaturalis tam *objectivæ*, quam *subjectivæ*. Erit namque utroque modo naturalis, quando objectum dilectionis est quid naturale, seu naturaliter cognoscibile, & sine speciali gratia, aut auxilio ex parte voluntati

tis; & hæc charitas reperiri potest sive in Gentili, sive in Chatholico diligente Deum ex naturalibus, ut Auctorem naturæ; & proximum ut bonum naturaliter præscindendo à donis gratiæ. Erit vero tam objective, quam subjective supernaturalis, si sit erga objectum supernaturale, & elicita mediante principio supernaturali elevante potentiam ad talen actum eliciendum.

4 Secundo potest actus charitatis esse supernaturalis *subjectivæ*, & *naturalis objective*. Talis est, quando diligitur Deus, ut Auctor naturæ, aut homo, ut est participatio Dei secundum esse, ab aliquo existente in gratia, vel medio aliquo auxilio superno. Tertio tandem potest actus charitatis esse supernaturalis *objective*, & *naturalis subjectivæ*: v. g. si aliquis Gentilis audiens, Deum esse Trinum, & Unum, aut incarnatum fuisse Verbum divinum, & hoc crederet; tunc posset elicere actum dilectionis circa talia objecta supernaturalia; qui quidem naturaliter elicetur, cum non esset prout opportet, ad hoc, ut ei justificationis gratia conferretur. Ex quibus omnibus liquidò infertur resolutio

tio secundæ partis quæst. qua supposita , sit

cemus ; hinc potest dari actus erga objectum primarium sine actu erga secundarium. De hoc ergo actu , quo Deum amamus ex charitate, non amando prout tunc proximum , solum potest esse difficultas , an talis actus differat specie ab amore , quo proximum amamus propter Deum; nam quod numero distinguantur tales actus , omnino manifestum est; cum primus existat sine secundo. Unde præcipua difficultas est de amore , quo amamus ex charite proximum propter Deum. De hoc ergo dubitatur : an sit non solum ejusdem speciei , sed idem numero amor , quo simul amamus Deum ex charitate? Retolucionem dabimus per sequentes conclusiones. Sit ergo

QUÆST. II.

An eodem actu charitatis , quo diligitur Deus , diligatur & proximus?

1 Præsens difficultas procedit de actu charitatis, qui insimul versatur erga Deum, & proximum ; nam possumus; amare proximum amore , qui non sit charitatis. Talis est amer amicitiae , quo amamus proximum propter se ipsum , seu ex motivo propriæ bonitatis. Et hic actus sicut & habitus in ipsum inclinans , non est charitatis theologicæ , de qua agimus in præsenti , sed benevolentia , & specie distinctus à charitatis actu , & habitu , quo Deum propter se , & proximum propter Deum diligimus. Et quæproximus , an talis actus sit idem tam numericè quam specificè. Pro cuius ulteriori explicatione

2 Nota, quod cum Deum possimus amare propter se , quin tunc amemus proximum propter Deum; quia Deus est objectum primarium, & proximus secundarium , ut disp. seq. di-

Prima conclusio.

3 Eodem specifice actu , quo solus Deus diligitur ex charitate , diligitur , & proximus propter Deum. Est contra Ægidium de Præsentatione , & alios antiquos. Est tamen expressa nostri Doctoris in 3. dist. 28. & in Reportatis eadem distinctione. Prob. conclusio ratione : objectum secundarium habitus seu potentia , prout tale

le, non specificat actum: ergo tale objectum prout tale non arguit diversum specificum actum. Patet antec. ; quia objectum secundarium, & materiale prout tale non est specificativum; hoc enim est proprium solius objecti formalis motivi. Nunc sic; sed proximus est objectum secundarium, & materiale charitatis: ergo non specificat actum specie diversum ab illo, quo attingitur objectum primarium charitatis, scilicet, Deus.

4. Confirmatur: objectum secundarium secundario terminat: ergo supponit actum 1. terminatum ab alio objecto primario: ergo non dat speciem actu. Antec. est certum: probatur hęc conseq.: quod est posterius, nequit speciem dare priori; sed terminatio actus objecti secundarij est posterior terminatione ejusdem actus ab objecto primario: ergo objectum secundario terminans, nequit dare speciem actu: cum jam actus supponatur specificatus in determinata specie ab objecto primario: ergo cum proximus sit solum objectum materiale secundarium, ut disp. sequenti dicemus, non arguit diversitatem specificam in actu distincto ab illo, quo diligi-

tur Deus, ut objectum primarium.

5. Dices contra istam conclusionem: Deus ex charitate diligitur, ut finis ultimus noster: proximus vero diligitur ex eadem charitate, ut medium aptum ad talen finem: ergo amor Dei, & proximi essentialiter distinguuntur. Antec. est certum. Prob. consequentia: medium, ut tale, habet distinctam essentiam, bonitatem, & amabilitatem, ac habet finis: ergo medium, ut medium, specificat actum amoris essentialiter diversum ab actu amoris erga finem. Antec. est Doct. quodlib. 16. artic. 1. & in 3. dist. 34. quæst. unic. §. *His suppositis.* Et etiam constat ratione; quia inter plura media ad aliquem finem ideo, unum amatitur præ alio, quia, ut tale, melius est; vel quia magis conductit ad consecutionem finis: ergo bonitas medij est distincta essentialiter à bonitate finis.

6. Respondeo 1. negando antec. quoad utramque partem; quia licet Deus, ut Deus, sit finis ultimus noster, non tamen diligitur ex charitate reduplicative ut talis finis; quia ut sic, supra bonitatem absolutam Dei, addit respectus rationis ad media, v. g. crea-

turas; sicut similiter medium, ut tale, dicit respectum ad finem. Deus igitur, qui est finis, ex charitate diligitur; ceterum non ut finis reduplicative: similiter proximus, seu ejus dilectio, qua est medium ad illum finem, diligitur ut objectum secundarium; attamen non ut medium reduplicative, sed sub ratione, qua de tali medio complacet Deus. Ratio est; quia medium, ut tale, debet ponи in esse, ante quam finis acquiratur; si ergo dilectio proximi esset medium ad dilectionem Dei, hec nullatenus posset potи, quin prius poneretur in esse dilectio proximi, quod falsissimum est; quia prius diligitur ex charitate Deus; potea ex eadem charitate amatur proximus propter Deum summè dilectum.

7 Respondeo 2. omisso antec. negando conseq.: & distinguo ejus probationem: medium ut tale habet distinctam essentialiam, & bonitatem, cum subordinatione, & ordine ad bonitatem finis, se habentem ut primarium respectu medij, concaute: haber essentialiter, & sine subordinatione, & ordine ad bonitatem primariam finis, nego antec. & conseq. Verum ergo est in nostris principijs, me-

dia in esse rei suam habete bonitatem distinctam à bonitate finis; ceterum bonitas hæc non amat, nisi ratione bonitatis finis: & sic non amat propter se, sed propter finem. Bonitas ergo medij, ut talis, licet aliquomodo conduceat ad prælationem sui præalio, de materiali se habet ad dilectionem medij propter finem: bonitas vero finis de formali; cum sit ratio propter quam amat medium. Quod præsertim in præsenti habet locum: si enim proximus propter Deum non amaretur, tunc talis amor non esset ex charitate supernaturali, ut dixi, num. 1.

Secunda Conclusio.

8 Eodemmodo numero actu quo ex charitate diligitur Deus, potest diligi proximus explicite; veruntamen potest ita diligi Deus, ut ultra non progressiatur ad amorem proximi. Hæc conclusio est communis quoad utramque partem. Prob. i. pars ex dictis: eodem actu, quo attingitur objectum primarium specificarivum aliquius actus, sive potentia, attingitur objectum secundarium, seu materiale: sed Deus est

est objectum primarium charitatis; proximus vero secundarium: ergo eodem numero actu &c. Maior est Doctoris in 1. dist. 1. quest. 2. §. *Quantum ad ipsum articulum.* num. 6. & ultra probatur: eodem actu quo Beatus videt essentiam divinam, quæ est objectum primarium visionis beatifice, videt attributa, personas, & alia, quæ in divina essentia continentur, quæ sunt objecta secundaria: ergo.

9. Prob. 2. pars conclusionis: nam qui Deum secundum se, & sine ulla attentione ad proximum, diligenter, abs dubio eliceret perfectissimum actum charitatis: ergo non est necesse, ut qui Deum diligit diligat necessario proximum explicitè. Dixi explicitè; quia in amore Dei implicitè virtualiter, seu interpretative necesse est, ut amor proximi intelligatur; cum juxta dicta, ille, qui Deum diligit, necessario interpretative vult ex eadem charitate omnia, quæ Deus vult, & quæ sibi complacent; sed Deus maxime vult, & complacet de dilectione proximi; cum illam præcipiat, ut videbimus disp. 4. huius: ergo in amore Dei implicitè, virtuiter &c.

10. Dices contra 1.

part. conclus.: actus, quo ex charitate diligitur Deus præcisè & explicitè, est essentialiter distinctus ab actu, quo explicite, & distinctè diliguntur Deus, & proximus: ergo eodem numero actu, quo diligitur Deus explicitè, nequit proximus explicitè diligi. Prob. antec.: plus distinguuntur actus, quo explicitè diligitur Deus præcisè explicitè diligitur, quam actus iste ab alio actu simili, quo, scilicet, Deus præcisè, explicitè diligatur; sed isti duo actus numero distinguuntur: ergo & ille primus actus, quo ex charitate diligitur Deus præcisè, & explicitè plusquam numero distinguetur ab actu, quo explicite, & distinctè Deus, & proximus diliguntur; & consequenter distinetur essentialiter.

11. Respondeo negando antecedens: ad probationem distinguo mai.: plus distinguuntur actus, quo explicitè diligitur Deus, plus materialiter, conc. mai.: plus formaliter, nego mai., & concessa min. nego conseq. Solum ergo sequitur, quod intranumericam distinctionem detur maior distinctio materialis. Intet illos actus. Hæc autem non facit differentiam specificam, & essentialiem, ut patet hoc exemplo, Magis distinguuntur calor, ut quæ-

quatuor a calore , ut unum , quam calor , ut unum , ab alio calore , ut unum ; & ex hoc non inferatur , quod calor , ut quatuor , distinguatur essentia-
liter a calore , ut unum . Ra-
tio est ; quia intra latitudinem distinctionis numeralis præcise reperitur maior , & minor dis-
tinctio materialis & gradualis , non vero formalis . Similiter in
præsenti ; cum actus , quo solum Deus explicite diligitur , idem habeat motivum formale , ac
actus , quo Deus , & proximus diliguntur , & differentia solum sit ex parte materiæ , hinc sequitur , quod differentia inter
prædictos actus sit solum ma-
terialis , & non formalis .

12 Dices 2. contra 2.
part. conclusionis : amor Dei ex charitate est perfectissimus ; sed amor Dei perfectissimus vult , dilectum diligi a proximo ; & hoc est diligere proximum : ergo amor , quo ex charitate diligitur Deus , necessario terminatur ad proximum . Resp. concessa mai. , distinguendo min. ; sed amor perfectissimus Dei vult dilectum , scilicet , Deum diligi a proximo , vel explicite , vel implicite , conc. min. : expli-
te præcise , nego min. & conseq. Argumentum ergo solum probat , quod diligens ex chari-
tate perfectissime Deum ad

minus implicite , & interpretati-
ve debet diligere proximum , quod non negamus , ut dixi in
conclusione .

Tertia conclusio .

13 Eodem numero actu , quo ex charitate diligitur pro-
ximus , necessario diligitur Deus ; ita ut nullus possit esse actus charitatis , quo proximus dili-
gatur , & non Deus . Est com-
munis , & prob. : diligere , quod proximus diligt Deum , est perfecte , & ordinate diligere Deum ; sed diligere proximum ex charitate , est proprie diligere , quod proximus diligt Deum : ergo eodem actu , quo diligitur proximus , diligitur perfecte , & ordinate Deus . Con-
firmatur : omnis actus charita-
tis , eo quod talis , necessario
debet terminari ad objectum primarium , & specificativum illius ; sed actus , quo diligitur proximus ex charitate , supponit actus charitatis : ergo ne-
cessario debet terminari ad ob-
jectum primarium , & specifica-
tivum charitatis , cuiusmodi est Deus .

14 Dices 1. contra hanc conclusionem : potest diligi pro-
ximus ex sola complacencia sui ,

& propter ejus bonitatem supernaturalem participatam, absque ullo prorsus respectu ad bonitatem Dei increatam, cuius est participatio; sed talis actus, esset non solum numero, verum etiam specifice diversus: ergo non eodem numero actu, quo ex charitate diligitur proximus, necessario diligitur Deus. Prob. mai.: perfectio naturalis est participatio perfectionis divine non minus, quam perfectio supernaturalis; sed, hoc non obstante, potest proximus amari charitate, & amicitia naturali propter se ipsum, seu suam perfectionem naturalem sine ordine ad Deum: ergo à pari, & bonitas supernaturalis proximi poterit amari amore amicitiae, sine ullo respectu ad Deum.

15 Respondeo distinguendo mai.: potest proximus diligi ex sola complacentia sui &c. & talis dilectio non erit virtutis theologice charitatis, conc. mai.: erit actus charitatis, nego mai., & conseq., imo & suppositum: falluntur ergo Adversarij, dum judicant, quod acta virtutis theologice charitatis potest diligi proximus ex sola complacentia sui, & propter ejus supernaturalem bonitatem participatam, absque ullo prorsus respectu ad bonitatem Dei in-

creatam, cuius est participatio; nam casu, quò talis dilectio datur, hæc procederet, vel ab aliquo habitu naturali, aut ab aliquo habitu, aut auxilio supernaturali, de quo in præsentis non curo; non vero esset, nec procederet ab habitu infusio charitatis supernaturalis; cum in tali casu deficeret ejus objectum primarium, & specificativum.

16 Ad probationem mai., concessu antec., nego conseq. & paritatem; nam amicitia naturalis est habitus acquisitus ex actibus quibus solent homines alios diligere propter solum bonitatem naturalem in illis existentem, sine ulla relatione in Deum, ut Authorem ejusdem. At vero, cum habitus charitatis supernaturalis sit participatio illius increatae charitatis, qua Deus nos propter se ipsum diligit; ideo ex sua natura inclinat subjectum ad amandum proximum propter Deum; & sic nullus potest esse actus erga proximum, qui ex hac inclinatione non procedat; & consequenter, qui non tendat in Deum ultimate.

17 Replicabis: ex hac doctrina sequitur, quod caritas non sit amicitia erga proximum; sed hoc est falsum: er-

ergo &c. Prob. sequela: ex Philos. 8. Ethicor. : *amicitia est gratia amici*; diligit enim amicum ex complacentia ipsius amici: ergo si charitas diligit proximum, non ex complacentia ipsius, sed Dei, non erit amicitia proximi, sed Dei. Prob. seq.: qui amicum diligit, non propter communum, & complacentiam amici sed propter commodum, & complacentiam sui non ipsum amat amore amicitiae, sed concupiscentiae; quia amor specificatur ex objecto, ex cuius complacentia elicetur: ergo si charitas diligit proximum &c.

18 Respondeo, negando sequelam; replica enim solum concludit, si proximus praeceps diligeretur ob bonitatem increataam Dei, & solum ut utilis ad aliquod bonum, quod Deo desideramus; sic enim talis dilectio esset pure actus concupiscentiae, sicut amor mediij utilis ad finem. Sed non est sic in proposito; supponimus enim, proximum, dum ex charitate diligitur, diligit etiam secundario, & minus principaliter, ob intrinsecam sui bonitatem, & ex complacentia sui. Nec quod diligatur propter Dei bonitatem primario, tollit, quod hic amor sic amicitia erga proximum; quia complacen-

tia Dei non oblit, quin vere, & propriè bona supernatura- lia proximi amentur, ut bona, & utilia ipsi proximo, quod sufficit ad propriam, & veram amicitiam, ut patet in ipso Deo, qui verè nos diligit amore ami- citiae, ut patet ex illo Joan. 10: *vos amici mei estis*: cum tamen nos diligit primario ex compla- centia sui.

19 Ratio totius est; quia honesta amicitia non impedit, ut omnia bona propter Deum amentur, & in ipsum, ut in finem ultimum, re- ferantur; cum hæc sit precipua circumstantia virtutis, & præ- fectim infusa, & supernatura- lis; & sic non est contra rationem amicitiae diligere amici- um, ut finem sub fine ulti- mo, & sub principali amico, scilicet, Deo, sub quo reliqua sunt diligenda. Nec cum di- xit Philosoph., quod amici- tia est gratia amici, excludit ordinem ad ultimum finem, ad quem omnis virtus dirigenda est, sed solum ad alterum finem creatum. Qui pluta circa hoc desideraverit legat N. Mastrius hic, quæst. **22.** per totam. Tamen.

20 Dubitabis hic: an idemmet habitus charitatis, qui inclinat ad dilectionem Dei super em- pria, inclinet etiam ad dilection-

nem proximi? Aliqui Theologi, maxime R. R., afferunt, debere admitti duas virtutes charitatis specie diversas: una, qua diligitur Deus, & proximus, prout iste consideratur particeps bonitatis divinae formaliter, seu prout dicit relationem ad bonitatem Dei; & haec est virtus theologica charitatis. Alia, qua diligitur proximus secundum propriam bonitatem supernaturalem praecisive à relatione, quam dicit ad summam bonitatem Dei: & haec est virtus moralis infusa, & non theologica. Oppositum huius docetur communiter à Theologis, maxime à N. Sub. Doct. tum in Oxoniensibus, tum in reportatis in 3. dist. 28. cum qua.

21 Dico: eodem habitu charitatis, seu eadem virtute theologica charitatis diligitur Deus, & proximus. Prob. 1. ex Script. in qua solum fit mentio de unica charitate supernaturali; nam 1. ad Chorint. cap. 13. ait Apost.: *nunc manent fides, spes, & charitas &c.* Ex quibus sic argumentor: eodem modo loquitur Scriptura de unitate charitatis, ac de unitate fidei, & spei; cum solum assignet tres virtutes; sed non dantur duæ fides infusæ, nec duæ spes supernaturales: ergo

nec duæ virtutes charitatis, quærum una diligatur Deus, & proximus propter Deum, & alia proximus propter suam bonitatem propriam.

22 Prob.: amor proximi, ut est executio præcepti divini, est meritorius, & supernaturalis: ergo est ab eodem habitu charitatis, quo diligitur Deus; iste enim habitus est principium merendi in ordine supernaturali. Antec. patet, tum ex illo ad Rom. cap. 13.: *qui diligit proximum, legem implevit;* sed legis impletio, & mandatorum observantia est meritoria, & supernaturalis: ergo & amor proximi. Tum, ex illo Matthœi 24. ubi dicitur: *quod mandatum de dilectione proximi est simile mandato de dilectione Dei;* ergo ab eodem habitu, debent provenire.

23 Prob. 3. ex S. S. P. P.; nam Div. Aug. lib. 8. de Trin. cap. 8. & Serin. in Dominic. post Ascens. ait: *non alia charitas diligit proximum, quam illa, quæ diligit Deum.* Et Div. Gregor. homil. 27. in Evangel. charitatem cōparat radici, ex qua multi rami procedunt. Et Div. Bernard. Serm. de Cœna Domini *charitas est dilectio Dei, & proximi.* Et clarius

rius Vener. Beda explicans illud Epistolæ ad Rom. an. cap. 5. *duo sunt præcepta charitatis, ait: una charitas; quia non alia charitate Deum diligimus, & proximum.* De hoc amplius disp. sequent. dum de objecto materiali charitatis secundario agamus.

24 Dices tamen 1. contra hoc: in Deo, & in proximo dantur rationes distinctæ specificativæ, & consequenter sunt distincta objecta specificativa: ergo ad illa objecta attingenda distincti habitus specifici requiruntur. Antec. constat; nam ratio specificativa amoris charitatis erga Deum est bonitas divina; & erga proximum, est bonitas creata; sed istæ bonitates plus quam genere differunt: ergo &c. Confirmatur: honestates objectivæ eleemosynæ, & justitiæ magis inter se convenient, & cum honestate charitatis cuiusvisque virtutis moralis, quam honestas proximi cum honestate Dei; sed, hoc non obstante, habitus inclinantes ad actus talium virtutum specie differunt: ergo & habitus inclinantes ad dilectionem Dei, & proximi.

25 Respondeo, negando antec. & maiorem probat. quoad 2. part.; quia solum bonitas divina est ratio objectiva

specificativa habitus, & actus amoris Dei super omnia, & sola illa est quæ primò movet, & terminat actum amoris Dei, & proximi; bonitas vero creata solum est objectum materiale, & secundario terminativum; & cum habitus solum specificetur ab objecto primario formali, & motivo, sequitur, quod sit unicus, etsi inclinet ad dilectionem proximi. Ad confirm. concessis præmissis, nego conseq. Disparitas est; quod actus cuiuscumque virtutis moralis, & ejus bonitas objectiva est appetibilis propter suam intrinsecam bonitatem independenter ab honestate alterius; ceterum bonitas supernaturalis proximi non est diligibilis, nisi per dependentiam a bonitate Dei, saltim dilectione recta, & ordinata. Unde estò sit maior distinctio inter bonitatem Dei, & proximi, est tamen maior dependencia, & connexio unius ad alteram.

26 Dices 2.: nova, & maior difficultas potest esse in dilectione proximi, quam in dilectione Dei: ergo & novus habitus infussus charitatis. Antec. constat, maxime in dilectione inimici, Resp. omnibus antec. negando conseq.; quia licet virtutes morales, & acquisitæ ponantur ob difficulta-

tes vincendas , virtutes tamen infassæ infunduntur à Deo ad simpliciter posse , & non ad difficultates vincendas ; quamvis verum sit quod ex actibus repetitis , medio habitu infusso charitatis , acquiratur novus habitus , qui tollat tales difficultates. Imò replica patitur instantiam in virtute fidei ; nam maior videtur difficultas in credendo mysterium Trinitatis , quam in eo , quod Deus creavit Cœlum , & Terram. Et tamen , qui credit , innititur authoritati divinae utrumque revelanti , ideo èquè faciliter credit unum , ac aliud ; sic ergo de habitu charitatis erga Deum , & proximum.

27 Dices ultimo : charitas juxta nos , est virtus theologica ; sed hoc ipso non possumus eodem habitu charitatis diligere Deum , & proximum : ergo. Probatur min. : de ratione virtutis theologica est solum respicere Deum : ergo charitatem virtute theologica non possumus diligere proximum : ergo alio habitu charitatis ipsum diligimus. Respondeo concess. mai. negando min. : ad cuius probation. distinguo antec. : de ratione virtutis theologica est solum respicere Deum pro objecto specifiativo motivo , &

primario , conc. antec. : est solum respicere Deum , & nihil aliud , adhuc ut *objectum materiale* , & *secundarium* , nego antec. & conseq.. Solutio satis constat ex dictis , quæst. 1. disp. 1. huius à num. 11. & Tract. antec. disp. 1. quæst. 3. num. 3.

QUÆST. III.

An actus charitatis vię , & Patrię specificè distinguantur ?

1 **D**ifficultas hæc , ut ex ipsomet titulo constat , solum procedit de actu charitatis ; nam si sermo insitui vellit de habitu charitatis , an sit idem in via , & in Patria ? Passim Theologi concedunt , illum esse eundem , necdum specie , sed etiam numero in Patria , & in via. Sic expresse N. Subt. Doct. in 3. dist. 31. num. 9. , quodque & deducitur ex illo Pauli ad Corinth. 13. : *charitas numquam excidit* : quæ authoritas cum nequeat intelligi in hac vita , ubi frequenter per peccatum mortale charitas excidit , intelligi debet , quod numquam excidat in alia , si usque ad mortem homo cum illa perseveret. Et hoc intelligendum est de

de habitu charitatis , quem ultimo habuit viator in hac vita , & in articulo mortis ; nam habitus charitatis , qui per peccatum amittitur , non reviviscit idem numero ; & consequenter non erit idem numero habitus charitatis in Patria , qui semper fuit in via , sed solus ille , qui fuit ultimo in via , hoc est extremo mortis articulo.

2 Unde difficultas solum est de actu ipso charitatis : an , scilicet , actus ille charitatis , quo quis decepit in vita , sit ejusdem speciei cum actu charitatis Patriæ ? Et ratio dubitandi oritur præcipue primo ex differentia luminum , fidei , scilicet , & gloriae , per quæ attingitur Deus in via , & in Patria . Secundo , ex differentia cognitionum ; nam hic solum cognoscitur Deus obscure , & abstractive ; in Patria vero intuitive , & in splendore gloriae . Tertio tandem ex differentia habitus , vel actuum , qui in via sunt imperfecti , & defectibiles , in Cœlo autem consumati , & indefectibiles per totam æternitatem . Ex quibus omnibus prima facie videtur sequi , quod actus charitatis via sit specificè distinctus ab actu charitatis Patriæ ex omnibus his capitibus . Sed tamen

3 Circa praesentem difficultatem duplex est opposita sententia : prima est affirmativa afferens , eos actus esse ejusdem rationis specificè , & solum accidentaliter differre , sicut imperfectum , & perfectum intra eamdem speciem : & sic tantum in intentione aliquam habere diversitatem . Ita Thomistæ passim cum Angel . Doct . 2a.2æ. quæst . 24. Hanc eamdem sententiam probabilem reputant quamplures Scotistæ in via Doct . in 4. dist . 49. quæst . 5. & in Reportatis eadem dist . quæst . 4. , & Quodlibet . 17. § . contra conclusionem . Imo aliqui Jesuitæ cum Suarez disp . 3. de charitate . Sect . 3. affirmant , non tantum actus charitatis viae , & Patriæ esse ejusdem rationis specificè , sed etiam posse esse ejusdem rationis numericè ; cum possit idem numero actus in via incohatus continuari in Patria sine interruptione ; quod probabilissime judicat Suarez de actu ferventissimo charitatis Immaculatae Virginis , quo Deum in via dilexit , qui & in Patria continuatus fuit . Opposita sententia docet , actus charitatis viae , & Patriæ esse diverse speciei . Hanc tenent plurimi Scotistæ citantes pro se Doct . ia

in 3. dist. 31. & etiam in 4. dicitur. 49. quæst. 5. Pro hac stant aliqui ex Thomist. , & ex RR. citat. a N. Mastr. hic quæst. 24.. Cum quaque sit

non potest: ergo perfectio amoris Patriæ supra amorem viæ talis est, ut non solum sit individualis, sed specifica, & altioris ordinis.

Nostra Conclusio.

4 Actus charitatis viæ specificè distinguitur ab actu charitatis Patriæ. Est conformis secundè sententiæ, probabiliorque N. Doctori. Probatur I. ex communi modo loquendi SS. PP., qui sàpè afferunt, charitatem huius vitæ longe superari à charitate Patriæ; ait enim August. lib. 1. Retractat. cap. 7. : erit enim tunc plenior, imò plenissima; sed sancti PP. non solum loqui videntur de plenitudine accidentalí, & intensiva, sed substantiali, & specifica; nam de beata Virgine omnes concedunt, quod habuerit charitatem intensiorem, quam omnes Beati in Cœlo existentes, tam secundum habitum, quam secundum actum: ergo necessè debent intelligi de plenitudine quoad specificam perfectionem. Confirmatur: perfectio amoris beatifici super amorem viæ talis est, ut naturaliter loquendo hic amor ad illam perfectionem pervenire

5 Prob. 2. conclusio ex Subt. Doct. in 3. dist. 31. quæst. unic. §. sed abduc. Ubi ait: & hoc modo dico, quod respectu Dei in se, non solum sunt actus intelligendi, & voluntandi, sed etiam actus diligendi sic, & sic, non tantum differentes secundum magis, & minus sub eadem specie, sed scilicet species in eodem genere. Confirmatur ex ipso cit. in 4. Dist. 49. quæst. 5. num. 6. ubi tenet probabilius, quod fruitio beata, & non beata differenti specie; se ipsis quidem formaliter, sed à causis, vel habitudine causalium, causaliter, scilicet, propter differentiam fidei, & visionis. Unde concludit, amorem, seu fruitionem perfectissimam possibilem viatori non æquare fruitionem infimam Beati; quia supremum infima speciei non potest aquare infimum superioris speciei: ergo juxta Subt. Doct. &c.

6 Prob. 3. conclusio ratione: diversa approximatio, sive distincta in specie conditio per se requisita ad rationem effectus, seu actus,

necessario infert distinctionem specificam unius effectus ab alio ; sed cognitio viæ , quæ est applicatio objecti divini, seu conditio per se requisita ad amorem , specie distinguitur à cognitione intuitiva , & clara Dei in Patria , quæ est ibi conditio essentialiter requisita ad amorem beatificum : ergo amor viæ , & Patriæ specie differunt. Maior patet ; quia individua ejusdem speciei , ut sint , numquam necessario , & per se exigunt dispositiones specie diversas. Min. etiam constat ; nam amor beatificus necessario , & essentialiter p̄cipit supponit claram , & intuitivam Dei visionem. Confirmatur : illud , quod est idem essentialiter cum alio , non petit essentialiter nec diversum principium , nec diversam specie cognitionem: ergo cum amor beatificus , ut talis , diversam essentialiter petat cognitionem , ac amor viæ sequitur &c.

7 Prob. 4. conclusio: cognitiones , quæ applicant voluntati diversa objecta materialia , vel formalia , causant diversos affectus ; sed cognitio intuitiva , & abstractiva applicant voluntati Deum amandum sub diversa formalitate in via , & in Patria : ergo &c.

Prob. min. : Beati vident in Deo clare , & distinctè multa attributa , & perfectiones , quas fides non ostendit , nisi obscure , & confusè ; sicut cognitio animalis ut sic indistinctè ad omnia animalia terminata est confessa , & diversa specie ab ea , qua distinctè , & clare cognosco eadem animalia , hominem , Leonem , Equum &c. sub propriis differentiis specificis : ergo sicut cognitio terminata ad animal ut sic est specie distincta à cognitione , qua distinctè , & clare cognosco eadem animalia sub propriis differentiis specificis , sic amor , quo amo Deum , ut propositum obscure in via specie differet ab amore , quo ipsum secundum plura attributa clare , & distinctè proponitur in Patria , diligio.

8 Aliqui AA. probant hanc conclusionem ex maiori perfectione appetitativa , quæ reperitur in amore beatifico p̄x amore viæ. Alii probant ab inconvenienti , scilicet , quod homo in via (estò minus intense) posset beatificari , sicut in Patria ; quia cum fructu sit ratio formalis constitutiva beatitudinis ; si est hæc eadem cum amore viæ , sicut in Patria constituit beatum , ita & posset in via. Sed certe nec istæ , nec

alia rationes absolutè convincent intentum, ut adverit hic N. Mastrius. Quare eas omitto,

Solvuntur argumenta.

9 Arguitur 1.: juxta Apost. 1. ad Corinth. cap. 13.: *charitas numquam excidit*; sed hoc esset falso, nisi actus ejus esset ejusdem speciei tam in via, quam in Patria: ergo actus charitatis tam in via, quam in Patria sunt ejusdem speciei. Confirmatur: ex dictis, quæst. antec. in fine, idemmet habitus charitatis est, qui est in via, & in Patria: ergo & idemmet actus in specie erit in via, & in Patria. Prob. hæc conseq.: ab uno habitu non possunt fieri actus, nisi ejusdem speciei: ergo &c.

10 Resp. neg. min.; quia Apostol. loquitur de charitate habituali, vel de actuall generice, in quantum amor charitatis erit utrobique similis quoad rationem genericam. Et hoc deducitur ex intento Apostoli, quod erat, ostendere charitatem esse excellentiorem fidei, & spei; quia iste ex se dicunt aliquam imperfectionem in modo tendendi in objectum; nam fides tendit in illud mo-

do obscuro, & spes in objectum absens; qui modi tendendi sunt eis ita essentiales, ut aliter nequeat haberi ratio fidei, & spei: charitas vero nullam imperfectionem dicit, & præscindit à præsentia, vel absentia objecti; sed tendit in Deum, & in se bonum, indifferenter à præsentia, vel absentia ipsius. Unde quod intendit Apost. est, quod in Patria, ubi abest omnis imperfectio, non reperitur actus fidei, & spei; bene vero verus, & proptius actus charitatis: an vero hie sit ejusdem speciei, vel diversæ cum amore viae, non curabat ibi.

11 Ad confirmationem resp. concec. antec. negando conseq.: ad probationem disting. antec.: ab uno habitu acquisito, non possunt fieri actus, specie distincti, transeat antec.: ab uno habitu supernaturali, & infuso nego antec. & conseq.; itaq; licet ab habitibus acquisiti nequeant provenire nisi actus similes, & ejusdem specieis cum huiusmodi habitus semper inclinet in actus similes illis, a quibus fuit genitus; falsum tamen est, quod ab eodem habitu supernaturali, & infuso non possunt provenire actus specie diversi; quia talis habitus se habet instar potentiarum, quæ ad

ad plura se extendit, & non generatur ex actibus. Vide quæ diximus quæst. antec.

12 Arguitur 2. : impossibile est, diversum specie actum produci ab eadem potentia, & ab eodem habitu circa idem objectum formale; sed respectu actus charitatis tam in via, quam in Patria, eadem est potentia, scilicet, voluntas; idem habitus charitatis; & idem objectum, scilicet, Deus secundum se, & propter se: ergo & idem specificè actus. Confirmatur: distinctio specifica actus desumitur vel à distinctione potentiae, vel habitus, vel objecti formalis, vel modi tendendi circa ipsum: ergo ubi hæc omnia indistincta inveniuntur, etiam invenitur indistinctus actus. Nunc sic; sed eadem est potentia in via, & in Patria, idem habitus, & objectum, ut constat; & tandem idem modus tendendi hic, & ibi; quia tam Beatus, quam viator eadem affectione justitiae tendunt in Deum, ut est summum bonum in se: ergo &c.

13 Respondeo neg. mai. argumenti; nam ad unitatem plura requiruntur, quam ad distinctionem; distinctio enim, ut potest imperfectio, & quid ma-

lum provenit à minimo defectu; unitas vero excludit omnes; unde licet respectu actus charitatis sive via, sive patiæ, sic eadem potentia, idem habitus, idemque objectum formale; si tamen modus tendendi in objecto sit necessarium, & essentialiter distinctus, etius specie distinctus erit; sed sic evenit in praesenti; nam ad amorem via concurret necessario cognitio abstractiva; & ad amorem Patriæ indispensabiliter, & essentialiter prærequiritur cognitio clara, & intuitiva ipsius objecti; unde hæc sufficit ad diversificandos tales amores.

14 Ad confirmationem, disting. antec.: distinctio specifica actus desumitur inadæquatè à distinctione potentiae &c., conc. antec.: adæquatè, nego antec.: distinctio ligata actus non desumitur solum à distinctione habitus, objecti, potentiae, & modi tendendi; sed etiam à distincta applicatione per se requisita ad causandum. Sic calor v. g. per Christallum collectus, aut transiens causat ignem, & sine illo calorem. Sic similiter ignis magis, vel minus approximatus est causa, cum ignem causet, aut solum calorem. Unde cum cognitio abstractiva, & intuitiva sint conditio-

nes quasi applicatiæ objecti, & specie diversæ, hinc distincta illatum applicatio erit sufficiens ad distinctum in specie amorem causandum in via, & in Patria.

15 Arguitur 3. & est replica: cognitio objecti ad amorem prærequisita solum inducit rationem præcipue conditionis, non vero principii physici influentis in amorem: ergo nequit cognitio distincta inferre amorem specie diversum: ergo ex eo, quod ad amorem patriæ requiratur, ut conditio, cognitio intuitiva, & ad amorem viæ abstractiva, non bene sequitur, quod hi amores sint specie distincti. Prob. 1. conseq.: quod non influit, nec causat entitatem rei, sed solum est conditio, ut res existat, nequit date specificationem: ergo. Confirmatur: cognitio abstractiva, & intuitiva objecti creati non inferunt necessario amorem ipsius specie distinctum: ergo nec cognitio abstractiva, & intuitiva Dei.

16 Resp. distinguendo mai. : cognitio objecti ad amorem prærequisita solum inducit rationem præcipue conditionis per se, & essentialiter, & determinate requisitæ ad tales amores specie diversos, conc. antec.: non sic prærequisita, nego

antec. & consequentias. Non enim dicimus, eo præcisè amor rem viæ distingui specie ab amore Patriæ; quia illum præcedit cognitio abstractiva; istum vero intuitiva; sed quia amor Patriæ, eo quod talis, exigit per se, & essentialiter talem intuitivam cognitionem, ita ut sine ipsa impliceat haberi talis amor; amor autem viæ exigit per se cognitionem abstractivam, & imperfectam. Ex quo patet ad confirmationem, cuius antecedenti conceps., nego conseq. ob rationem datam.

17 Arguitur ultimò, & est ad idem: cognitio objecti, juxta N. Subt. Doct. cit. in 4., respectu amoris, solum se habet ut conditio applicationis, seu ut applicatio, ad hoc, ut voluntas applicata ad objectum, seu ut objectum applicatum voluntati, haec habeat amorem; ergo cognitio abstractiva, & intuitiva respectu amoris solum differunt in hoc, quod sit magis, aut minus applicativa. Nunc sic; sed maior, aut minor applicatio causæ ad causandum tantum infert, quod causa intensius, aut remissius operetur, ut patet in calore, qui eo intensius calefacit, quo est magis applicatus; sed tamen semper causat calorem ejusdem spe-

Speciei : ergo , etiam etsi cognitio intuitiva sit intensior applicatio , quam abstractiva , tamen voluntas semper causabit amorem ejusdem speciei.

18 Respond. omiss. antec. disting. conseq. : cognitio intuitiva , & abstractiva respectu amoris solum differunt in eo , quod sit maior, aut minor applicatio in diversa linea , & ordine applicationis , conc. conseq. : intra eamdem lineam , & ordinem applicationis , nego conseq. ; cum igitur cognitio intuitiva Patriæ sit alterius rationis essentialis , & prout talis , est apta ad amorem beatificum , hinc sit, quod diversa essentialiter applicatio diversum inferat essentialiter effectum. Nec exemplum de calore urget ; tum quia maior, vel minor applicatio ad calefaciendum semper est ejusdem

rationis specificæ , & sic semper causat calorem ejusdem speciei. Tum , quia calor respectu caloris est causa univoca; voluntas vero respectu amoris est causa æquivoca potens æquivocos effectus producere.

19 Ex omnibus dictis infertur , impossibile esse , eundem numero amorei viæ posse in Patria perseverare. Ratio est ; quia ad minus debet mutari de minus apretiativo in magis apretiativū; amor Patriæ sit magis apretiativus , quā sit amor viæ; sed huiusmodi mutatione nequit fieri absque mutatione totius entitatis unius actus in entitatem alterius; cum mutetur judicium practicum , cum quo debet commensurari : ergo implicat perseverare eundem numero actum.



DISP. III.

DE OBJECTO TAM FOR-
mali , quam materiali cha-
ritatis.

Explicata essentia charitatis tam habitualis , quam actualis , nunc de utriusque objecto venit agendum. Et cum objectum cuiuscumque potentiae , aut habitus sit duplex , materia , & formale; de utroque in hac Disput. tractabimus ; sed quia objectum materiale propter formale attingitur ; prius de objecto formali sit:

QUÆST. I.
Quodnam sit objectum forma-
le motivum charitatis
theologicæ?

ad voluntatem pertinens , &
ultra sit virtus theologica , ne-
cessere est , ut habeat bonum di-
vinum , ut objectum specifi-
cativum primario terminativum ,
& formale motivum. Sed que
bonitas divina sit huiusmodi mo-
tivum formale? Est , quod con-
trovertitur in præsenti.

1 Variè apud A. A.
sunt modi opinan-
di in hac materia : sed ut
certa ab incertis separemus ,
notandum est ut certum apud
omnes , bonitatem divinam
esse objectum formale charita-
tis ; quia cum hac sic virtus

2 Theologi ergo com-
muniter distinguunt divinam bo-
nitatem in bonitatem per effe-
tum , que est bonitas Dei im-
participata ; & in bonitatem di-
vinam per participationem per-
tinentem ad ordinem super-

naturalem, quæque est participata à creatura ex bonitate divina per essentiam. Deinde, & est bonitas divinæ naturæ, seu essentiaz, qua Deus est simpliciter bonus, & infinite perfectus per suam naturam, seu essentiam; & est bonitas singularium attributorum, prout hæc sunt, vel formaliter ex natura rei, vel virtualiter, vel solum per intellectum distincta à natura divina, & inter se. De his, ergo bonitatibus est difficultas in præsenti, quænam ex his sit ratio formalis objectiva, & motiva charitatis? Circa quod, ut dixi, sunt varij modi dicendi.

3 Prima sententia docet, tale objectum formale motivum charitatis, quæ est virtus supernaturalis infusa, esse Dei bonitatem, qua bonus est, ut Auctor supernaturalis, seu ut est principium rerum, & donorum supernaturalium. Sed notandum est, quod non dicunt hi A. A., quod Deus prout est benefactor noster nobis conferens dona supernaturalia est formale motivum charitatis: dicunt ergo, quod Deus ratione illius perfectionis absolute, qua est Auctor donorum, & rerum supernaturalium, & non prout per talia dona est bonus

nobis, est objectum formale motivum charitatis; dona vero supernaturalia indicate illam perfectionem, & bonitatem, quæ est ratio motiva charitatis, seu qua est dignus dilectione. Sic communiter Thomistæ citati hic à Maistro.

4 Secunda sententia tenet, objectum formale motivum charitatis esse bonitatem divinam, ut analogicè communem bonitati divinæ per essentiam, & bonitati divinæ per participationem. Sic aliqui R.R., quos cit. P. Gonet. Tertia Sententia sustinet, objectum formale motivum charitatis esse bonitatem divinam, ut transcendentem naturæ divinæ, & attributis, imo & relationibus: sic quæplures Scotistæ cum aliquo R. R. Quarta demum sententia afferit, bonitatem divinæ naturæ, ut præcissam ab attributis, & relationibus, esse objectum formale primarium, & motivum charitatis theologicæ. Quid nobis tenendum postea constabit. Nunc placet breviter rejicare alias sententias.

5 Dico 1.: Deus præcisse, ut est objectum beatificum nostrum, aut Auctor rerum supernaturalium, non est objectum formale motivum cha-

charitatis. Sic Doct. in 3. dist.
 27. quæst. unic.. Prob. 1.: Deus ex virtute charitatis ita amandus est, quod adhuc amaretur, etiam si numquam vellat esse causam nostræ beatitudinis, & aliorum donorum supernaturalium: ergo Deus, ut Auctor donorum supernaturalium non est ratio motiva charitatis. Prob. antec. : Deus adhuc abstracte ab hoc, quod sit Auctor donorum supernaturalium, est dignus amore nostro, & charitate amandus: ergo &c. Prob. antec. : si per impossibile bona supernaturalia aliunde haberentur, & non à Deo, adhuc Deus, prout est in se præcise bonus, esset summe amabilis; imo sic de facto Sancti ipsum ex charitate amant; quia si scirent, nec se, nec ullos alios unquam ad statum supernaturalis elevandos esse, adhuc vellet ipsum maximè amare: ergo &c.

6 Confirmatur: charitas juxta omnes, respicit Deum pro objecto primario sub ratione perfectissima diligibilitatis, quæ in Deo reperitur; sed hæc perfectissima ratio non est, Deum esse Auctorem donorum supernaturalium: ergo &c. Prob. min. : Deum esse Auctorem donorum supernaturalium non est, nisi quedam habitu-

do, ordo, sive comparatio Dei ad creaturas, quatenus ipsas benefacit, seu beatificat; sed talis ordo non est perfectissima ratio Dei; quia melior est Deus sub quacumque ratione absoluta tam essentiali, quam attributali, quam secundum quacumque relationem, ad creaturas ergo &c.

7 Prob. 2. evertendo fundamentum Thomist. : ideo Deus, ut est Auctor supernaturalium donorum, esset forma le motivum charitatis, quia est necesse assignare distinctionem ex parte objecti formalis inter actus amoris supernaturalis Dei, & actus amoris naturalis ipsius; sed hæc distinctione ex parte objecti formalis necessaria non est, imo nec datur ex parte objecti motivi distinctione amoris supernaturalis Dei ab amore naturali; quia ex eodem motivo, quo Deus amatur amore supernaturali, potest amore naturali: ergo &c. Vide quæ diximus tract. 4. de fide disp. 8. quæst. 3. per totam.

8 Dices 1. pro hæc conclus. : ex propositione Michaelis Baij constat, dari amorem naturalem Dei, cuius objectum est Deus, ut auctor naturæ: & dari amorem supernaturalis, cuius objectum est Deus,

Auctor gratiæ , seu supernatura-
lis: ergo cum charitas infusa sit
habitus inclinans ad amo-
rem Dei supernaturalem,
ejus objectum formale est
bonitas Dei , ut Auctoris
supernaturalis. Respendeo ne-
gando conseq. Bajus enim ne-
gabat esse possibilem amorem
naturalem Dei , & quod Deus ut
Auctor naturæ amaretur; nos è
contra dicimus; & quod negamus
est , amorem naturalem necessi-
tatio moveri bonitate naturali-
& supernaturalem bonitate su-
pernaturali ; uterque enim amor
potest moveri , & bonitate su-
pernaturali , & naturali;
& sic distinctionem in-
ter hos amores non desumi-
mus ex objecto , sed ex alijs
comprincipijs. Vide loc. cit. in
Tract. de fide.

9. Dices 2. : Deus , ut
est objectum beatificum nos-
nostrum formaliter , magis mo-
vet nostram voluntatem ad di-
lectionem super omnia; ergo sub
hac ratione est objectum chari-
tatis. Prob. antec. ex Doct. *De*
primo principio cap. 4. num. 36.
ubi summam Dei amabilitatem
infert ex summa ejus communi-
cabilitate , ita ut si per im-
possible præcinderetur à summa
bonitate ipsius in se , ad huc esse

in eo summa ratio amabilitatis.
Resp. disting. antec. : Deus ut
est &c. magis movet nostram vo-
luntatem ad dilectionem Dei
super omnia , secundum *affectum*
commodi , conc. antec.: secun-
dum *affectum justitiae* , nego an-
tec. immo & suppositum; quia
secundum talēm affectum ad
dilectionem sui propter se ne-
quit movere.

10. Ad probat. ex Doct.
dico , ibi tantum intendere quod
divina , & summa bonitas ma-
xime dignoscatur per ejus com-
municationem ad extra , tam-
quam per effectum , quod est
verum; non enim ait Scotus , quod
per sui communicationem ad
extra constituantur in esse sum-
mi boni. Unde amor Dei erga
nos , & communicatio suorum
bonorum excitat , & allicit vo-
luntatem nostram ad sui amo-
rem ; sed hoc secundario , &
non primario. Quod apto exem-
plio ipsius Doct. declaratur:
amatuer quis à nobis primario
propter bonum honestum in ip-
so repertum : & secun-
dario ; quia nos redamatis; hæc
redamatio excitat , & alli-
cit nostram voluntatem ad
ipsum amandum. Sic pariter
bonitas essentialis Dei primò nos
movet ad ipsum diligendum ex
charitate ; & ejus bonitas no-
bis

nobis communicata secundario, & allicitivé.

11 Dico 2. : bonitas divina, ut analogicē communis bonitati divinæ per essentiam, & bonitati divinæ per participationem, non est objectum motivum formale charitatis. Est contra A. A. secundæ sententiae; probatur tamen : bonitas divina, ut sic analogicē communis, non est nec potest esse objectum primo, & per se specificativum charitatis: ergo nec formale motivum ipsius; quia motivum cuiuscunq[ue] actus, & habitus est specificativum ejus. Prob. antec.: objectum specificativum charitatis debet esse perfectissima bonitas; sed bonitas divina, ut sic analogice communis divinæ per essentiam, & divinæ per participationem, non est bonitas perfectissima: ergo. Maior constat; quia charitas est virtus omnium perfectissima, ut dictum manet. Min. etiam patet; quia bonitas divina in prædicto conceptu abstracta, non includit bonitatem per essentiam, quæ est perfectissima bonitas.

12 Confirmatur : si ratio motiva charitatis esset bonitas divina, ut sic analogicē communis charitas esset minor fide, & spe; sed hoc est

contra dictum Apostoli I. ad Corinth. cap. 13. maior autem horum est charitas: ergo &c. Prob. mai. : motivum fidei, & spei esset maius, & excellenterius, quam bonitas divina analogice communis; quia motivum fidei theologiq[ue] est veritas divina per essentiam in dicendo: & motivum spei est bonitas per essentiam, qua Deus est bonus nobis; sed quodcumque ex his motivis est excellenterius, & perfectius bonitate divina analogice communis, & sub prædicto conceptu abstracto: ergo charitas esse minor fide, & spe.

13 Dices 1. contra istam conclusionem: bonitas divina, ut sic communis, potest habere rationem objecti formalis alicuius habitus; sed non alterius, quam charitatis: ergo. Resp. omissa mai. neg. min. ; quia quamvis possit datur habitus (quod non admittimus) circa bonum commune, Deo, & creature, talis habitus non esset charitatis; quia bonitas sub tali abstracto concepta non esset specificativa habitus theologici; huius enim objectum prius est Deus ut in se, & propter se amabilis super omnia; in illo autem conceptu communis bonitatis divinæ respectu bonitatis divinæ per elen-

essentiam, & per participationem, non concipitur Deus, ut in se, & propter se amabilis super omnia, ut est evidens.

24 Dices 2.: charitas inclinat in amorem Dei, & proximi; sed respectus huius actus charitatis nequit esse aliud objectum formale, nisi bonitas ut analogigice communis bonitatis per essentiam, & per participationem: ergo haec bonitas est objectum formale charitatis. Prob. min.: nemo est amabilis propter bonitatem alterius: ergo dum proximus amatur charitate, non amatur propter bonitatem Dei, sed vel propter bonitatem propriam ipsius; vel per bonitatem analogice communem ipsi, & Deo, & consequenter &c. Resp. negando min. ad probationem dico, quod dum proximus amatur charitate theologica, amatur propter Deum nam si solum propter se ipsum ameritur, talis amor non est virtutis theologicæ; quia, ex dictis, haec virtus est dilectio Dei propter se, & proximi propter Deum; unde bonitas Dei, prout in se, & objectum primario motivum talis actus, & bonitas proximi objectum secundario terminarivum, ut postea dicam.

25 Dico 3.: objectum

formale primo motivum charitatis theologicae non est perfectio aliqua divina attributalis. Contra hanc conclusionem videtur stare aliqui Scotistæ; sed in rei veritate nobiscum conveniunt, ut videmus conclus. sequent. Prob. breviter: objectum formale primo motivum charitatis debet esse perfectissima bonitas; sed bonitas attributorum, prout distincta, vel formaliter ex natura rei, vel virtualiter a Div. Essentia, non est bonitas perfectissima: ergo &c. Mai. constat ex dictis conclus. antec.: minor etiam constat quia sola, bonitas essentie est, quæ est perfectissima bonitas.

16 Prob. 2. sapientia, & similiiter alia quævis attributalis perfectio divina, non potest amari propter se ipsam absolute, sed relative, & cum ordine ad Deitatem, ut per prius amabilem: ergo nequit esse objectum formale primo motivum charitatis. Antec. constat quia licet sapientia Dei, etiam ut distincta ab essentia, sit in se formaliter infinita, hoc tamen est in determinata linea, & hoc habet radicaliter ab ipsa essentia. Conseq. inferatur; quia objectum formale primo motivum est solum illa bonitas amabilis propter se absolute, &

sine ordine ad aliud prius amabile: ergo cum bonitas sapientie &c. Argumenta contra istam concl. solventur conclus. sequenti. Sit ergo

motivum primarium charitatis.

18 Prob. 2. conclus. ratione deducta ex ipso Doct.: intellectus divini, & ejus voluntatis objectum formale primarium est divina essentia praecissa ab attributis; sed juxta Subt. Doct. in Report. in 3. dist. 27. quæst. unic. idem est objectum charitatis Dei, & nostra sicut beatitudo sua, & nostra, similiter & visio idem habent objectum: ergo cum juxta Scoti mentem sola essentia ab attributis praecissa sit ratio objecti formalis primaria visionis, & beatitudinis Dei, etiam erit objectum nostræ beatitudinis, & charitatis.

17 Objectum formale primo motivum charitatis est sola divina essentia secundum suam summam perfectionem essentiale. Est plorium Scotistarum, & satis communis inter Thomistas. Prob. 1. ex Subt. Doct. in 3. dist. 27. quæst. unic. §. *quantum ad ipsum articulum*, ubi ait: quod prima, & propria ratio Dei, id est, praecissa ratio huius essentiae, & non alia est ratio objectiva respectu charitatis. Confirmatur ex ipso Doct., qui se remittit ad dicta quæst. 1. Prologi, agendo de objecto, & ratione formalis Theologiae; sed Subt. Doct. in dicta quæst. & in quæst. 3. & 2. Later. tenet, essentiam, ut ab attributis, praecissam, esse rationem objectivam formalem, & primarissimam nostræ Theologiae: ergo conformiter ad hęc tenendum est, tamquam de mente Scotti, solam essentiam divinam, ut formaliter praecissam ab attributis, esse objectum formale

19 Prob. 3. conclusio ratione; id est objectum formale primarium, & specificativum charitatis, quod est quietativum, satiativum, & completivum bonitatis informatæ charitate, taliter, quod charitas ultra non progredijatur; & omnia alia ex charitate dilecta, ad ipsum tamquam ad primarium objectum reducantur; ita ut ipsum sit ratio formalis omnia alia attingendi; sed totum hoc convenit Deo sub ratione essentiae, ut distinctæ, & praecissa ab attributis: ergo &c. Maior quoad 1. part. est Doct. cit. in Report. ubi num. 7. ait;

ait: *eo quod potentia respiciens aliquod abjectum commune:: nequit perfectissime quietari, nisi in eo solum, in quo est perfectissima ratio objecti adequati* Major quoad 2. part. ab omnibus admittitur.

20 Prob. min. : sola divina essentia est ratio cur Deus, & omnia alia ex charitate diligantur ; proptereaque omnia ultimate tendunt in essentiam, tamquam in rationem formalem motivam , & specificatiam : ergo &c. Prob. antecedens : Deus, sub ratione praecissa Deitatis, movet , & terminat actum charitatis:& omnia alia, etiam attributales perfectiones, que per charitatem amantur non propter se ultimatae, sed propter essentiam diliguntur: ergo &c. Prob. antec: attributales Dei perfectiones ideo sunt tales , quia sunt huius essentiaz, ab illa emanant, & in illa radicantur: ergo ratione huius essentiae ultimatae diliguntur.

21 Prob. ultimo conclusio ; sic debemus discurrere de amore per lineam boni, ac de cognitione per lineam veri; sed cognitio , quæ habetur de objecto per medium demonstrativum propter quid, & per definitionem essentialem,

est perfectior cognitione habita per medium demonstrativum à posteriori , seu per demonstrationem quia: ergo similiter amor perfectissimus objecti erit , qui respicit ejus rationem essentialem pro motivo primario. Nunc sic; sed charitas inter omnes virtutes theologicas est perfectissima: ergo cum ceteræ virtutes theologales respiciant Deum sub aliqua ratione, charitas debet ipsum respicere sub perfectissima ratione , qualis est essentialis Dei perfectio , ut radix , & origo ceterarum.

Solvuntur argumenta.

22 Arguitur 1. amor tendens in Deum secundum quamlibet suam divinam , & infinitam perfectionem est secundum se affectus theologicæ virtutis ; sed non est fidei, nec spei; quia haec virtutes non respiciant Deum secundum quamlibet suam infinitam perfectionem , ut constat ex dictis agendo de objectis earum: ergo est virtutis charitatis. Prob. maior: affectus virtutis theologicæ prout talis non exigit respicere Deum determinatè , & præcisè secundum aliquam perfectionem

infinitam, ut patet in fide, & spe: ergo amor tendens &c.

23 Respondeo disting. mai. amor tendens in Deum secundum quatinus tuam divinam, & infinitam perfectionem est affectus theologiq; virtutis primarius, vel secundarius, directus, vel indirectus, conc. mai. primarius, & directus praecisè, nego mai. & concei. min. disting. conseq. eisdem terminis. Affectus igitur charitatis tendens in Deum sub perfectione attributali non est primarius charitatis; hic enim tendit in Deum sub praecissa ratione Deitatis; cum vero Deitas sit ratio ut charitas etiam tendat in bonitatem attributalem, ideo affectus in hanc tendens est secundarius charitatis. Unde sicut attributa sunt aliquid Dei, licet non directè ipsa Deitas; sic & affectus ad attributa terminatus, licet non sit directè theologicus; quia Deum directè non respicit; indirectè tamen, & reductivè theologicus est, quatenus Deum indirectè respicit.

24 Ad probationem maioris dico, quod affectus directus theologicus, & primarius petit tendere in Deum directè, & sub ratione Deitatis, & non in aliquod solum

Dei. Dum autem dicitur, quod fides respicit Deum sub ratione attributali; respondeo, quod hoc non convenit ipsi in quantum virtus theologica est, sed solum sub conceptu formalis fidei.

25 Arguitur 2. i. qui considerat cognitione régulata per fidem divinam sapientiam, bonitatem, ac aliud quodcumque attributum, potest perfectè amare Deum supra omnia propter bonitatem relucentem in tali attributo; sed hic amor, eti; respiciat pro objecto formalis motivo solum perfectiōnem divinam attributalem, & non essentiale, est proprius amor charitatis theologicæ: ergo objectum formale hujus motivum non est tantum bonitas essentialis Dei, sed etiam attributalis. Maior constat; nam quilibet perfectio attributalis Dei potest moveri ad laudandum Deum, & illum diligendum super omnia ferventissimo amore; quo motivo Ecclesia per se p. tales perfectiones nobis prōponit. Min. etiam patet; quia talis amor nequit pertinere ad aliquam virtutem mōralem, quæ tantum respicit bonitatem creatam.

26 Confirmatur i. qui diliger Deum propter suam sanctitatem cognitionem per fidem, si interrogaretur, cur Deum ama-

amaret? Responderet: propter suam infinitam sanctitatem. Nunc sic; sed illa est ratio motiva, & objectum formale virtutis, quod amans redderet pro ratione, & motivo sui amoris, juxta Doct. in 1. dist. 3. quæst. 3. verl. per hoc respondeo: ergo &c. Confirm. 1. talis amor esset amor veræ, & propriæ amicitiæ erga Deum; cum esset amor Dei proptet se, & elicitus secundum affectum justitiae: ergò esset vere amor charitatis.

27 Respondeo ad argumentum disting. min.; sed amor hic est proprius charitatis secundario reductivè, & indirectè, conc. min.: primario & directè, neg. min. & conseq. Itaque amor Dei propter suam sapientiam, & alia attributa potest esse super omnia in sensu reali, quatenus sunt idem realiter cum effectio, non vero in sensu formalis; nam sic solum essentia divina est diligibilis super omnia; nam sola hæc est diligibilis propter se absolute, & sine ordine ad aliud, ad huc formaliter, aut virtualiter distinctum; non sic attributa; nam sapientia, & cæteræ perfectiones attributales sunt propter essentiam, & sic diligibles. Et quamvis nos moveant ad laudem, & dilectionem Dei, hoc

faciunt non primario, sed excitativè, & allicitivè, & ut considerando illas ulterius progressum ad diligendum Deum propter se ipsum, ut suam essentialiæ perfectionem.

28 Ad 1. confirmationem respond. quod sic respondens non redderet primariam, & formalem rationem objectivam virtutis charitatis, sed secundariam, & reductivam, & de prima intelligenda est auctoritas Subt. Doct. non vero de secunda. Ad 2. confirmationem respondeo ex dictis, quod amor erga Deum propter aliquam ejus attributalem perfectionem non non est propriæ, & directæ amicitiæ, & benevolentiæ, quæ primario, & directe est charitas; sed amicitiæ, & benevolentiæ, quæ secundario, & indirecte est charitas. Secundo potest responderi, quod sit prius amor amicitiæ non tamen charitatis; licet enim charitas sit amicitia, non tamen omnis amicitia est charitas. Conceptus enim charitatis stat in hoc, quod sit amor Dei non solum propter se, sed etiam super omnia perfectissime; conceptus autem amicitiæ sufficientissime salvatur in eo, quod sit amor amici propter se, licet non super omnia, ut patet in amore amicabili in creatis.

29 Replicabis: po-

test quis Deum diligere propter summam sapientiam, proprie-
tam per fidem, quin diligat esse-
tiam; imo ex dilectione sapientia moveri ad dilectionem
essentia; ergo potest Deus
quæque primo diligi propter suam
summam sapientiam, ac pro-
pter suam essentiam; sed hic af-
fectus esset charitatis theologi-
æ; ergo quodlibet attributum
potest esse objectum formale
primatum charitatis. Resp. dif-
ting. antec. potest quis Deum
diligere *ex libera ordinatione*
ipius diligentis propter suam
summam sapientiam, transcat
antecedens *ex meritis objecti*, &
ex nativo ordine, aut inclinatione
charitatis. ad sic diligendum, ne-
go antec. Et eisdem terminis dis-
tinguitur conseq.

30. Itaque affectus ille
esset quoad substantiam chari-
tatis, sed non ex nativa incli-
natione charitatis quoad illam
ordinationem; nec ex meritis
objecti; nam hoc petit *ex eo*,
quod perfectiones Dei sunt,
diligantur, & moveant eo or-
dine, quo Deo concipiuntur
convenire; cum vero in Deo
deitas, & essentia non sit pro-
pter sapientiam, nec alias per-
fectiones; sed è contra, tam
sapientia, quam cæteræ perfec-
tiones sint propter essentiam,
hinc est, quod nec *ex meritis*

objecti, nec *ex ejus exigentia*,
nec *ex nativa inclinatione cha-*
ritatis, quæ mensuratur cum
exigentia objecti, nequit Dei
essentia diligi propter ejus sa-
pientiam, sed è contra; si ve-
ro ordine præpostero diligatur,
hoc erit ex arbitrio diligenti-
s: & cum *objectum formale*,
& *specificativum charitatis* non
sumatur ex arbitrio diligenti;
ideo ille affectus quoad illum
ordinem non erit ex charitate.

31. Arguitur 3. amor
Dei super omnia, quia sapiens,
bonus, sanctus, omnipotens,
&c. est ultima dispositio gra-
tiam infallibiliter inducens; sed
hoc ipso talis amor est primo,
& per se charitatis virtus
theologicæ: ergo quia quodlibet
attributum potest esse ob-
jectum formale motivum cha-
ritatis. Antec. patet; nam talis
amor est appetitivæ maior, &
super omnia, efficaciter indu-
cens. parentiam omnis peccati,
& adiunctionem omnium præ-
ceptiorum propter Deum summe
dilectum, de quo docent PP.
& Concilia, esse sufficien-
dispositionem requisitam ad no-
stram justificationem, & ad
gratiam inducendam.

32. Respond. ad
argumentum, quod prædictus
amor Dei super omnia, quia
sapiens, sanctus, &c. est suffi-
cens

ciens ad justificationem: sed nego min.; quia ad hanc sufficit actus secundarius charitatis, qui virtualiter sit amor Dei super omnia, licet non formaliter ut patet in actu contritionis sic sufficiente ad justificationem, in quantum est virtualiter amor Dei super omnia. Argumenta usque nunc posita directe militant contra 2. conclus. Nunc vero.

33. Arguitur 4. contra 3. conclusion. objectum formale charitatis est Deus sub ratione, sub qua est summum bonum, simpliciter, & absolute; sed haec summa bonitas non stat in sola divina essentia formaliter prout ab attributis distincta, sed in illa simul cum attributis: ergo. Pto. min.: summum bonum, & simpliciter bonum absolute est Deus ea ratione, qua est magis diligibilis: sed est magis diligibilis ratione essentiae, & attributorum; quam ratione solius essentiae: ergo summa bonitas Dei non stat &c. Confirmatur: Deus quatenus claudit essentiam, & attributa est maius bonum, quam secundum essentiam solum: ergo secundum essentiam solum non est objectum formale charitatis. Pto. antec. ex Doct. lib. de primo principio cap.

4. ubi ait: quo plura sunt meliora uno, quando unum alteri addit bonitatem; sed attributum addit bonitatem infinitam attributalem essentiae: ergo &c.

34. Resp. disting. mai. objectum formale charitatis est Deus sub ratione sub qua est summum bonum simpliciter, & absolute essentiae, aut in linea essentiae, conc. mai. quasi integraliter, seu extensivè, act in omni linea formali, nego mai. & sic distincta min. nego conseq. Ad probat. disting. mai. summum bonum, & simpliciter bonum absolute est Deus ea ratione, qua est magis amabilis majoritate intensiva, & essentiali, conc. mai.: majoritate extensiva, & quasi integrali, nego mai.; in veris terminis disting. min. & neg. conseq. Solutio est satis clara, & obvia.

35. Ad confirmationem poteram negare absolute antec. sed illud distinguo: Deus, quatenus claudit essentiam, & attributa est maius bonum; quam secundum essentiam solum, majoritate integrali, & extensiva, conc. antec.: intensiva, & essentiali, nego antec. & conseq. Ad probat. ex Doct. dico, plura bona esse meliora uno, quando unum addit alteri bonitatem; quam illud alterum

Rer.

non

non habet in se, vel eminenter, vel virtualiter. Unde cum bonitas attributorum superaddita essentia reperiatur in ipsa essentia secundum se eminenter tamquam in fontali radice; hinc est, quod esto attributa dicant suam peculiarem bonitatem distinctam formaliter à bonitate primaria essentiæ, non tamen faciunt maius bonum intensive, quam illa sit. Vide Doct. quodlibeto 5. art. 2. sub num. 8

36. Replicabis: esto essentia eminenter contineat perfectiones attributorum, non tamen formaliter: ergo bonitas attributalis formaliter addita essentiæ erit maius bonum intensive, quam bonitas ipsius essentiæ. Reip. negando conseq. Ratio est; quia bonitas attributalis, qualis est secundaria, supponens primariam, & essentiale in suo esse perfectissimo constitutam; & cum bonitas attributalis sit alterius, & quasi inferioris linea, ac essentialis; hinc est, quod bonitas essentiæ à bonitate attributali solum secundario, & quasi accidentaliter augeatur: & cum alias bonitas attributalis continetur in essentia, tamquam in perfectissima radice, nequit plus bonum facere intensive, quam sit ipsa essentia, ut insi-

nite bona, & radice omnis bonitatis.

37. Arguitur 5. & est replica: esto divina essentia præcissive ab attributis intelligatur summè bona essentialiter, charitas non terminatur ad illam, ut sic præcisam, nec movetur ex illa sic, sed prout est in re; sed in re est ipsa realiter una simplicissima, & summa bonitas in omni linea absque distinctione essentiæ, & attributorum: ergo sic est objectum formale motivum, & terminativum charitatis. Confirmatur licet in via ratione propositionis unius, & non alterius bonitatis, possit charitas terminari ad unam, & non ad aliam; hoc tamen nequit fieri, in Patria, ubi tota divina bonitas, prout est in se, videtur; ergo saltem in Patria objectum, formale motivum charitatis est tota divina bonitas tam essentialis, quam attributalis: ergo & in via.

38. Respondeo disting. mai.: esto divina essentia &c. ex illa movetur, ut est in re, secundum rationem suam essentialiem, sive in linea essendi radicantis omnem perfectionem, conc. mai.: prout est in te, secundum omnes alias rationes attributales, subdist. mai.: ex illa moyetur secundario, transeat mai.

mai. : primario. nego mai. & dist. min. ; sed in re ipsa est una simplicissima , & summa bonitas realis , cum distinctione formalis , aut virtuali essentia , & attributorum , conc. min. : sine tali distinctione , nego min. & conseq. Ad confirmationem , nego antec. ; quia licet in Patria ipsa essentia , prout est in re , proponatur ; cum tamen in se sit distincta formaliter , aut virtualiter ab attributis , hinc est , quod primo moveret secundum essentiam ; secundario uero secundum attributa.

39 Arguitur ultimo: bonum est objectum voluntatis: ergo bonum perfectissimum erit objectum illius , prout informatae charitate: ergo essentia divina prout ab attributis distincta non erit tale objectum. Prob. hæc conseq. : bonum dicit bonitatem , quæ est passio: ergo si bonum perfectissimum est objectum voluntatis prout informatæ charitate , essentia divina prout ab attributis distincta non erit tale objectum. Resp. concessio 1. Enthymemate , negando primam conseq. In quilibet enim essentia est bonitas primaria , & essentialis , & etiam secundaria , quæ prestat dici passio. Unde decimus , quod summa perfectio primaria divi-

næ essentiae est objectum specificativum charitatis ; nam essentia est objectum , ut est in se bona , & perfecta , non prout est bona mihi , ut docet Snt. Doct. pluribus in locis.

40 Deinde ; quia vel bonitas est passio , vel quasi passio Dei secundum essentiam , & attributa ; ita ut essentia , & attributa unica bonitate sint bona? Vel ita , ut quodlibet attributum sua gaudeat bonitate? Si primum: Nostra conclusi sic intelligitur , scilicet , quod bonitas inadæquate sumpta , hoc est , prout est affectio essentia , est ratio formalis specificativa charitatis , non autem prout est affectio attributorum. Si autem secundum dicatur ? tunc sic intelligitur conclusio , scilicet , quod essentia divina secundum suam peculiarem bonitatem est tale motivum ; non autem attributa secundum suas particulares bonitates.



QUÆST. II.

Quodnam sit objectum
materiale tam pri-
marium, quam se-
cundarium cha-
ritatis?

1. QUÆSTIO hæc, ut ex ipsomet titulo constat, procedit necdum de objecto principali, sed etiam de minus principali; & quia hæc plura esse valent; ideo breviter resolvemus, quænam sint illa objecta materialia, quæ ex charitate diligi valent? Et quamvis Magn. Par. Aug. lib. de Doct. Christiana. cap. 23. & 24. hoc compendiose declareret, dicendo: quatuor enim diligenda sunt: unum quod supra nos est, scilicet, Deus: alterum quod nos sumus: tertium, quod juxta nos est, scilicet, proximus: quartum quod infra nos est, scilicet, corpus nostrum. Licit ergo hoc in compendio doceat Sanctus Doct., nos per sequentes conclusiones breviter resolvemus.

2. Dico 1.: objectum primarium, ac principale cha-

ritatis infolle est Deus. Est communis, & prob. , tum ex Script. , nam Deuter. 6. precipit, quod Deus super omnia diligatur. Tum, quia apud Matth. 22. dicitur, hoc esse maximum, & primum mandatum. Tum probat ratione; quia in quacumque virtute, aut habitu, id est objectum materiale primarium, & principale, cui primatio, & principaliter convenit formale; sed Deus est, cui primo, & principaliter convenit ratio formalis objectiva charitatis, ut per se patet: ergo &c.

3. Dico 2. : proximus est objectum materiale charitatis secundarium, & minus principale. Est etiam communis, & satis constat ex fide; nam Matth. citat. postquam posuit pro primo, & maximo mandato dilectionem Dei subjungit, secundum tamen simile est huic: *diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Quod autem hæc doctrina debat intelligi de dilectione supernaturali ex charitate elicita, constat ex I. Joann. cap. 4. ubi dicitur: *charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere;* sed Deus dilexit nos charitate supernaturali: ergo & nos debemus sic diligere proximum.

Prob.

4 Prob. 2. hęc conclusio ratione N. Doct. in 3. dist. 28. quæst. unic. amor Dei debet esse ordinatus ; sed Deus , ut pote bonum commune omnibus nobis , vult , ut tale bonum commune ametur , & non ut bonum proprium , & privatum , sicut zelotypi solent amare mulieres pulchras , & sibi charas : ergo ut amor Dei sit ordinatus debet tendere in Deum , ut pote bonum commune ; & consequenter debet ita diligi , ut diligamus , & vellimus proximum illum diligere ; sed hoc est diligere proximum ; cum hoc sit proximo bonum perfectius : ergo ut amor noster erga Deum sit ordinatus , debemus diligere proximum. Qui plura , & sane valde pulchra , circa hoc voluerit , legat nostrum Subt. Doct. citat. in 3. §. hic sunt tria . vers. de 1. dico.

5 Dices tamen ex ipsomet Doct. cit. §. hic sunt tria , ubi ait : secundum hoc non assignatur proximus , quasi secundum objectum charitatis , sed , quasi omnino accidentale objectum : ergo. Resp. quod Subt. Doct. ibi solum vult , quod proximus non est objectum secundarium , sicut divina attributa , qæ ponuntur objecta secundaria ; quia ista sunt identi-

ficata cum Deo ; non ita proximus , qui est omnino extra Dei essentiam. Unde facta comparatione inter attributa divina , & proximum , certum est , quod per prius debet diligere attributa , quam proximus , & prout sic , omnino materialiter se habet proximus ad dilectionem Dei. Si autem hic quæras , quid intelligendum sit hic nomine proximi , qui est objectum secundarium charitatis ?

6 Dico , quod est omnis creatura intellectualis , que est capax activæ , & passivæ dilectionis Dei , boni infiniti ; unde proximus non continetur sub objecto charitatis insufflæ ex propria ratione , seu natura. Hæc resolutio est declarativa mentis N. Subt. Doct. ; & sic declaratur , &

7 Prob. : ut proximus sub objecto increato charitatis includatur , debet habere cum illo aliquam specialem participationem , & mediæ illa aliquem ordinem , seu tendentiam specialem , includere ; sed nulla alia tendentia specialior potest congruentius assignari , nisi quod proximus , media charitate , possit specialiter diligere à Deo , & possit specialiter Deum diligere : ergo sub hac ratione

con-

continetur intra objectum proprium charitatis, scilicet Deum; & consequenter, omnis creatura capax activæ, & passivæ dilectionis Dei est proximus objectum secundarium charitatis.

8 Ex dictis colliges primò, quod creaturæ irrationales non sunt proprie objecta materialia charitatis. Hoc constat ex Mag. Par. August. lib. I. de doctrina Christiana cap. 23. & 26. ubi ait: *ea sola ex charitate sunt diligenda, que nobiscum societate quadam feruntur in Deum, sicut est homo, & Angelus.* Deinde: creaturæ irrationales sunt incapaces dilectionis activæ Dei: ergo non sunt verè proximi; nec officit, quod Sapientia 11. dicatut: *diligis omnia Domine, & nihil odisti eorum, que fecisti;* nam hoc intelligendum est de dilectione quamdam communī, qua vult dare esse, & conservare; non vero de dilectione charitatis propriæ; nam hæc est in ordine ad suprema bona gratiæ, & gloriæ, quæ illa non possunt nobiscum habere.

9 Colliges 2.: quod Dœmones, & damnati non sunt ex charitate diligendi. Prob. hoc: Dœmones, & damnati, non sunt capaces dilectionis Dei

activæ, nec passivæ: ergo habitus charitatis inclinans in dilectionem ordinatam, & perfectam Dei, ipsumque respiciens ut bonum commune, ut ab alijs diligatur, non inclinat, adhuc secundario, in dilectionem Dœmonum, & damnatorum. Confirmatur; quia juxta Arg. 8. de Trinit.: *qui diligit homines, quia justi sunt, vel ut justi sunt, debet amare;* sed Dœmones, & damnati, nec justi sunt, nec possunt esse justi juxta presentem prævidentiam divinæ justitiae: ergo &c.

10 Dices contra hoc: in Dœmonibus, & Damnatis reperitur ratio imaginis ipsius Dei; cum hoc habeant ex natura sua; sed ratio diligendi proximum est, quia factus est ad imaginem, & similitudinem Dei; ergo &c. Confirmatur: Dœmones per suas vexationes, & tentationes conducunt ad cumulum, & augmentum nostræ gloriæ, & ad gloriam divinæ justitiae: ergo &c. Resp. negando min.; non enim sufficit, ut ex charitate diligentur, ut in eis inveniatur imago Dei naturalis, sed ultra requiritur, quod sint capaces proximè bonorum, quæ ex charitate debent eis desiderari; quod ipsis non convenit. Ad confirmationem

nem, dico, quod eorum tentationes, & vexationes solum pet accidens conducunt ad nostram utilitatem, & ostensionem divinæ justitiae, sicut & peccata. Unde cum haec nequeant diligi ex charitate, sic nec Demones, & dannati.

11 Colliges 3. quod peccatores sunt objectum materiale charitatis. Ratio est; tum, quia sunt capaces beatitudinis; tum qui Christus ex nimia charitate eos dilexit; cum propter illos, & nostram salutem, mortuus, & passus est. Tum, quia prædestinati sunt ex charitate diligendi; sed multi actu peccatores sunt prædestinati; ergo. Tum denique; quia omnes, pro quibus est orandum, sunt ex charitate diligendi; sed orandum est pro peccatoribus, ut convertantur, & salventur; ergo.

12 Dices contra hoc; quos Deus odit, non sunt ex charitate diligendi; sed Deus odio habet peccatores, juxta illud sapientiae 14. ; abominabiles sunt Deo impius, & impietas ejus. Et illud Psalm. iniquos odio habui: perfecto odio oderam illos: ergo. Resp. ex Doct. dist. 30., quod peccatores dupliciter possunt considerari; vel in quantum homines ordinati ad vitam æternam,

quantum est ex parte Dei; vel formaliter, ut peccatores, & iniqui sunt. In primo sensu sunt ex charitate diligendi; quia sunt capaces beatitudinis; non vero in secundo; quia hoc esset, diligere iniquitatem; & sic intelligenda sunt authoritates adductæ.

13 Colliges 4. quod Angeli, Beati, & animæ Purgatorij sunt objectum secundarium charitatis. Ratio est; quia omnes isti sunt objectum secundarium charitatis. Ratio est; sunt capaces dilectionis Dei activæ: ergo sunt ex charitate diligendi. Quæres autem hic an corpora nostra sint ex charitate diligenda? Resp., quod corpora non sunt ex charitate diligenda primario, & per se, sed quatenus simul cum anima cooperantur ad omnia opera bona: & sic sicut anima, & corpus sunt socij passionum, sic etiam erunt, & glorificationis; & consequenter corpora sunt ex charitate diligenda propter conjunctionem cum anima rationali; & non aliter. An inimici sint etiam ex charitate diligendi? resolvetur disput. seq., dum de præcepto charitatis agamus; ubi & alia ad hanc materiam expectantia tradentur. Nunc vero sit

QUÆST. III.

*An sit qualisque sit ordo
servandus inter objecta
materialia charitatis?*

1. PRIMA pars quæstionis potius supponitur, quam disputatur. Pars enim affirmativa constat ex illo cantic. cap. 2. iutoduxit me Rex in Cœllam vinariam, & ordinavit in me charitatem. Super quæ Origenes ait: *est in plerisque charitatis ordo perversus, Sanctorum vero charitas ordinata est.* Unde tenemur, servare ordinem, & modum in charitate, ne actus charitatis vitientur, magis amando, quod minus amabile est, aut è contra. Quare in hac Quæstione breviter per varia dicta hunc ordinem proponemus; nam hoc proprie ad cassistas spectat.

2. Dico ergo primo: facta comparatione inter obiectum primarium, & secundarium charitatis, Deus est super omnia alia ex charitate diligendus. Conclusio est de fide, juxta illud primum præceptum Decalogi: *diliges Deum tuum super omnia.* Habeturque indeuter,

6. & Matth. 22.: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua &c.* Quomodo autem Deus super omnia diligendus sit? Dicitur disp. sequent. qæst. I.

3. Dico 2.: quilibet tenetur se ipsum magis appreciative diligere ex charitate, quam alium proximum. Est communis, & docetur expresse à Doct. in 3. dist. 29. quæst. unic. Prob. ex illo Matth. 22.: *diliges proximum tuum sicut te ipsum:* ergo dilectio sui ipsius est in quilibet mensura, per quam mensuranda est dilectio proximi; sed regula, & mensura extrinseca alicuius perfectionis est perfectior suo regulato: ergo cum amor proprius sit mensura alterius, amor proprius præferri debet appetitivè amori proximi. Confirmatur: amor ex charitate inclinat ad unionem sui cum Deo amato; sed nulla unio cum Deo plus diligi debet, quam unio propria: ergo &c.

4. Dices contra hoc: juxta Apost. ad Corinth. 1.; cap. 13. *charitas non querit quæ sua sunt:* ergo &c. Apostolus magis diligebat Fratres, quam se ipsum, ait enim: *optabam ego ipse anathema esse*

à Christo pro fratribus meis. Et Moyses Exod. 23. magis optavit salutem spiritualem populi, quam suam salvationem. Ajebat enim; aut dimitte eis noxiam han, aut dele me de libro tuo : ergo &c. Resp., quod charitas non quærit quæ sua sunt cum exclusione aliorum , bene vero optando alijs , quæ sibi ; licet primo sibi ; quia charitas bene ordinata , incipit à semelipso. Ad dictum Apostoli dico , quod hoc dixit, dum erat in Iudaismo , pro quo tempore perse quebatur Christum. Ad ultimum respondeo , Moysem exagerative ratione confidentiè in Deum prorrupisse in talia verba , ut ait Aug. quest. 147. super Exodum.

5 Dico 3. : quilibet tenetur plus appretiative diligere propriam animam, & omnia bona spiritualia propria , ut gratiam justificantem , remissionem culpæ , & beatitudinem , quam animam , & similia bona spiritualia alterius. Quoad animam constat ex dictis conclus. antec.; quia cum anima in quacumque Persona humana sit præcipuum ipsius ; sequitur , quod si prius tenetur diligere propriam Personam , etiam & propriam animam. Prob. quoad reliqua bona : charitas intrinsecæ , & ex natura sua inclinat ad unien-

dum subjectam , cui inicit cum Dño : ergo magis inclinabit ad unionem mei cum Dño , quam alterius. Nunc sic ; sed talis unio habetut , media gratia justificante remissiva culpæ , & propria beatitudine : ergo magis inclinabit ad hæc bona sibi acquitenda , quam alteri.

6 Nota hic , quod sunt alia quædam bona Spiritualia , quæ non tenetur quis ex charitate sibi magis appretiativè diligere , quam alteri ; & in his , sicut non est præceptum de illis habendis , sic nec est præceptum de illis sibi magis appretiativè diligendis , quam alijs Sed hoc intelligendum est ita , dummodo non adsit aliqua circumstantia specialis in persona , quæ ratione status teneatur ad magis proficiendum in vita spirituali , quam alter ; ut si sit Episcopus , Religiosus &c. Quare in hoc nō potest assignari regula universalis ; cum hoc potissimum pendeat ex circumstantijs occurrentibus.

7 Dico 4. : facta comparatione bonorum temporalium intrinsecorum , ut vita , & salus ; & extrinsecorum , ut divitiae , honor , &c. cum bonis spiritualibus proximi , scilicet , anima , gratia , & beatitudine , nulla assignari valet regula universalis ; nam aliquando tenetur Sss quis

quis proximum adjuvare in illis bonis etiam cum periculo proprio vita; nam si sit Parrochus, in tempore pestis tenetur audire confessiones, et si adsit periculum amittendi vitam; in alio autem a Parrocho non esset talis obligatio. Quare resolutio huius difficultatis pendet ex circumstantijs, & obligationibus particularibus Personæ. Ut autem hoc omnino irresolutum non maneat, placet assignare aliquam regulam: & sic

8 Respondeo, quod potest quis licet se exponere periculo evidenti amittendi bona temporalia: imo & vitam temporalem pro salvacione, & justificatione proximi; & de precepto tenetur ad hoc, si proximus sit in extrema necessitate. Prima Pars constat ex illo Christi Domini Joann. 15. maiorem has dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Et ex illo primo Canon. cap. 3.: *in hoc cognoscitur charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis possuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere: ergo potest quis licet, & laudabiliter se ex charitate exponere periculo evidenti amittendi bona temporalia: imo & vitam temporalem pro justificatione, & salvacione proximi.*

9 Secunda pars resolutionis constat ex communione Theologorum sententia, & deducitur ex ultimis verbis Joannis cit. scilicet; *& nos debemus pro fratribus animas ponere: sed ly debemus indicat, quod aliquando est præceptu amittendi vitam corporalem pro vita spirituali proximi: ergo cum nullus urgenter casus possit dari, quam est ejus extrema necessitas, tunc tenebimur de precepto ponere vitam temporalem.*

10 Sed hic notandum est, quod hoc est ita intelligendum, si non adsit aliqua specialis circumstantia. Ratio est, quia cum homo in hac vita absque speciali revelatione nesciat, *an amore, vel odio dignus sit;* hinc subiecto dubio de hac circumstantia, tenetur quis potius sibi ipse consulere, ne amittendo vitam temporalem, amittat etiam æternam. Sed advertendum est, quod hoc dubium debet esse prudens, & non quodcumque; alias numquam regulariter posset dari casus, quo quis licet, & laudabiliter posset vitam suam temporalem exponere pro vita spirituali proximi; cum regulariter numquam possit quis scire, utrum amore, vel odio sit. Videatur circa hoc Subt. Doct. in 3. Dist. 30. quest. unic.

Di-

11 Dico 5.: in alijs bonis fortunæ , licet magis congruum naturæ videatur , quod quis sibi prius illa diligit; cum tamen non sit præceptum de hoc, potest quilibet pro suo libito in hoc facere , quod maluerit. Est Doct. cit. & prob. ex ipso; quia ista bona ex se sunt indifferentia , ut ex charitate diligantur , vel odio habeantur: ergo quod plus , minusve diligantur , non erit ex se malum , aut peccaminosum ; & consequenter potest quis facere , quod maluerit. Hoc tamen intelligendum est , nisi adsit ratio specialis , cur illa bona debeat quis , potius , sibi aut uni , quam alteri præoptare. Ad hoc est dictum Div. Aug. cit. à Palud. in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. conclus. 3. dicentis: *Si quis vult filios exhiberedare, & Ecclesiam instituere , alium querat pro consilio , quam Agusti- num.*

12 Dico 6.: inter ipsosmet proximos est etiam aliquis ordo charitatis; ita ut Parentes, & carnaliter propinquos magis appetitiativè debeamus diligere , quam extrancos. Est communis , & prob. ex illis verbis Div. Pauli I. ad Corinlh. cap. 5. vers. 8.: *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet , fidem negavit,*

& est infideli deterior ; sed nullus magis domesticus, quam Pa- ter, & Mater, & sic suo ordi- ne propinquiores: ergo &c. Con- firmatur : nam de Parentibus datur præcipue speciale præcep- tum , ut constat ex illo Exodi 20.: & Deuter. 6.: *honora Pa- trem tuum, & Matrem tuam.* Quod non solum de honore ex- trinseco exhibendo Parentibus intelligitur ; sed de affectu , & interno amore , quo à filijs de debent diligи Parentes.

13 Ex omnibus ususque dictis habetur ordo qui in charitate servatus est. Quique ponitur à Div. Ambros. super illud 2. Cantic. : *ordinavit in me ch- ritatem.* Primo ergo ante omnia , & super omnia diligendus est Deus : secundo nosciphis terio Parentes: quartio filij: Quinto fratres : sexto domestici: septimo tandem ordine inimi- ci , de quorum obligatione disp. seq. agemus. An vero Sanctio- res magis appetitiativè diligи valeant , quam minus sancti dubitant hic A. A. sed pars affirmativa, ceteris paribus, verissima est. Et est ratio; quia magis accedunt ad Deum: & quo quis magis ad Deum accedit, magis in illo Deus complacet , & magis vult diligи a nobis : ergo magis sicut debet prius diligи, quam minus sanctus. Circa omnia haec dubia con- scile Casuillias.

DISP.

DISP. IV.

DE PRECEPTO CHARITATIS.

Quamplura ad hanc Disputat. spectantia tractata manent, tum tract. 4. de fide Disp. 9. quæst. 3. per totam. Tnm tract. 5. de spe, Disp. 3, quæst. 5. & ult. per totam. Quare breviter hic de hac Disp. agemus. Sed quia charitatis præcepta necdum ad actus internos amoris erga Deum, & proximum se extendit; sed etiam ad externos erga proximum; de his omnibus in præsenti tractandum venit. Sit ergo.

QUÆST. I.

An ex precepto speciali charitatis Deus diligendus sit super omnia; & quando?

PRÆSENS difficultas unum supponit, & duo quærit. Supponit namque, dari præceptum speciale diligendi Deum super omnia; quodque satis constat ex locis Sac. Scripturæ appositis pro prima conclus. quæst. antec. ut illud Deuter. *diliges Dominum Deum tuum ex*

toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Et Christus Dominus interrogatus Matth. 24. : *quod est mandatum magnum in lege &c.?* Respondit: *diliges Dominum Deum tuum &c.* Hoc est maximum, & primum mandatum; sed per ly maximum, & primum mandatum in lege, significat esse mandatum distinctum, & speciale præceptum à reliquis contēns in lege; & per ly *ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota mente tua denotatur*, quod hæc dilectio debet

bet esse super omnia: ergo.

2 Sed ex hoc exurgit difficultas duplex in hac questione resolvenda: prima, quomodo Deus super omnia diligendus sit ex precepto? secundaque, quo tempore hoc preceptum obliget? Pro resolutione primae partis, noto 1, quod triplex ratio diligibilitatis assignari solet, ex qua oritur maior diligibilitas. Prima *objectiva*; & est quando objecto amato plura, & maiora bona desiderantur, quam alteri objecto. Diligibilitas *intensiva super omnia* consistit in maiori intensione, seu latitudine maiori graduali dilectionis, quoniam documque haec maior intensio fiat, de quo in Physica. Majoritas *appreciativa super omnia* stat in hoc, quod ex altiori, & excellentiori motivo objectum ita super omnia diligatur, illud appreciando, ut non solum judicetur rationabilius, illud esse maiori amo rediligendum, quam omnia alia; sed etiam ita actu ametur, quod paratus sit diligens, omnia mala pati, & cessare amore cuiuscumque alterius, si necesse sit ad tam amorem retinendum.

3 Nota 2., quod cum majoritas hęc appreciativa super omnia summatur ex objecto ipso motivo, a quo actus in-

sua substantia specificatur: non est accidens actus, & sperabilis ab illius substantia, sicut est majoritas intensiva; sed est quasi de substantia illius.

4 Noto 3., quod iste amor appreciativus licet consistat in eo, quod in comparatione omnium aliorum objectorum ita appetitatively diligatur, ut omnibus alijs preferatur, aut paratus sit omnia mala pati, si necesse fuerit pro retinendo amore talis objecti: nihilominus non est necesse facere istas comparationes explicite, aut expressè; sufficit enim Deum, ut summum bonum, super omnia amare absolute, absque eo, quod ultra sit progressus ad tales explicitas comparationes. Imo infirmioribus, & minus perfectis haec comparationes explicatae dissuadendae sunt; ne forte magis moveantur amore aliquius delectabilis, aut terrore aliquius mali sensibilis, & sic non eliciant amorem Dei, & peccent.

5 Noto 4., certum esse apud omnes, Deum debere diligere super omnia objective; cum Deo diligere debamus matus bonum, & excedens omnem aliam bonitatem: et sic diligere debemus Deo suam eseniam bonitatem, suas perfectiones at-

tributales, et quod eius divina voluntas in omnibus adimplatur. Noto ultimo, quod similiter certum est apud omnes Theologos, nos teneti ad diligendum Deum super omnia appreciativè. Hoc enim expressè probant omnia loca sacra. Scripturæ, in quibus dicitur, Patrem relinquendos esse propter Deum: Et Apost. ad Rom. 18 quod nulla creatura poterit nos separare à charitatem Dei. Et hoc satis etiam constat ex dictis conclus. I. quest. antec. , et n. I. huius.

6. Unde difficultas restat, an teneamur Deum diligere super omnia maiore dilectione intensiva, hoc est, secundum omnem intensionem actus, qua creatura Deum diligere potest; ita ut hoc præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* amore Dei minus intensio, quam alio amore, non adimpleatur? Circa quam difficultatem, triplex assignari vallet sententia. Prima affirmat, nos teneri ad amorem Dei super omnia non solum appreciativè, verum etiam intensivè. Ita Adrinus in 4. quest. 2. de Pœnitentia: Dutandus, & alii. Pro ipsa citator div. Thomas inst. dist. 17. artic. L. & 3. quest. 2. quæstiuncula 1. Cittatur etiam N. Subt. Doct. in

3. dist. 27. §. de primo. sub. n. 17.. Sed circa mentem N. doct. in solutione argumentorum dicemus.

7. Secunda sententia primæ opposita docet, Deum super omnia diligendum esse appreciativè tantum, non autem intensivè. Hæc sententia teste N. Maistro in 3. disp. 6. quest. 21. est communior inter Theologos, & maxime inter RR. Scotistas; eam defendunt Aretinus, & Pontius. Alia est sententia mediate connans inter relatas, & sustinet, non requiri maiorem possibilem amorem absolute, sed in comparatione ad alios amores; ita ut amor charitatis erga Deum semper exceedat quemlibet alium amorem in eodem subiecto existentem. Sic Richardus, Alensis, & alii. Nunc vero sit

Nostra Conclusio.

8. Ex præcepto charitatis non tenetur quis diligere Deum super omnia intensivè; ita ut amor Dei debeat esse maior intensivè alio quocumque amore, sive absolute, sive in eodem subiecto existente. Est conformis secundæ sententiæ contra primam, & ter-

tiam Prob. 1. conclusio ratione:
ne: ad observantiam præcepti
diligendi Deum super omnia suffi-
ciet amor efficax; quo quis
vellet efficaciter placere plus
Deo; quam creaturæ, & qui
efficaciter excludat omnem af-
fectum mortaliter peccandi, et
inducat efficaciter servare om-
nia divina præcepta; sed hic
amor potest haberi sine maiori
intensione possibili, tum habi-
tui charitatis tum cuicunque
alteri amori; ergo non requiri-
tur majoritas intensiva gra-
dualis, &c.

9. Major constat; quia
non est ratio urgens in con-
statuum. Deinde; quia ex præ-
ceptorum observantia colligi-
tur opime à posteriori aliquem,
Deum super omnia diligere;
unde Christus Dominus ait:
*qui diligit me, sermonem meum
servabit.* Super quæ Div. Gre-
gorius. *exhibitio operis probatio
est dilectionis:* ergo amor, qui
efficaci er vult placere plus Deo,
quam creaturæ, qui efficaciter
excludit omnem affectum pec-
candi mortaliter, & inducit ef-
ficaciter observationem præcep-
torum, est adimplativus præ-
cepti diligendi Deum super om-
nia. Prob. minor principalis:
in primis talis amor potest ha-
beri sine maiori intensione ex
parte habitus; sed alias etiam

sine maiori intensione ex par-
te alterius cuiuscumque amoris:
ergo &c. Præmissæ sunt pro-
bandæ: nunc

10. Prob. mai. si in-
tensio maior possibilis ex parte
habitum requireretur, teneretur
quis, ut adimpleret prædictum
præceptorum, elicere amorem
Dei ita intensum, ac ipse ha-
bitus; sed hoc est falsum: er-
go. Prob. min. primo; quia
cum habitus charitatis non sit
æquè intensus in omnibus sub-
iectis, sequeretur, quod amor,
qui respectu unius subiecti esset,
adimplativus præcepti, non esset
talis in alio; v. g. in illo, qui
haberet magis intensum habi-
tum charitatis; sed hoc est fal-
sum; cum Deus non ~~exigat~~
intensiorem amorem in uno
quam in alio: ergo &c. Prob.
2. eadem min. actus chari-
tatis quantumvis remissus au-
get meritorie habitum præexisten-
tem, ut diximus disp. 2. huius
quest. 6. à num. 2. ergo
est sufficienter adimplativus præ-
cepti diligendi Deum super om-
nia; alias non esset meritorius.

11. Prob. nunc minor su-
praposita, scilicet, non requi-
ti maiorem intensionem ex pat-
te cuiuscumque alterius amoris
existentis in eodem subiecto:
amor proximi, v. g. Parentum,
est amor honestus in quaem-
que

que intentione, dummodo licet aet Parentes, ut sit paratus relinquete talis amorem, si pro Deo opportuerit: ergo honestas illius amoris, quantumcumque intensi, non destruit honestatem amoris Dei eliciti ex charitate. Nunc sic sed destrueret talis honestatem, si amor Dei comparative ad amorem parentum, deberet esse intensior: ergo &c. Prob. sublumpt. amor Dei, ut duo v. g. est adimpletivus precepti, si tunc non adsit amor parentum, vel si adsit, sit solum ut unum, & hoc juxta contrarios; sed hic idem amor Dei, ut duo, non esset honestus, nec adimpletivus precepti, si in simul esset amor parentum, ut quatuor: ergo amor honestus parentum destrueret honestatem amoris Dei.

12 Confirmatur: potest evenire, quod homo habens actum amoris, ut duo, si pro tunc non habeat alium amorem, adimpleat preceptum; fecus autem, si habens amorem Dei, ut septem, habeat amorem parentum, ut octo; sed hoc videtur absurdum: ergo quia amor adimpletivus precepti diligendi Deum super omnia non requirit maiorem intentionem, quam alias quicunque amor. Prob. min. per amorem magis intensam, quo creaturam

diligimus, non exhibemus creaturę aliquam excellentiam supra Deum affective; nec creaturam Deo preferimus: ergo amor intensior creature non tollit, quod amor Dei minus intensus sit honestus, & adimpletivus precepti.

13 Ratio horum omnium est; quia prælatio oritur ex judicio rationis, quo unum objectum judicatur excellentius alio, & dignum, ut pro illo, si opus fuerit, aliud relinquatur; sed potest voluntas, etiā intensius amet parentes, sic amore Deum super omnia, sequendo judicium, quod sit parata relinquere amorem parentum intensiorem, ne perdat Dei amorem minus intensum: ergo cum amore intensiori creaturæ potest stare amor minus intensus Dei, & tamen super omnia, & adimpletivus precepti. Verum enim est, quod talis amor Dei minus intensus non esset ita perfectus, ac amor magis intensus parentum; sed haec carentia perfectionis esset merè negativa, & non privativa; cum nullum adsit preceptum, nos obligans ad sic intensius diligendum Deum.

14 Prob. 2. conclus. precepta Dei debent esse talis conditionis, ut sit facile homini probabiliter cognoscere se illa

illa observare , aut transgredi; alias semper esset obnoxius scrupulis , anxius , & dubius ; sed si præceptum charitatis obligaret ad habendum amorem intentionem possibilem , sive respectu habitus , sive respectu alterius cuiuscumque amoris , vix possemus formare assensum de adimpleione , aut transgressione illius præcepi : ergo non obligat. Maior est communis consensus patrum , & Theologorum. Prob. min. : quantitas intensiva actuum nostrorum difficile percipitur a nobis : ergo &c. Unde durissima præcepta adstruenda non sunt , dum urgens fundamentum non cogit , ut in præsenti non appetat.

15. Prob. ultimo conclus. paritate contritionis , quæ est dolor de peccatis super omnia ; sed ad contritionem sufficit quævis intensio , & non requiritur maior possibilis : ergo similiter ad dilectionem Dei super omnia. Min. prob. ex sacr. Script. in qua corde contrito promittitur justificatio; sed contritio in quacumque intentione redit cor contritum ; nam intensio maior , aut minor , cum non variet essentiam rei , non tollit , quod contritum sit cor: ergo &c. Confirmatur: minima intensio in peccato mortali sufficit , ut sit tale , & punia-

tur a Deo poena æterna : ergo contritio , & similiter dilectio Dei in quocumque gradu , dum sit modo prædicto prælativa , sufficiet , ut mereatur de congruo justificationem , ac per consequens , ut adimpleatur præceptum. Imo , cum Deus sit magis pronus ad premitandum , quam ad puniendum , maiori fundamento hoc dicendum erit.

Solvuntur argumenta.

16. Arguitur 1. ex sac. Script. quæ , ultra maiorem appreciationem , requirit maiorem intensionem ex connatu potentie , & recolectione virium , ut constat ex Deuter. 6. Math. 22 Luce 10. : *Diliges Dominum Deum tuum &c.* : ergo ut adimpleatur hoc præceptum , requiritur maior intensio possibilis dilectionis Dei super omnia. Resp. 1. quod ex his , aliis que testimonii solum colligitur præceptum diligendi Deum super omnia appreciative , ita ut pro nulla re creata velimus Deum offendere , aut ei displaceat , qua summa appreceptione Dei stante , Deus diligitur ex tota mente , hoc est , mente sincera : ex toto corde , id est , corde sine dolo , & sine ul-

ullo affectu ad peccandum, & ex tota anima, hoc est, animo simplici, Deo placendi, & ejus præcepta adimplendi: omnibus viribus, hoc est, ita firmiter, ut paratus sit relinquere patrem, & matrem, & omnia creata, potius quam Dei amorem.

17 Respondeo 2. ex Subt. Doct. cit. quod illa verba continent præceptum, & consilium; præceptum, quatenus jubent dilectionem Dei super omnia appreciative: consilium, in quantum nos inducunt ad intensorem Dei amorem, ut fecerunt eximia sanctitate pollentes, quique nobis proponantur; ut exemplat, ut eorum vestigia sequentes intensissimum Dei amorem habeamus, intensissimumque dolorem de nostris peccatis, sicut et ipsi habuere; sed hoc proponitur ut consilium, ut connemur illa imitati; non vero ut præceptum; quia nimis riguerosum esset. Per hoc patet ad alia quamplura loca sacrae Scripturæ.

18 Arguitur 2. ex N. Subt. Doct. in 3. dist. 27. §. de primo dico, vers. dico igitur, ubi docet, quod tenemur diligere Deum maiori affectu, quam aliquod aliud, & subiungit: & dico maiori simpliciter; qui, si-

licet, magis repugnat effectui operis; quia facilius posset inclinare ad oppositum dilectionis cuiuscumque alterius quam Dei. Hoc idem habet in Report. eadem dist. §. de tertio art. vers. dico. ubi ait: quod diligere super omnia debet habere quandoque utroque modo intensive, & extensive; debemus enim aliquando diligere Deum cum rotunda intentione possibili, & apprezieare eum super omnia: ergo juxta mentem Subt. Doct. eum debemus diligere Deum maiori affectu simpliciter, & utroque modo intensive, & extensive, debemus eum diligere maiore intentione possibili.

19 Alioqui Scotistæ ut Faber, & Perez, Lopez moti his verbis subt. Doct. stant prima sententia. Sed ut videatur, quod immerito; notandum est, subt. Doct. per illud adverbium intensive, non intelligere intentionem in toto rigore, hoc est, pro maiori intentione graduali possibili haberi. Quod sic non intelligat, patet ex ipsam littera, ubi ait: dico igitur, quod illud præceptum extensive, & intensive secundum viam predictam potest impleri in via; sed non quantum ad omnes conditiones, que exponuntur per illas additiones: ex toto corde tuo, & ex tota anima; quia non po-

*poteſt eſſe in vita iſta tanta reco-
leccio virium : : & quoad tam
intenſionem actus debet intelligi
dictum Auguſtini, & Maſtri,
quod praeceptum illud non imple-
tur in via.*

20 *Sunt ergo Subr.
Doct. ly intensive in latiori iug-
nificatione, hoc eſt, pro for-
tiori, ſeu efficaciori amore in
ordine ad placendum Deo; ita
ut amore Dei talis ſit, quod
ex eo determinetur quis ad ob-
ſervanda omnia pracepta, &
firnius, & efficacius Deo pla-
cere, quam ulli creature, cum
offenſa Dei. Quod ſatis conſtat
ex ipomet Doct. in verſ. an-
te. ubi ait: dico igitur, quod
illud ſuper omnia debet intelli-
gi utroque modo: ſicut enim teneor
diligere Deum ſuper omnia
alii extenſive, ita etiam ma-
iori affectu, quam aliquod aliud.
Nota ſequentia: & dico maiori
ſimpliciter; quia ſcilicet magis re-
pugnat effectui oppoſito; quia
facilius poſſet inclinare ad oppo-
ſitum dilectionis cuiuscumque al-
terius, quam Dei. Hęc Doct.*

21 *Ex quibus infero
ergo iuxta Spbt. Doct., ille
amor debet intelligi, ut adim-
pletivus huius praecipi, qui
magis repugnat effectui oppoſi-
to, ita ut cum ipso diſſicilius*

*creatura inclinetur ad oppoſi-
tum dilectionis cuiuscumque al-
terius, quam Dei; nunc ſic; ſed
ad hoc ſufficit amor ſimi-
pliciter appreciative, intenſior
quod efficaciam, ſeu forti-
dinem, non vero requiritur ma-
ior quoad intenſionem gradua-
lem: ergo de amore ſic inten-
ſive ſumpto loquitur hic Doct.
Min. quoad 2. portem conſtat;
quia poſteſt quis, Pater, v. g. in-
tenſus, & tenerius diligere
filium minorem natu, & ta-
men fortius, & efficacius diligere
maiorē; ita ut potius
vellet amittere min., quam ma-
iorē. Ex hac ergo Doctrina
faciliter reſpondebit authorita-
ti Doct.: dicendo, quod ly-
utroque modo intelligitur & de
maiori amore extenſivo, & in-
tenſivo; ſed intenſivo ſumpto
pro efficaciori, & fortiori, non
vero pro maiori in intenſione
graduali, qui juxta Doct. eſt
impoſibilis in hac vita. Et haec
doctrina deducitur etiam ex
loco cit. in Report. Vide N.
Maſtrium hic à num. 543.*

22 Arguitur 3. & po-
teſt eſſe replica: ex authori-
tate adducta Doct. tenemur ex
praecepi diligere Deum tali
amore, qui magis repugnet
effectui oppoſito, hoc eſt,
quod diſſicilius poſſet inclina-
ri

si ad oppositum dilectionis cuiuscumque creature, quam Dei; sed ad hoc est necessarius amor super omnia magis intensus gradualiter: ergo nulla est solutio. Prob. min.: qui minus intensive gradualiter diligit Petrum, quam Joannem, facilis inclinabitur ad non diligendum Petrum, quam Joannem: ergo si ita debemus diligere Deum, ut difficilius removamur ab amore ipsius, quam creaturæ debet esse maior in intensione graduall.

23 Resp. neg. min.: ad probat. disting. antec. qui minus intense diligit Petrum, quam Joannem, si tamen magis appreciative, & efficaciter diligit Petrum, quam Joannem, facilis &c., nego antec.: qui minus intense, & minus appreciative, & efficaciter diligit Petrum, quam Joannem, facilis &c., conc. antec.: & nego conseq. Solutio claret in communi exemplo. Parentes enim regulariter filium parvulum intensius amant, sed adultum, qui suo labore eos alit, magis appreciative. Ex quo fit, quod potius eligerent in casu necessitatis, ut moriretur parvulus, quam maior natus: & plus dolent, & amarior est illis mors istius, quam illius.

24 Arguitur 4. & etiam

potest esse replica: maior illa efficacia, & fieritas nequit stare sine maiori connatu, vehementia, & adhesione potentiae; sed haec non possunt stare sine maiori intensione: ergo &c. Relp neg. min.; quia licet ut in plurimum ille maior connatus, & adhesio oriatur ex maiori intensione potentiae, tamen id absolute necessarium non est; quia magnitudo intensiva oritur ex parte subiecti, & connatu, quo amor intenditur. Magnitudo vero appreciativa oritur ex magnitudine, & excellentia objecti, & judicio rationis unum cum alio comparanti, ad quod sequitur in voluntate maior estimatio, & appreciatio objecti. Cum ergo ex diversis rationibus oriatur magnitudo intensiva, ac appreciativa, & possint causæ unius augeri, quia alterius augeantur, aut ē contra; consequenter poterit idem objectum amari plus intensivè, aut appreciativè, quod satis patet ex exemplo Parentum.

25 Arguitur Ultimo: in intelligibile est, quomodo Deus sit maxime, & super omnia diligendus, & quod non debat diligi maiori intensione, ac quilibet creatura: ergo Prob. antec.: Deus est diligendus properante, & Creatura propter Deum; sed

hoc ipso est diligendus magis intensive; quia propter quod unumquodque est tale, & illud est magis: ergo &c. Relp. negando antec. : & min. probationis; ad cuius probationem dico, quod prædictū axioma debet intelligi de causis precissis, seu totalibus. Unde licet Deus sit causa finalis, propter quem omnia ex charitate sunt diligenda, non tamen est causa præcisa intensionis in dilectione.

26 Ex omnibus dictis colligitur, pro resolutione 1. partis difficultatis quod præceptum diligendi Deum super omnia requirit, ita Deum diligere, quod omnia præter Deum simus parati dimittere, & quodlibet malum pati, potius, quam à tali amore cessare. Quod si aliquando tenerius creaturam diligamus, quam Deum; non ex eo estimandi sumus, appre- ciare magis creaturam, quam Deum. Hæc enim maior tene- ritudo regulasiter pro hoc statu ligationis sensibus oritur ex eo, quod amor ille sit de rebus sensibilibus, quæ sensibus magis percipiuntur; & potentia externa delectando internas, ipsas refundit delectationem, ex qua emanat maior teneritudo, ac intensio.

27 Pro resolutione 2.

difficultatis propositæ in titulo quest., quo, scilicet, tempore, obliget hoc præceptum? Tria certa habemus: Primum, quod obliget plusquam semel in vi- ta, quod constat ex propositione 5. damn. ab Innocent. X. quæ dicebat: *an pecet morta- liter, qui actum dilectionis Dei, semel tantum in vita eliceret, con- demnare non audemus.* Secundum, quod obliget plusquam semel in quinquennio, quod etiam patet ex propos. 6. damn. ab eodem Pontif.: scilicet, proba- bile est, ne singulis quidem ri- gurose quinquenii per se obli- gare præceptum charitatis erga Deum. Tertium certum est, quod hoc præceptum obligat, etiam si non urgeat obligatio justifican- di nos. Patet hoc ex propos. 7. damn. ab eodem S. Pontif., quæ aiebat: *tunc solum obligat quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qui justifi- cari possimus.* His ut certis sup- politis

28 Nunc A. A. dis- cordant, quamvis in praxi com- muniter convenient. Noster Subt. Doct. cit. in 3. §. quan- tun ad 2. num. 18. videtur inclinare in sententiam docen- tem, obligare hoc præceptum diebus Dominicis. Sed certe Subt. Doct. non loquitur resolutorie, sed dubitative. Ait enim: *qua- do*

de autem sit hoc (præceptum diligendi Deum super omnia) forte determinavit hoc illud præceptum divinum: sanctifica Sabbathum: & Ecclesia specificavit quantum ad Missam audiendam in die Dominico. Sed cum communiori in præxi

29 Dico: præceptum diligendi Deum super omnia obligat directe, & per se cum primum homo sufficientem cognitionem Dei habet, ut summi boni, & ultimi finis; semel in anno: & in periculo, vel articulo mortis. Prima Pars, in qua est aliqua difficultas, sic declaratur: cum præceptum diligendi Deum super omnia sit lumine naturæ notum quoad substantiam, non tamen est notum tali lumine, quoad tempus obligandi; alias non discordant A. A. in tali tempore obligationis assignando. Unde non potest universaliter obligare in ipso ingressu physico usus rationis; sed expectandum tempus, in quo singuli respective ad capacitatem, instructionem, vel opportunitatem habent sufficientem propositionem huius obligationis, quæ sufficienter proponitur primum, ac quisque habet cognitionem Dei, ut summi boni, & finis ultimi

assequendi per observantiam mandatorum. Hoc declarato

30 Prob. 1. pars conclusionis: homo in hac vita mortali est ordinatus ad Deum, ut ultimum finem consequendum per observationem mandatorum; sed hoc ipso ipsum tenetur diligere super omnia, cum primo habet huiusmodi cognitionem: ergo &c. Maior est de fide: prob. min. homo sic constitutus, sicut cognoscens Deum tenetur gressus suos dirigere per observantiam mandatorum, ut Deum ultimum finem assequatur; sed hoc ipso tenetur Deum ipsum diligere, cum primum habet sufficientem cognitionem ipsius, ut summi boni, & ultimi finis assequendi; ergo &c. Maior constat; quia viator non ponitur in via ad standum, sed ad iter agendum, respiciendo suum terminum, & ultimum finem.

31 Prob. 2. pars conclusionis, scilicet, quod semel in anno teneatur Deum diligere super omnia: primo paritate aliorum præceptorum fidei, & spei: quæ et si ex vi divini præcepti tempus obligationis non determinant, obligant semel in anno. Vide quæ diximus Tractatibus anteced. loc. cit. in principio hu-

huius disputationis. Confirmatur: Deus incensanter nos amat, dum digni sumus ejus amore: ergo ipsum non redamare semel in anno, videtur includere contemptum quemdam divinæ amicitiae, aut, ad minus, magnam negligentiam salutis nostræ æternæ.

32 Prob. 3. pars conclus. : scilicet, quod teneamus ex precepto diligere Deum in periculo, vel articulo mortis: in tali statu instant, & urgent certamina, quæ difficulter superari valent ab eo, qui sic tepidè se gereret, ut non recurreret ad Deum, ad ipsumque se converteret per dilectionem, & amorem ipsius super omnia; cum Deus solus sit protector specialis, & auxiliator in tanta tribulatione, ac periculo: ergo qui sic non faceret, se exponeret pro tunc periculo suæ damnationis æternæ: ergo ne hoc sequatur, dicendum est, pro tunc teneri ad actum dilectionis Dei super omnia.

33 Dices contra primum part. conclus: cum primum homo habet sufficientem cognitionem Dei, ut ultimi finis, vel tenetur ita strictè Deum super omnia diligere, ut si in

illo primo instanti non eliciat talēm amorem, peccet mortaliiter; vel non adeo strictè tenetur? Si primum: ergo quoties occurrit in progreſſu vi-
tae talis cognitio, tenebitur ho-
mo sic Deum diligere; quia
non videtur maior ratio pro illo
primo instanti, ac pro sequen-
tibus. Si secundum: ergo non
obligat hoc preceptum, cum
primum homo habet sufficien-
tem cognitionem Dei, ut summi
boni, & ultimi finis assequens
per observationem mandatorum.

34 Resp., quod non ita mathematicè sumendum est illud primum instans, nt in tali primo instanti urgeat preceptum sub mortali; sed ita intelligendum est, ut ab illo primo instanti ingrediatur preceptum, & ejus obligatio, sed admittit latitudinem, & parvitatem materię taxandam judicio prudentum. Nec ex hoc sequitur, ad hunc amorem teneiri, quoties occurrit cognitio Dei, ut summi boni, & ultimi finis; quia post elicium amorem Dei, quam optimè posse moveri amore ipsius ad obseruantiam mandatorum, quamvis actu non eliciat actum amoris; non vero hoc facere potest, si numquam actum amoris Dei elicuit, nec elicit.

35 Dubitant hic A.A.:

an

an natura ipsa inclinet nos ad Deum diligendum magis, quam nosmetiplos? Ut hoc dubium breviter resolvatur distinguendum est de natura nostra secundum partem inferiorem, & secundum portionem superiorem; & consequenter dicendum est, quod natura rationalis secundum partem inferiorem non inclinat naturaliter ad diligendum magis Deum, quam nosmetipos, sed potius è contra; at vero natura rationalis secundum partem superiorem naturaliter inclinat ad magis amandum Deum, quam nosmetipos. Hac distinctione reconciliantur opiniores, quæ circa hanc rem versantur; quare non est amplius in hoc immorandum.

QUÆST. II.

*An, & quale præceptum datur diligendi proximum,
maxime inimicos?*

* **D**ari præceptum speciale diligendi proximum, necnon & inimicos, ex varijs locis Sac. Scripturæ constat: Christus enim Deus posteaquam Matth. 22., declaravit mandatum magnum in lege diligendi Deum, tamquam pri-

mum, subiungit: secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum, sicut te ipsum, & Joann. 15.: hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Sed quamvis inter proximos intelligendi veniant inimici; tamen de dilectione horum adest speciale præceptum Christi Domini Matth. 5.; nam cum reprobasset intelligentiam Scribarum, & Pharisæorum, qui dicebant, ad literam observandum esse illud dictum: audistis, quia dictum est: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; sic eos rejicit Divinus Magister: ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite vobis, qui oderunt vos. Unde non est locus dubitandi de præcepto; sed unice difficultas est, ad quid obliget,

2 Dico: divinum præceptum diligendi proximum non solum obligat ad actus externos benevolentię, sed etiam ad actum internum charitatis: est communis, & prob. ex allegatis testimonij: præceptum diligendi proximum est simile præcepto diligendi Deum; sed præceptum dilectionis Dei est de actu interno amoris, ut constat ex illis verbis: ex toto corde tuo, & in tota anima tua: ergo &c. Deinde Joann. 15.: jube-

mur diligere nos invicem, sicut Christus dilexit nos; sed ille dilexit nos, nequam operibus externis, sed & acta interno charitatis: ergo &c. Tandem: Matth. 5. ait Christus Dominus: ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, benefacite his qui oierunt vos. Ubi per illud verbum benefacite actus externus significatur, & per illud diligite actus internus.

3 Prob. ultra hæc conclus. ex Epist. I. Joann. cap. 3. ubi dicitur nobis: non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate: ubi ly opere actum externum imperat, & ly veritate actum internum charitatis; alias non charitate vera diligemus, sed ficta. Deinde Matth. 19. Dominus tradit toritoribus servum non miserentem conservo suo, sicut Dominus fuerat misertus ipsius. & concludit: sic & Pater meus Cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Tandem confirmatur hoc ex propositionibus 10. & 11. damn. ab Innocent. XI.: ajebat 10. non tenemur proximum diligere actu interno, & formaliter. Et 11. precepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus exter nos.

4 Quinimo præceptum diligendi inimicos ab ipsa lege naturæ ortum ducit. Prob. hoc ex cap. 6. Lucæ, ubi divinas Magister postquam diligere inimicos præcipit, subjungit rationem: & prout vultis, ut faciant vestris homines, & vos facite illis similiter: & cap. 7. Matth. omnia ergo, quæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc enim est lex, & Prophetæ. Quæ salvatoris doctrina desumitur ex illo axiome, lumine naturæ noto: quod tibi vis, alteri fac: & quod tibi non vis, alteri nefacias: ergo cum nemo sit, qui non vellit amari etiam ab illo, cui in injuriam intulit; similiter & debet naturaliter velle amare illum, à quo injuria illata fuit sibi.

5 Dices I.: Noster Subt. Doct. in 3. dist. 30. sub num. 9. sic ait: posset dici, quod non tenetur quis aliquando elicere alatum diligendi proximum quis nec etiam tenetur cogitare de eo: si etiam cogitet, non est necesse elicere actum diligendi erga ipsum: ergo juxta Subt. Doct. &c. Respondent aliqui, quod Doct. Subt. non intendit hic absolute excludere præceptum diligendi proximum; sed solum docet, dilectionem proximi non esse simpliciter necessariam necessitate.

medij ad salutem. Hęc solatio patet ex exemplo ipsius Doctoris: si esset, inquit, aliquis ita occupatus circa contemplationem Dei, quod numquam cum plena deliberatione cogitaret de proximo :: si etiam cogitet, non est necesse elicere actum circa ipsum; quia absque hoc potest habere circa finem actus ordinatos, & circa ea, quae sunt ad finem ordinata. Hęc Subt. Doct. Sed ex ipso cit.

6 Respondeo 2., quod Subt. Doct. solum vult, quod non tenetur quis semper, & pro semper elicere actum dilectionis proximi, quod verisimilium est; sed non negat, quod absolute hoc necesse non sit; audi ipsum Doctorem: tamen moderando illud, potest dici, quod si apparet alicui evidens necessitas proximi, vel inimici, puta, quod sine ipso non potest habere sibi necessaria ad attingendum ad dilectionem Dei, puta, si est infidelis, & sine ejus doctrina non posset converti ad veritatem: vel si est malus, & sine ejus correctione non potest converti ad bonum :: tenetur quis non solum ad velle bonum finale spirituale proximo, immo etiam ista bona necessaria sibi, ad consequendum finale bonum, non solum velle, sed etiam exequi ope-

ratione efficaci, si adeat facultas. Hęc Doct. quo nihil clarius nostra conclusione. Quare hic male audit Noster Benumea.

7 Dices 2.: odium inimici præcipitur in scriptura: ergo non adeat præceptum ipsam diligendi. Prob. ant. primo: ex illo Deuteron. cap. 23° ubi dicitur, populo Dei erga Moabitas, & Amonitas: non aries cum eis pacem, nec queres eis bona cunctis diebus vite tua in sempiternum. Secundo Ecclesiast. 50. dicitor: duas gentes odit anima mea (nota ly anima mea) tertia autem non est gens, quam oderim, qui sedet in monte Seir, & Philistii, & populus fluitus, qui habitat in Sichim. Tertio ex psalmo 118. iniquos odio habui: ergo &c.

8 Respondeo, negando antec. ad 1. probat. dico cum Salmerone tom. 5. tract. 42. inimicum, alterum esse civilem, qualis est, qui in rebus civilibus, & corporalibus nobis nocet; alterum vero secundum legem, & quasi spiritualem, quales erant Moabitæ, Amoniti, & Philistei respectu Iudeorum; & ne ex eorum amicitia, & commercio populus judaicus induceretur ad idolatriam, & alia vitia sectanda, iusle impositum fuit tale præceptum, & iubebatur, illos

losaversari, & persequi, ne ab illis perditis gentibus debellati, in idolatriam, & alia vitia inducerentur, & cogerentur ad idola converti, & Deum, ac Dei legem contemnere. Dei his ergo inimicis non procedit nostra conclusio. Hoc eodem modo respondetur loco ex Ecclesiast.

Sed quia ly *odit anima mea* videtur significare actum internum; sciendum est, quod est duplex odium *inimicitiae*, scilicet, & *abominationis*. Odium

inimicitiae dirigitur in personam ipsam per se, & immediate; & est quo volumus alicui malum; qua illi malum est. Odium *abominationis* dirigitur per se immediate in malum ipsum, & ratione ipsius mali est etiam circa personam non propter se, sed propter malum illud. Odium *inimicitiae* est ab intrinseco malum; odium vero *abominationis* saepe bonum est. Et de hoc odio intelligitur textus Ecclesiastici, & etiam psalm. 118. De hoc amplius disp. sequenti. Sit ergo



DISP. V. & ULTIM.

De vitiis, & peccatis contra charitatem.

Sicut virtutes omnes aliquomodo spectare possunt ad charitatem; ita & omnia vitia aliquomodo ei opponuntur; sed non vacat hic agere de omnibus vitiis in communi, sed de aliquibus, quæ ei specialiciter sunt opposita. Sed quia plura tractantur apud Summistas; ideo hic breviter de aliquibus dicemus, maxime de odio Dei, & proximi. Quare sic

QUÆST. I.

An sit possibile odium Dei?

I. **A** Criter pugnat A.A. in hac difficultate resolvenda, quæ meo videri multum habere videtur de nomine. Pro quo vitando, nota I., quod Deus potest considerari, vel *prout in se est*; vel

prout in ordine ad aliquos effectus. In se consideratur; dum præcisè concipitur secundum sua prædicata intrinseca. Consideratur vero in ordine ad effectus, dum eius attributa concipiuntur in ordine ad creaturas, prout est causa, & Auctor ipsarum. Sub hac consideratione, licet in Deo non possimus concepere aliquid mali; possimus tamen mala in nobis concipere, quæ habent Auctorem Deum,

& apprehendimus, incuti nobis ab ipso, uti sunt, quæ nobis dolorem, molestiam, & pœnam afferunt.

2 Noto 2. ex dictis in ultimo §. quæst. antec., quod odium aliud est inimicitia, & aliud abominationis. Et licet communiter ab A.A. odium inimicitiae explicetur per hoc, quod inimicitia est circa personam; & obominationis circa malum ipsum; hoc absolute sumptum non tenet; quia sœpe odio abominationis est odibilis ipsa persona; quia sicut bonum reddit amabile subiectum, cui inest; ita malum, subiectum, cui inest, reddit odibile. Nec admittenda est intelligentia aliquorum dicentium: odium inimicitiae esse volitionem omnium, quia quis vult alteri malum, quia malum est illi. Non tenet; quia judex vult reo pœnam, qua pœna est; & pater flagellans filium, ut a peccato refugiat, vult filio flagella, ut ipsi mala; & tamen nec judex, nec pater odiunt reum, & filium odio inimicitiae.

3 Odium ergo inimicitiae est, quo detestamur personam volendo malum illi, quia præcisse illi malum, sistendo in persona, quæ odio habetur, & impellit ad velle malum ipsi; quia præcisse est ipsi ma-

lum. Odium vero abominationis est, quo avertemus rem, vel personam, tamquam nobis, vel personæ à nobis amatæ malam, vel contrariam. Unde hoc odium, licet sœpe sit erga personam; non tamen sistit in illa; sed est erga illam ut referibile; quia est erga illam: ut nobis, aut aliis à nobis amatis contrariam. Ex his ergo clare habetur, quod odium inimicitiae directe, & immediate oppunitur amori amicitiae, & actui charitatis; odium vero abominationis directe oppunitur amori concupiscentiae. His notatis, ut clare procedam, per duas breves conclusiones, difficultatem resolvam.

Prima Conclusio.

4 Non est possibile odium Dei, ut est in se, seu dum concipitur præcisæ secundum sua prædicata intrinseca. Quoad mentem Doct. in solutione argumentorum dicemus. Prob. tamen ratione ipsius in 2. dist. 6. quæst. 2. sub num. 13. odium non est possibile erga objectum, quod non potest apprehendi sub aliqua ratione mali; sed Deus, ut est in se, non potest apprehendi sub aliqua ratione mali: ergo &c. Maior est

est certas; quia odium est actus fugæ, & per modum nolitionis in voluntate; obiectum vero fugæ, & nolitionis voluntatis est malum, qua malum est, seu concipitur; sicut obiectum prosecutionis voluntatis est bonum qua bonum est, vel appræhenditur. Minor est indubitata; quia Deus est summum, & infinitum bonum in se, nec potest concipi Deus, nisi concipiatur summum, & infinitum bonum in se excludens omne malum.

5 Dices i. contra illam conclusionem: voluntas est potentia libera potens se libere exercere erga quodlibet obiectum contentum sub obiecto adæquato ipsius; sed hoc ipso potest odio habere Deum in se consideratum: ergo &c. Prob. min. obiectum adæquatam voluntatis, juxta subt. Doctor., est ens in tota sua latitudine: ergo si potest se libere exercere ergo quodlibet obiectum contentū sub obiecto ipsius adæquato, potest odio habere Deum, ut est in se; quia, prout est in se, est ens. Confirmatur; voluntas ratione suæ libertatis potest odio habere bonum, qua bonum est, & in quo nulla apparet ratio mali; & amare malum, qua malum: ergo etsi Deus sit summum, & infinitum bonum, &

repugnet aprehendi sub ulla ratione mali in se, potest odio haberi à voluntate ratione suæ libertatis.

6 Respondeo distinguendo mai.: voluntas est potentia libera, libertate contradictionis, seu quoad exercitium erga quodlibet obiectum contentum sub obiecto ipsius adæquato, conc. min.: libertate contrarietatis, & specificationis, nego mai. min. & conseq. Eisdem terminis distinguitur consequens probationis. Itaque libertas essentialis voluntatis, ut est principium liberum contra necessarium, est libertas contradictionis, seu quoad exercitium, non vero libertas contrarietatis, & quoad specificationem. Unde etsi possit exerceri libere erga quocumque obiectum ponendo actum, vel actum omitendo; non tamen potest sic se exercere libertate contrarietatis per quemlibet actum contrarium; quia actus contrarii, per ordinem ad quos voluntas est libera quoad specificationem, habent limitatus obiectum, quam voluntas ipsa libera.

7 Per hoc patet ad confirmationem, cuius antec. est falsum; quia licet voluntas ratione suæ libertatis possit velle, & possit non velle bonum: & similiter nolle malum, & non nolle

le malum , seu carere nolitione mali ; non potest itamen velle malum , qua malum ; nec potest nolle bonum , qua bonum ; seu non potest amare malum sub ratione mali ; nec odio habere bonum sub ratione boni . Tota haec doctrina est N. Doct. cit. in conclus. ubi ait : *sicut nihil potest esse objectum volitionis , nisi sub ratione boni ; sic nec nolitionis , nisi sub ratione mali.*

8 Dices 2. : Dœmones volunt peccata hominum , quia sunt offensa Dei , & quia sunt peccata , sub qua ratione ea procurant ; sed peccata non habent ullam rationem boni , nec appareat ratio boni in illis , ut sunt peccata , & offensa Dei ; quia nullum commodum , nec utile sibi sperant : ergo etsi Deus sit summum , & infinitum bonum in se , & in illo nulla ratio mali possit apprehendi , prout odio haberi à Creatura , prout est in se ; Resp. concess. mai. disting. min. ; sed peccata non habent ullam rationem boni honesti , conc. mir. : boni utilis apprehensi à Dœmonibus , nego min. & conseq. Ita Dœmones in peccatis hominum apprehendunt aliquam rationem boni utilis ad suos depravatos fines assequendos.

9 Primò , ut socios

habebant homines in rebellionē , & inobedientia contra Deum . Secundò , ut impedian voluntatem generalem Dei , qua Deus vult , omnes homines salvos fieri . Tertio , ut sub dira ipsorum tyranide homines mancipatos habeant aeternis cruciati bus . Denique , ut impedian tristitiam , & poenam accidentalem , quæ in ipsis crescit , & augetur ex sanctis operibus , & exercitio virtutum servorum Dei , atque ex hominum salute , & glorificatione . Quare saltem negative , reportant Dœmones commodum ex hominum peccatis ; qua peccata sunt , & offensa Dei . Sed nota quod voluntia peccati in Dœmonibus , quia est offensa Dei , non est odium inimicitiae , sed abominationis ; non enim apprehendunt inferri Deo per peccatum aliquod malum ; sed peccatum , ut est offensa Dei , referunt ipsis in alios depravatos fines .

Secunda conclusio.

10 Possibile est odium Dei cum respectu ad nos , hoc est , prout est vindicta peccatorum , & prout potest nos affligere , & prout apprehenditur ut causa misericordiarum , quas patimur . Est com-

communis. Prob. que 1. ex Subt. Doct. cit. in 2. vers. *etsi hoc est verum*, ubi postquam dicit, quod odium non est respectu Dei in se, nec respectu suæ justitiae secundum se consideratæ, addidit: sed quantum ad effectum appropriatum perfectioni justitiae: & per hoc potest dici ad illud Psalm. superbia eorum qui te oderunt &c., non quantum ad ipsum in se: sed volendo justitiam ejus non esse vindicantem: & sic nolunt justitiam ejus, quantum ad effectum vindicantem: ergo juxta Subt. Doct. possibile est odium Dei cum respectu ad nos, prout est vindex &c.

II Prob. 2. conclusio ratione: Deus potest apprehendi, & excogitari, ut revera est vindex peccatorum, & affligit æruminis, & mitemis in hac vita mortali; sed hoc sufficit, ut sit possibile odium Dei cum respectu ad nos: ergo &c. Major est evidens; prob. min.: ut sit possibile odium erga personam, non requiritur, ut apprehendatur ut mala, sed sufficit, quod malum ab ipsa nobis inferatur, & concipiamus ipsam ut causam mali, quod avertamur; sed Deus, ut vindex peccatorum, infert nobis multa mala, & ipsum concipiamus, ut causam malorum, quæ

nobis accidunt in hac vita, & damnatis in inferno: ergo &c. Minor est certa; maior probatur; quia sèpissimè odio habet homo proximum suum, non propter malum Personæ, sed propter malum, quod à proximo patiuntur; nam plurimi, etsi justè à Judice puniantur, & hoc agnoscant; tamen nondum pœnam, & supplicium avertantur, sed etiam judicem ipsum odio habent: ergo &c.

12 Confirmatur: etsi nihil possimus Deo donare, nec ejus gloriam, & honorem possimus augere; tamen optare, quod Deus à creaturis laudetur, & velle ardenter desiderio, ut omnes abstineant in posterum à peccatis, quia per peccatum Deas offenditur, & peccata cedunt in injuriam Dei, est actus proprius charitatis: ergo per oppositum velle homines peccare, quia peccatis Deus offenditur, & quia cedunt in injuriam Dei, erit odio habere Deum. Consequentia constat: quia si optare proximum parvipendi, & offendi ab alio, est odium proximi; cur optare, Deum parvipendi, & offendi ab hominibus non erit odium Dei?

Solvuntur argumenta contra
istam conclus.

13 Arguitur 1. ex Subt. Doct. in 2. dist. 43. quæst. 1. sub num. 5. ubi ait : *quia actus charitatis, ut dilectio Dei, est actus perfectissimus conversivus ad Deum, si haberet oppositum, scilicet odium Dei, hoc esset maximum peccatum (nota sequentia) sed non credo, quod talis actus charitatis habeat oppositum actum contrarium; quia Deus non potest odiri ab aliqua voluntate; sed in his verbis absolute negat Subt. Doct. esse possibile odium Dei, adhuc cum respectu ad creaturas, & ut est vindex peccatorum, & potens nos affligere: ergo juxta Subt. Doct. & Prob. min. quia si odium Dei sub ista consideratione esset possibile, jam actus charitatis haberet actum contrarium; sed hoc est contra Doct. expresse; ergo &c.*

14 Respondeo neg. min.; quia Subt. Doct. solum negat hic esse possibile odium

Dei, ut est in se; quia solum negat odium Dei ut est immediate directe oppositum actui charitatis; tale autem foret odium Dei in se, & non ut referibilis ad creaturas, in quantum vindex peccatorum &c. Cum ergo actus charitatis sit amor amicitiae habens proformali objecto bonitatem ipsius Dei, odium directe, & immediate illi oppositum deberet esse aversivum à Deo, ut in se est; quod repugnat ex dictis in prima conclut. Unde odium possibile Dei non est inimicitæ, nec est contrarium immediate, & formaliter actui charitatis; quia non potest malum ullum esse volitum; quia malum est Deo, quod erat necesse, ut esset odium inimicitæ. Est ergo tale odium possibile abominationis contrarium immediate, & formaliter amori concupiscentiæ; & sic solum reductivè est contra charitatem.

15 Arguitur 2. ex eodem Doct. in 2. dist. 6. quæst. 2. §. viso igitur. versic. sed hic est dubium. Ubi ait: potest nec dici, quod propter justitiam possit (Deus) odiri, quia in sua justitia non apprehenditur aliqua ratio mali, sicut nec in ipso licet enim in effectu ejus appareat ratio mali aliqua, non tamen in ipso ergo secundum Subt. Doct.

non est , nec potest esse respectu Dei, adhuc ut vindex justus, & ut referibilis ad nos , odium formaliter , sed solum erit odium mali nobis inflicti à Deo. Confirmatur : tale odium non terminarur ad Deum,nec ad ejus attributa, sed ad mala , quæ in eo finguntur : ergo non esset verum odium Dei. Consequentia constat ; quia illud non esset de eodem subiecto , cum non respiceret directe Deum , sicut facit charitas theologica.

16 Respondeo , quod Subt. Doct. in praefata authoritat. non negat , possibile odium Dei , ut referibilis ad creaturas , & ut est vindex peccatorum; sed unice negat , motivum talis odij esse in Deo , & in ipsius justitia; & ait , esse in ipso effectu ; quia motivum predicti odij est malum à Deo causatum , & justissime inflictum. Cum hoc autem stat, quod Deus ut est causa talis mali reduplicative posset terminare odium peccatoris , quod licet non sit odium inimicitæ formaliter , est formaliter odium abominationis,& reductive contra charitatem. Per hoc patet ad confirmationem; nam tale odium non terminaretur ad Deum, nec ad ejus attributa , ut facit charitas; sed respiceret justitiam Dei in se quidem bonam ; sed ut in-

ductivam pœnæ, sub quo respectu nollet , eam esse in Deo ; imo nec Deum ipsum esse ; ne prohiberet , vel puniret peccatum .

17 Dubitabis hic : an omne odiū Dei sit ex objecto omnium peccatorum gravissimum? Notanter dixi ex objecto; nam ex circustantijs posset, vel minui, vel aggravari. v. g. minueretur ex ignorantia , vel violentia passionis execrantis , & prævenientis deliberationem; aggravaretur autem, si esset ex pura malitia. Hæc difficultas resoluta est disput, ultimi. tractatus Spei , quæst. 2. num. 8. ubi dixi , partem affirmativam esse veram; & ratio; quia odium Dei opponitur immediate charitati ; sed ea sunt deteriora , quorum opposita sunt perfectiora : ergo cum charitas sit perfectior fide, & spe, odium Dei erit gravius , quam vitia opposita ictibus virtutibus. Confirmatur : si aliquod esset peccatum gravius odio Dei , maximè desperatio , ut pote peccatum in Spiritum Sanctum ; sed hoc est falsum , ut constat ex ibi dictis; nam odium Dei est magis directe contra Deum , & per confequens in Spiritum Sanctum: ergo &c.

18 Dices : odium Dei regulariter provenit ab excessu amori

amoris proprij: ergo iste proprius amor est maius, seu gravius peccatum. Ant. patet; nam omne odium venit ex aliquo amore; cum prius sit velle, quam nolle. Prob. conseq.: omnis causa est potior suo effectu: ergo si amor proprius est causa odij Dei, ille erit gravius peccatum, quam istud. Respondeo concessio antec. negando conseq. Ad probat. disting. antec.: omnis causa est potior suo effectu, *in causis physicas*, translat antec.: *in causis moralibus*, nego antec. & conseq., Imo malitia odij potius agrauat malitiam amoris proprij.

QUÆST. II.

An omne odium proximi sit peccatum?

1. HÆc difficultas breviter resolvitur, si præ oculis habeantur quæ diximus quæst. 2. disp. antec. & etiam quæ dicta manenti num. 2. & 3. quæst. antec. Unde odium proximi & potest respicere Personam, & qualitatem Personæ; & sub utraque consideratione procedit præsens difficultas, cum procedat, & de odio inimicitiae, & de odio abominationis. Deinde, sicut ex charitate debemus pro-

ximo velle bona spiritualia, & temporalia, quæ nobis ipsis amamus; sive amore desiderij, si sunt absentia; sive complacentiæ. Si sunt presentia; sic si nolumus illi talia bona, vel volumus illi mala opposita, aut illis malis ipsius complacemus, ipsum odimus. His notatis.

2. Dico 1.: odium inimicitiae erga proximum semper est peccatum, & illicitum. Conclusio est communis: Prob. ratione: odium inimicitiae directe pugnat contra charitatem, & est contra præceptum negativum ipsius; sed hoc ipso semper tale odium est peccatum; quia præceptum negativum obligat semper, & pro semper: ergo. Prob. mai.: odium inimicitiae est immediatae aversivum à Persona, & impellit ad velle malum Personæ, præcisæ, quia est illi malum; sed talis actus directe pugnat cum charitate, & est contra præceptum negativum charitatis: ergo &c. Prob. min.: charitas est vinculum per dilectionem amantis cum amato, & impellit ad amorem Personæ, & ad velle illi bonum, quia præcisæ est bonum illi: & præceptum negativum charitatis prohibet velle malum proximo, in quantum est illi præcisæ malum; ergo &c.

3. Confirmatur: malum al-

alterius, qua præcisse malum est illi, non est secundum rectam rationem appetibile: ergo nunquam est licitum velle malum alteri, qua præcisse malum est illi; & coniequenter odium inimicitia semper est illicitum, cum impellat in illud velle. Probatur antec. : quod non habet ullam rationem veri boni, non est secundum rectam rationem appetibile; sed malum alterius, qua præcisse malum est illi, nullam habet rationem veri boni: ergo. Major constat; quia quod nullam habet rationem veri boni, caret omni honestate; unde non est secundum rectam rationem appetibile. Min. etiam est evidens; quia malum alterius, ut præcisse malum est illi, solum potest habere rationem boni apparentis.

4. Probari potest etiam haec pars ex textibus Sac. Script. positis quæst. 2. disput. antec. quibus ex præcepto tenetur amare proximum, non solum *externè*, sed etiam *internè*: ergo peccatur contra illud præceptum, si non amatur proximus: ergo à fortiori peccabitur; si odio habetur, maxime odio inimicitia. Deinde Levitic. 29. prohibetur: *ne oderis fratrem tuum corde*; & primæ Joann. cap. 2. qui *odit fratrem suum intenebris est*. Et cap. 3.: *homicida est*. super quæ Aug. tract. 7. *ne putetis*

leve esse, odisse: omnis qui odit Fratrem suum, homicida est. Non movit manum ad occidendum hominem, & jam homicida tenetur à Deo: ergo odium personæ proximi est grave peccatum.

5. Dices 1. contra hoc: ex pluribus locis Sac. Scripturæ constat, licitum esse desiderium, & imprecationem damnationis æternæ proximi; sed hoc est maximum odium inimicitiae; cum per tale desiderium, & imprecationem maximum malum, & irreparabile desideretur. Personæ proximi: ergo &c. Major constat: tum ex illo Psalm. 9.: *convertantur peccatores in infernum*. Tum ex illo Psalm. 108: *constitue super eum peccatorem, & Diabolus sit à dextris ejus, cum iudicetur, exeat condemnatus*: ergo. Respondeo, quod tam in his quam alijs textibus Sac. Scripturæ, non exprimitur desiderium, & imprecationis optantis, ac desiderantis; sed prædicentis futuram damnationem, & alia mala futura super peccatores eventura; vel proferentis sententiam divini judicij ex Dei ordinatisima voluntate intimatam. Ex quo nihil contra nos.

6. Dices 2.: ex Scripturæ constat; nos habere præceptum odio habendi Patrem, Matrem, & amicos; & hoc esse actus

tutis: ergo à fortiori licitum est odium cuiuslibet proximi; quin nō poterit esse actus virtutis. Respondeo disting. antec.: ex Scriptura constat, nos habere praeceptum odio habendi Patrem &c., in quantum nobis possunt esse impedimentum ad serviendum Deo, conc. antec.; praecesse, & formaliter in Personis, nego antec. & conseq. Precipuum ergo odire illos, quos in via Dei adversarios patimur; non vero Personas absolute, neque ut Patentes, vel propinquos.

7 Dices ultimo: odium regulariter venit ab ipsa natura, scilicet, ex naturali antipathia, & humorum contrarietate: ergo odium inimicitiae, seu in Personam, non est peccatum. Prob. conseq.: quod est à natura, non est peccatum: ergo si odium regulariter &c. Respondeo, admissio antec. negando conseq. Ad probat. dist. antec.: quod est à natura, & sine deliberatione, & consensu voluntatis, non est peccatum, conc. antec. cum deliberatione, & consensu voluntatis, nego antec. & conseq. Itaque odium, de quo in presenti loquimur, est actus deliberatus voluntatis, qui cum gratia Dei vitari valet, non autem est pura contrarietas humorum proformali, licet ab ipsis ortum regulariter ducat.

8 Dico 2.: odio abominationis possumus sāpe averfari personam ipsam, quamvis non semper sit licitum. Conclusio est communis. Prob. 1. ex pluribus locis sacre Scripturæ 1. ex illo Psalm. 118. *iniquos odio habui*: & Psalm. 120.: *odiavi Ecclesiam malignantium*: & omnes, qui te oderunt, oderam. Super quæ Div. August. : *noli in homine amare errorem sed hominem*; quia hominem Deus fecit, errorem ipse fecit: *ama quod Deus fecit*; *nisi quod ipsi homo fecit*: ergo ex Scriptura, & P. P. aliquid odium proximi est licitum, & non contra charitatem. Confirmatur hoc ex omnibus illis authoritatibus, quas adduximus quæst. 2. disp. antec. num. 7., quæ ut num. 9. diximus, de odio abominationis intelligantur à Sacris Interpretibus.

9 Prob. 2. ratione: proximus non est amandus, nisi quatenus est bonus, & in ordine ad Deum, in quantum eum diligit, & ab eo diligitur; quapropter potius est odiendus, prout ipse odit Deum, vel oditur à Deo; sed homo non semper amat Deum, nec semper amatur à Deo; cum dum est in peccato, sit illi odibilis: ergo & a nobis sāpius odiri potest sine peccato. Confirmatur: lici-

tum est , desiderare mortales impiorum hominum , qui suasionibus,& terrore pertrahunt multos ad impietatem, quando alter tanta pernicies impedit non potest ; sed in tali desiderio est odium vitæ illorum , prout est causa tantum malorum , & consequenter , est odio habere Personam ; nam desideramus eam non esse : ergo aliquando possumus odio *abominationis* odire proximum. Unde non desideramus mortem, quia illis mala est; sicutendo ibi ; sed quia cedit illorum mors in bonum Reipublicæ , & Religionis.

10. Dices : odium personæ numquam potest esse licitum: ergo odium abominationis erga personam semper est illicitum. Prob. antec.: odium personæ semper repugnat divina voluntati; quia Deus non habet odio Personam, nec ullam rem, quæ ab ipso habet esse, & omnia creata diligit; juxta illud sapient. cap. II.: *diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti:* ergo odium Personæ semper repugnat divina voluntati. Respondeo negando antec. & antec. probationis, & distinguo imbibitam probationem; quia Deus non odio habet Personam, nec ullam rem, quæ est ab ipso , prout ab ipso est , conc.: quæ ab ipso est , ta-

men ex defectu Creaturæ , ut à causa deficiente , depravatum est , nego causalem. Omnia ergo quæ à Deo facta sunt , valde bona sunt. Tamen malum sub ratione mali à Deo non est, sed unice à creatura deficiente: & ratione huius mali, quod inest creaturæ prout deficiens ex se ipsa creatura fit odio digna, sicut est amore digna ratione bonitatis inherentis ipsi.

Q U A E S T . I I I . & ultima.

De alijs vitijs charitati oppositis?

1 **R**egulariter inter vitijs charitati opposita enumerantur sequentia: *Acedia: invidia: discordia: schismæ: seditio: & scandalum.* De his omnibus est igitur nobis agendum breviter , relinquendo ampliorem explicationem Summis, & Moralibus.

2 *Acedia ergo*, significat tedium , seu torporem animi , quo sic deicxit , & aggravatur, ut nihil boni agere libeat. Et scribitur à Damasc. est tristitia aggravans mentem , qua quis bonum incæptum fastidit.

Opus

Opponitur ergo hoc vitium charitati ; quia impedit bonum spirituale hominis , & impletionem præceptorum Dei, quæ apprehendit , ut difficultia : & susceptionem Sacramentorum, maxime poenitentiae , & Eucharistiae. Quare sicut charitas reddit homini omnia suavia , & facilitia; per oppositum Acedia reddit omnia difficultia , & amara. Unde ait Augustinus : *jugum Christi amanti leve est: ita non amanti durum est.* Ponitur Acedia à Theologis inter vitia capitalia ; quia ex ea pululant plura alia vitia, & peccata; sicut orientur ex otio, quod est parens vitiorum ; cum quo infunditur , & miscetur Acedia.

3 Invidia, communiter sic describitur : est tristitia de bono alterius , in quantum invidens patet, suam gloriam minui ex gloria, vel felicitate illius. Unde ab Augustino vocatur: *odium felicitatis alienæ.* ATheodoreto : *gravis perturbatio, quæ felicitatem proximæ ferre nequit.* Est grave peccatum invidia , & virtutem capitale, ex quo innumera pullulant ; quare dicit Augustinus , quod invidia est opus Diaboli , quod & processit ex illo , & in illo manet. Quod sit vitium contrarium charitati patet ; quia sicut chari-

tas gaudet de bono alterius , sicut de proprio , & non emulatur; per oppositum invidia dolet de bono , & fœlicitate proximi, ut de proprio malo , & vellat, eam non esse , ut esset solus ipse fælix ; quare exaltationem alterius putat , esse suam depressionem , & miseriam,

4 Tertio loco ponitur discordia; quia sicut concordia, & consensus animorum in unam, eamdemque sententiam est opus charitatis ; sic discordia ab illa unitate venit ex defectu charitatis. Nota tamen, quod discordia potest esse in malis, ut cum discordamus ab alijs circa bonum commune Dei, proximi, aut Republicæ , in quo necessaria est concordia ; & in hoc sensu discordia mala est, & opposita charitati ; quia ex precepto charitatis in Deum , & proximum tenemur convenire in his , quæ spectant ad bonum Dei, & proximi procurandis : ergo discordia in his casibus est peccatum contra hoc præceptum.

5 Huic vitio discordie
val.

valde affines sunt *contentio*, *rixa*, & *bellum*. *Contentio* differt a *discordia*, quod haec est in corde; illa vero in ore, & verbis. Unde, qui altercatione verborum impugnat veritatem cognitam, aut dictum alterius, non curando de veritate ipsius, sed solo animo contradicendi, ad hoc ut displiceat propugnanti, nulla servata moderatione in verbis, dicitur contentiosus. *Rixa* differt a *discordia*, & *contentione*; quia haec consistit praecipue in factis contrarijs, & nocivis proximo. *Bellum* est odium, & discordia plurium fere armis mutuo provocantium, & ferientium. Quando vero bellum sit justum, quando vero peccatum species *discordiae*? consule Theologos bellicos; nam sunt plura scita digna circa hoc, de quibus agere nobis non vacat pro nunc.

6. Siquitur *Schisma* etiam affinis *discordiae*, quæque secundum ethimologiam nominis, idem est ac *scissio*, seu *divisio* unitatem habentium, qua plures conveniunt in unum, & vivunt sub uno regimine, sub iisdem legibus, & statutis. Sed nunc præcipue nomen *Schisma* à Theologis appropriatum est ad significandum peccatum eorum, qui Ecclesiam, quæ est visibilis congregatio fidelium, scindere con-

nantur; licet in ipsa Ecclesia locum habere formaliter non possit; quia ipsa semper manet una formaliter unitate fidei, baptismatis, & religionis &c. Quare tota divisio est in membris, quæ à suo corpore, quod est Ecclesia, & a suo capite, quod est Suum. Pontifex, separantur.

7. Dupliciter autem *Schisma* evenire potest; nam possunt membra Ecclesia ab ipsa discedere deficiendo ab unitate fidei, quia Ecclesia semper est, & erit una: & tale *Schisma* semper est coniunctum cum hæresi. Secundo possunt separari ab Ecclesia manendo in ipsam fidem, quam Ecclesia profitetur, sed discedendo ab Ecclesia in cultu, ritibus, & usu Sacramentorum, servando distinguitos Ritus, diversum cultum, & non utendo Sacramentis modo, quo utitur Ecclesia Catholica ex Christi institutione; non tamen negando prædicta Sacra menta; nam si ea negarent, iam *Schisma* esset cum hæresi coniunctum. De utroque *Schismate* dubitatur, an sit vitium habens specialem malitiam contra charitatem?

8. Respondeo affirmati ve. Ratio est; quia Schisma utroque modo sumptum habet malitiam per se contrariam effec-

tui

tui charitatis: ergo. Prob. antec.: Schisma per se intendit disolvere in membris vinculum pacis inter se, & unitatem Spiritus in corpore, cuius sunt membra; sed servare vinculum pacis in unitate Spiritus est esset actus proprius charitatis, juxta illud ad Ephes. 4.: *supportantes invicem ex charitate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis*: ergo. Nec dicas, quod per fidem habetur conjunctio fidelium inter se, ut sunt membra Ecclesiae, & cum ipsa Ecclesia; alias tantum justi forent membra Ecclesiae. Non valet; quia haec conjunctio est imperfecta, & informis sine charitate, & non prout opportet ad salutem.

9 *Seditio* est dissensio civium, seu discordia multitudinis: & principaliter evenit, quando commovetur populus contra Principes, aut superiores. Hoc vitium absurdum est grave peccatum contra charitatem; quia destruit unionem, & pacem ejus iam inter cives, iam contra superiores. Unde qui pacem, & unitatem publicam turbant, gravissime peccant coram Deo, & justissime apud omnes gravissimis poenis puniuntur, & seditionum A. A., ut hostes pacis, & quietis publicae habentur.

10 Ultimo loco ponitur *Scandalum*, quod sic communiter definitur: est dictum, vel factum minus rectum praebens proximo occasionem ruinæ spiritualis. Unde scandalum semper consistit in actibus externis; quia solum externa, & manifesta sensibus possunt movere, vel occasionem praebere alteri ad peccandum. Est minus rectum, quia id, in quo scandalum datur, debet esse malum, aut habere speciem mali, vel ex objecto, vel ex circumstantijs. Unde quod nec malum est, nec speciem habet mali, non potest habere malitiam scandali, licet proximus ex propria malitia inde sumat occasionem peccandi; & sic additur: *praebens proximi occasionem ruinæ spiritualis*.

11 Variè dividi solet scandalum: aliud est *activum*: & est ipsum dictum, vel factum praebens proximo occasionem peccandi. *Passivum* aliud, & est ipsa ruina spiritualis proximi. Ethoc aliud est *Phariseorum*, quod unice oritur ex propria malitia proximi scandalizati; uti Pharisæi scandalizabantur ex sanctissimis operibus Christi Domini. Aliud *Pusillorum*, & est quod oritur non ex occasione data, nec ex malitia, sed ex pusillanimitate scandalizati. De hoc

ac scandalō passivo non quærimus, an sit oppositum charitati. Nam quod non sit; certum est apud omnes; cum non addat specialem malitiam contra charitatem. Difficultas est de scandalō activo, quod adhuc est duplex: aliud *datum, & acceptum*; & est quando sequitur ipsa ruina in proximo. Aliud est *datum, sed non acceptum*, & est quando licet detur occasio peccandi, non tamen sequitur peccatum. De hoc scandalō activo, tam dato, quam accepto

lum venit. Prob. min. quoad 2. part., scilicet, quod, prædictus actus sit ratione scandali contra charitatem-

12 Dico: scandalum activum est peccatum ex genere suo contra charitatem. Est communis, & prob.; scandalum activum stat in actu externo libero causante, vel præbente occasionem peccandi proximo, inducendo illum ad peccandum: & hoc quamvis ruina spiritualis non sequatur; sed talis actus ex genere suo est peccatum, & alias non est nisi contra charitatem: ergo. Maior est certa. Min. quoad 1. part. constat ex illo Mathei 18.: qui autem scandalizaverit unum de paucis istis, qui inme credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus; & demergatur in profundum maris. Et infra: verumtamen va homini illi, per quem scanda-

13 Talis actus, qui est causa, vel occasio ruinæ spiritualis proximi, relinquit sub libertate, & potestate proximi, vitare, & impedire ruinam spiritualem; sed hoc ipso est contra charitatem talis actus: ergo. Prob. min.: hoc ipso talis actus non est contra justitiam; nec excogitabilis est alia virtus, contra quam possit esse, præter charitatem: ergo. Nota tamen hic, quod loquimur de scandalizante, qui nec ex contractu, nec obligatione, & munere, vel officio, nullum debitum iustitiae habet impediendi, aut vitandi damnum spirituale proximi; nam de illo, qui talem obligationem ex iustitia habet, aliter dicemus.

14 Hic querere solent A. A., quodnam voluntarium requiratur ad rationem scandalī contra charitatem; an directum an vero indirectum sufficiat; prævidendo tamen proximum excitandum, & movendum ad peccandum? Et certe hoc secundum mihi val-

valde certum videretur, quia scandalum directe voluntarium, ea intentione, ut peccet, & damnatur, vix datur inter homines; quapropter dicitur *scandalum Dæmoniorum*, qui conantur, & inducunt homines ad peccandum, ea intentione, & fine: ergo cum detur, ex dictis, scandalum, quod sit peccatum contra charitatem, ad huius malitiam sufficiet voluntas.

rium indirectum erga ruinam spiritualem proximi. Qui plura circa hoc voluerit, consulat Casuistæ; nam haec tetigisse sufficit Theologo Scholastico; Et sufficient etiam pro virtutibus theologicis sub censura Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui omnia dicta libenter submitto.



TRACT.

TRACT. VII.

ET ULTIMUS.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS, ET DONIS.

Habito sermone de virtutibus theologalibus in precedentibus Tractatibus; nunc sequendo vestigia N. Subt. Doct., ejusque ordinem doctrinæ, de virtutibus moralibus est nobis sermo instituendus. Ubi & aliqua breviter prælibabimus de Donis spiritus Sancti, de beatitudinibus, & fructibus, quod & facit idem Doct. incipiendo in hoc tertio à Dist. 34 agere de virtutibus moralibus. Hunc tract. in disputationes dividemus, hasque in quæstiones secabimus, &, si opus fuerit, itas in sectiones, ut nostri moris est. Sit ergo

DISP. I.

De virtutibus moralibus in communi.

Omissis varijs acceptationibus nominis *virtutis*, prout ad præsentem tract. attinet, nomine *virtutis* venit intelligendus habitus existens in potentij animæ inclinans ad actus ipsarum conformes rectæ rationi, medijs, quibus homines recte, & honeste agunt, atque honesti, & laudabiles fiunt. De virtute ergo sic capta in præsenti disputatione agimus. De quaque sit.

QUÆST. I.

Quid quatuorplex quæ sit virtus moralis. Et in quo formaliter consistat?

Dicitur virtutes neccum certum de fide apud

catholicos habetur, sed etiam tanquam certum supponitur apud Gentiles. Maximum, inquit Seneca, hic habemus nature meritum.

Quod virtus in omnium animos lumen suum permittit, etiam qui illam non inquirunt, eam vident. Sed quid sit? Audi ipsum Senecam. Omnes quidem confusse virtutem intuentur, & cognoscunt, exactè autem paucissimi.

2 Philosophus 2. Ethicor. cap. 6. sic eam definit: *quæ eum, cuius est, bonum, & opus etiam, ejus bonum reddit.* Sed aliter cap. 5. ea definit, dicens: *est igitur virtus habitus electivus in mediocritate consistens quoad nos ratione terminata, & ut sapiens determinavit.* Sed ex his definitiōnibus sic à Theologis commaniter definitur virtus ut sic: *est habitus electivus inclinans ad honestè vivendum, seu ad actus conformes recta rationi.* Dicitur *habitus*, per quod convenit cum alijs habitibus. Dicitur *electivus*; quia deseruit voluntati ad electionem, seu ad operationem liberam dirigendam, & distinguitur ab habitus scientiarum speculativarum. Dicitur tandem *inclinans ad honestè vivendum &c.*, per quod distinguitur, neandum ab habitibus speculativis, sed etiam à practicis, & ab habitibus, artium, qui non faciunt, seu non deserviunt ad mores, seu ad distinguendos actus conformiter ad regulas morum.

3 Ex his habes, quod virtus, ut vere virtus sit, duo includit, & rationem qualitatis, & relationem conformitatis ad rectam rationem, seu prudentiam. An vero virtus pro formalī consistat in ratione qualitatis; an vero consistat in conformitate ad rectā rationem, seu prudentiam? est disidium inter A. A. Thomistæ communiter tenent, virtutem formaliter consistere in ratione habitus, & qualitatis physicæ; ita ut habitus essentialiter inclinet in bonum, ut non possit inclinare ad malum. Subt. Doctor in 1. dist. 17. quest. 3. §. quantum ad istud. expresse contendit, virtuteim pro formalī consistere in conformitate ad dictamen prudentiæ; pro materiali vero dicere formam de genere qualitatis, in qua talis conformitas fundatur.

4 Hæc difficultas tractata est tom. 4. tract. 11. tum disp. 1. quest. 3. & 4. tum disp. 6. quest. 1. & 2. Cursus huius almæ Provintiæ, agendo de moralitate actuum, & de bonitate, & malitia ipsorum; nam N. Subt. Doct. cit. in 1. proportionaliter loquitur de moralitate habituum. Ait enim: *sicut autem dictum est de bonitate morali actus, ita proportiona-*

liter dicendum est de habitu, quod virtus moralis non addit super substantiam habitus, ut est forma de genere qualitatis, nisi conformitatem habitualem ad rationem restam. Quare conformiter ad ibi dicta, resolvenda venit tercia pars huius questionis, Pro cuiusque resolutione.

5. Dico: ratio formalis virtutis non stat formaliter in esse habitus, seu qualitatis physicae, sed in coformitate habituali ad rectam rationem. Est communis Scotistarum, & etiam R. R. contra Thomistas. Prob. 1. conclusio evertendo fundamentum Thomistarum: habitus virtutis in esse qualitatis non habet essentialiter inclinare in actum bonum: ergo ratio virtutis non consistit formaliter in habitu prout est precissè qualitas. Prob. antec.: habitus ex se est indifferens ad actum bonum, & malum, ita ut possit ad utrumque inclinare: ergo. Prob. antec. hoc exemplo: si quis studijs assuevit in seculo propter vanam gloriam, & postea ingressus religionem mutantavit finem vanæ gloriae in alium honestum, sine dubio mediocitali habitu, acquisito in seculo erit propensior ad studium, quam si nullum habuisset habitum studendi: ergo idem habitus potest

inclinare ad actum bonum, & malum.

6. Respondent contrarij, quod in hoc casu non est idem habitus, sed distinctus; quia cum habitus ille prior genitus fuerit ex actibus vitiosis studendi scilicet, ob vanam gloriam, solum potest esse principium illorum, qui mali sunt, non autem aliorum, qui boni sunt. Unde facilitas illa, quam iste sentit in honeste studendo, non provenit ex eo, quod maneat in illo idem habitus, qui antea erat, sed quia per illum, eo quod esset similis ex parte objecti materialis, manet inclinata voluntas ad similes actus quantum ad substantiam.

7. Contra 1.: assuetus studijs in seculo ex vanagloria, postea in Religione prolequitur studia ob Dei gloriam cum magna facilitate; sed hec magna facilitas, & promptitudo ad studendum provenit ab aliquo habitu: & non ab habitu virtuoso denuò acquisito; cum iste acquiratur ex repetitione actuum: ergo provenit ex antiquo, qui remanet conjunctus cum honesto motivo, & recto dictamine rationis. Contra 2.: habitus ille antiquus, juxta contrarios, quantum est ex se, inclinat ad hunc actum in

specie, scilicet, studium; sed hic actus in specie jam est bonus, iam est malus: ergo habitus quantum est ex se iam inclinat ad actum bonum, jam ad malum: ergo non est illi essentiale determinate inclinare in bonum; & consequenter ratio virtutis non stat formaliter in ratione habitus in esse qualitatis.

8 Respondent alij, quod habitus virtutis potest interdum mouere per accidens ad actum malum; sed cum hoc componitur, quod habitus virtutis sit intrinsece, & essentialiter bonus, ac in bonos actus inclinans. Sed contra: ergo non est essentiale habitui inclinare in actus bonos. Prob. hæc conseq.: quando unum oppositorum convenit alicui per se, & essentialiter, oppositum nequit ei convenire, nec per se, nec per accidens; quia homini competit per se, & essentialiter esse rationale, non potest ei convenire, nec per se, nec per accidens esse irrationale: ergo si habitus virtutis per se, & essentialiter inclinat solum in actus bonos, non poterit inclinare in malos, nec per se, nec per accidens.

9 Prob. 2. conclusio: habitus virtutis non potest per se, & ex natura sua inclinare ad

debitas circumstantias secundum rectam rationem, hoc est, ad medium virtutis prædefinitum à ratione, juxta Philosoph. 2. Ethic.: ergo ex se, & in esse qualitatis non est formaliter virtus. Antec. constat; cum non detur tale medium sine recta ratione, ut constat ex definitiōnibus: ergo in tantum potest habitus inclinare in medium virtutis, in quantum dicit conformitatem ad rectam rationem: & in hac consistit formaliter ratio virtutis.

10 Dices 1. contra hoc: ex Aristot. cit. virtus est habitus, à quo bonus efficitur homo, & opus ejus reddit bonum; ergo virtus est habitus. Confirmatur: Philos. 6. Ethic. cap. 3. excludit habitum opinionis, & conjecture à ratione virtutis intellectivæ, eo quod opinio potest inclinare in fallum: ergo si habitus voluntatis potest inclinare ad malum, non erit virtus moralis. Prob. conseq.: non minus essentialiter virtus moralis respicit bonum, & honestum, quam intellectualis verum: ergo si habitus voluntatis. &c.

11 Respondeo explicando antec. ; virtus est habi-

bitus pro materiali , à quo &c. conc. ant. pro formalī , nego antec. Ad confirm. dico , quod ideo Aristot. negavit , habitum opinionis esse virtutem intellectualem , quia imperfecte inclinat ad verum ; nam quantum est ex parte sui motivi , quæ est ratio probabilis , & ex natura medij , cui innititur , potest illi subesse falso ; at vero habitus voluntatis inclinans ad abstinentiam v. g. propter bonitatem objectivam abstinentiæ perfecte inclinat ad bonum , quando concidunt circunstanciæ requisitæ , ideoque est vere virtus , etiò ex defectu alicuius circumstantiæ possit deponere , & amittere rationem virtutis.

12 Dices 2.: virtus moralis cum potentia effective concurrit ad productionem actuum bonorum ; sed hoc munus solus habitus de genere qualitatis exercere valet ; cum nulla ratio sit per se principium actiūm ; quia est de genere steriliūm : ergo solus habitus de genere qualitatis est formaliter virtus. Confirmatur : virtutes ponuntur , ut determinent potentias rationales ex se indeterminatas ad agendum virtuosè ; sed hæc determinatio ad unum fit per solum habitum , & non per rationem : ergo virtus essentialiter est habitus.

13 Respondeo ad argumentum distinguendo mai. : virtus moralis , qua virtus concurredit effectiva &c. nego mai. ; qua habitus , conc. mai. : & concessa min. nego conseq. Itaque certum est , quod nullam causalitatem habet virtus in actu , nisi ut est talis qualitas naturalis. Attamen ad bonitatem concurredit , qua virtus est , in quantum talis actus est conformis rectæ rationi , & sic ab habitu est entitas actus ; ab hac vero conformitate habetur ratio virtutis. Ad confirmationem dico , habitus secundum se considerati determinant potentias ex se indifferentes ad agendum in specie naturæ ; in quantum vero sunt conformes rectæ rationi concidunt ad actum bonum in specie moris. Qui plura circa hoc voluerit , legat cursum Provinciæ tom. 4. locis citatis. Et etiam N. Mast. hic disp. 7. quærit. 1. per quodque resoluta manet prima , & tertia pars huius quæstionis.

14 Quoad 2. vero dico : quod virtus ut sic primo dividitur i. intellectualem , & appetitivam. Intellectualis est , habitus intellectus perficiens , & inclinans ad cognitionem eorum , quæ sequi , vel fugere oportet , ad hoc ut actus humani honesti sint. Sic

Sic prudentia, & omnes species ejus, ex virtutibus moralibus: & fides ex Theologicis. Appetitiva est, quæ voluntatem perficit, & immediate inclinat in actus conformes recte rationi, aut regulis morum: sic ex moralibus sunt fortitudo, temperantia, & justitia cum suis speciebus: & ex theologicis spes, & charitas. Deinde dividitur virtus in *naturalem*, & *supernaturalem*: prima est, quæ inclinat per se in actus honestos, seu conformes dictamini naturali rationis, non respiciens ex natura sua Deum, ut Auctorem, nec ut finem supernaturalem. Supernaturalis est, quæ inclinat in actus nequum honestos, sed etiam respicientes Deum, ut authorem, & finem supernaturalem, per quamquæ actus virtutis naturalis ordinatur, & refertur in ipsum.

15 Tertio dividitur virtus in *infusam*, & *acquisitam*. Prima est, quæ non industria humana acquiritur, sed à Deo infunditur, ut fides, spes, & charitas, de quibus in tractatis antecedentibus. Acquisita est, quæ acquiritur per actus proprios ipsius creature rationalis, ut prudentia, justitia, fortitudo, & temperantia, aliisque virtutes morales, quæ ad ista

reducuntur. Quarto, dividitur virtus in *Theologalem*, & *Morallem*. Prima est, quæ habet Deum, ut objectum primum, & specificativum. Moralis est, quæ immediate, & per se primo respicit objecta creata.

16 De hac ergo virtute morali, est de qua in praesenti specialiter agimus. Unde non sumimus in praesenti nomen virtutis pro ut transcendent nomen virtutis habitus speculatorios intellectus, uti sunt scientiae; nec habitus practicos, qui sunt circa factibilia, uti ars, & facultates practice; sed solum agimus de virtute, prout est perfectiva creaturae rationalis, in quantum nata est agere honeste, & conformiter ad dictamen rationis rectæ, seu ad regulas morum: & in quantum, ut elevata, nata est tendere in via per merita in Deum, ut Authorem, & finem supernaturalem. Virtus ergo moralis communiter dividitur in quatuor tuor Cardinales (sic dictæ, quia sunt quasi Cardinales, & capita cæterarum virtutum de genere morum) scilicet, prudentiam, justitiam, fortitudinem & temperantiam. De his virtutibus in particulari, disp. sequenti erit sermo; per prius vero de virtutibus moralibus ut sic aliquæ dif-

difficultates sunt in hae disput.
discutienda. Sit ergo.

QUÆST. II.

*An virtutes morales
consistant in medio,
& quomodo?*

1 **V**irtutem in medio consistere communne dictum est apud Philosophos, & Theologos; quodque satis constat ex Philos. 2. Ethic. cap. 6. ubi ait, quod virtus in mediocritate consistit. Sed certe in hac mediocritate explicanda, & declaranda non parum laborant Theologi respectu omnium, & singularium virtutum moralium, ut ait hic N. Mastrius quæst. 3. num. 46. Pro hoc breviter declarando ex ipsomet Maistro.

2 Noto 1. quod duplice potest virtus versari inter duo vitia ex extrema. Primo formaliter; ita ut utrumque extrellum sit pravum, & diforme per oppositionem ad ipsammet virtutem: sic liberalitas v. g. mediat inter avaritiam, & prodigalitatem; fortitudo inter timi-

ditatem, & audaciam: prudenter: inter calliditatem, & imprudentiam, seu hebetudinem. Secundo materialiter; ita ut ex una parte contingat peccare formaliter contra ipsam virtutem; ex alia vero contingit peccare in materia ejusdem virtutis per oppositionem ad aliam diversam virtutem ob alias rationes, seu circumstantias adjunctas: sic in virtute temperantiae, qui immoderata deficeret a quantitate cibi necessaria pro conservatione vita peccaret quidem, sed non formaliter contra temperantiam, sed contra charitatem erga se ipsum, quæ talera prohibet deesse.

3 Noto 2.: quod mediocritas inter duo extrema potest oriiri *ex parte objecti*, & *ex parte actus*. Prima est, quando objectum actus virtuosi debet tenere medium, & non exceedere certam mensuram, nec ab ea deficeret, uti est liberalitas respectu prodigalitatis, & miseriae. Medium ex parte actus, & exercitijs circa objectum petit mediocritatem in ipsis actionibus servandam, ita ut, nec magis, nec minus exerceantur, quam oportet; hoc est, ne omittantur, quando actus, attentis circumstantijs, debent exerceri; aut ne exerceantur, quando debent omitti.

4 Noto 3.: quod medium aliud est *rei*, & aliud *rationis*. Medium *rei* est, quod ex natura rei determinatum est, ita ut semper sit ejusdem rationis, & quantitatis; seu, ut aliqui dicunt, cuius mensuratio est adæquatio inter quantitatem, & quantitatem rei. Medium *rationis* est medium à ratione, seu à prudentia dictatum, taliter, quod non ex natura rei sit determinatum, sed à ratione, seu prudentia, perspectis bené circumstantijs. Sic in Materia temperantiae v. g. non est ex natura rei determinatum medium inter excessum, & defec-
tum; sed debet determinari per prudentiam; quia quantitas cibi, quæ respectu complexio-
nis alicuius est medium, respec-
tu robustioris complexionis al-
terius non est sufficiens; & res-
pectu debilioris erit excedens.
Unde regulariter loquendo me-
dium virtutis non est semper
idem, ac unum, adhuc in ea-
dem materia.

5 His suppositis, quod
quæritur in præsenti, est; an de
ratione omnis virtutis moralis
sit habere medium: & an hoc
medium sit, vel debeat esse ex
natura rei, vel sufficiat, quod
sit taxatum a ratione, seu pru-

udentia? Thomistæ tenent, virtutes morales, quæ versantur circa passiones proprias, consistente in medio rationis; virtutes vero, quæ sunt ad aliud, ut est justitia, consistere in me-
dio taxato ex natura rei, non autem à ratione determinato. Contra istum modum dicendi stat communis Theologorum. Sed prius, quæ apud omnes Theologos certa sunt, resolva-
mus.

6 Dico 1.: omnis vir-
tus moralis in medio consistit.
Est communis. Prob. : omnis
virtus moralis respicit objectum,
& actus circa tale objectum, ut
regulantur à prudentia secundum
regulam, & mensuram rationis;
sed hoc ipso omnis virtus mora-
lis consistit in medio: ergo:
Prob. min.: si materia, & actus
omnis virtutis moralis debet
regulari à prudentia, seu recta
ratione, sequitur, quod nec ma-
teria secundum se, nec actus
ipse secundum se, est necessario
affixus ipsi regula: ergo est
neccesse, quod medium taxetur
ab ipsa ratione. Antec. constat;
quia materia virtutum moralium
est contingens, & actus liberi
non regulantur nude considera-
ti cum objecto, sed cum omnibus
debitis circumstantijs; unde pos-
sunt cadere a regula per defec-
tu*m* 2

tum, vel per excessum: ergo ne cadant, debent a ratione natui medium inter excessum, & defectum, in quo virtutes morales consistant.

7 Dices contra istam conclusionem: sunt quedam virtutes, quæ quantumcumque crescant, numquam possunt habere rationem vitij; quinimò tunc habent rationem virtutis in gradu heroico: ergo non omnis virtus in medio consistit. Prob. antec.: nimia humilitate v. g. peccati non potest; similiter & pénitentia, & religione, amoreque Dei; nam in maceranda carne amando Deum, ipsumque colendo excedere non potest; cum non possit ei respondi æquale pro beneficijs acceptis: ergo non omnis virtus in medio consistit.

8 Respondeo negando antec.; quia enumeratae virtutes etiam habent medium, & habere possunt vitia opposita. Humilitas enim mediat inter superbia, & abjectionem, vilitatem, quo vitio peccaret, qui præ nimia abjectione suam autoritatem parvipenderet, quod evenire solet in Prælatis. Pénitentia etiā mediat inter duritatem cordis, & immoderatam pénitentiam, quo vitio peccaret, qui per actus poenales notabiliter sua saluti noceret. Similiter Re-

ligio mediat inter irreligiositatem, seu contemptum Dei, & superstitionem, qua peccaret, qui indebito cultu Deum coleret. Quomodo in amore Dei possit esse in ordinatio ex parte actus? Dicitur in fine quæstionis.

9 Dices 2.: si omnis virtus moralis consistet in medio consistet in indivisibili; sed hoc nequit dici; ergo &c. Min. constat; quia, cum hoc indivisibile attingere, esset fere impossibile, vix virtuosæ unquam operaretur. Respondeo, negando maiorem; quia medium à ratione taxatum non consistit in indivisibili, sed habet aliquam latitudinem juxta dictamen prudentiæ. Sic medium temperantiæ v. g. erga cibum sint sex unitæ, qui septeni ederet, non ob hoc immediate intemperate positive ederet; & sic in alijs.

10 Dico 2.: licet omnis virtus moralis in medio consistat, non tamen eodem modo. Diversitas stat in hoc, quod virtutes morales ad se regulatiter consistunt in medio *ratiōnēs*, seu à ratione taxato: virtus vero iustitiæ, maximè commutativæ, regulatiter consistit in medio *rei*; licet aliquando etiam consistat in medio *ratiōnis*. Conclusio quo ad 1. partem est

est communis, & certe satis constat ex dictis in conclus. antec.; cum neque pro virtute temperantiae, neque pro virtute fortitudinis possit unum, & idem medium taxari pro omnibus; quia quod est medium respectu unius, potest esse excessus respectu alterius, & defectus respectu alii-
cuus, ut diximus num. 4. huius.

11 Prob. ergo conclu-
sio quoad 2. partem, scilicet,
quod regulariter medium justitiae
commutativa regulariter sit me-
dium rei. In justitia commuta-
tiva requiritur, quod Domini
rum eas permutent sine fraude in
substantia, ut non detur aqua
pro vino: in quantitate, quæ
consistit in mensura, vel per pon-
dus, vel alio modo mensurandi;
& denique in qualitate, ut non
permutetur Vinum corruptum
pro optimo vino; sed hæc sunt
media rei: ergo regulariter in
justitia debet servari medium
rei.

12 Dixi regulariter in
justitia commutativa; aliquando enim sufficit medium ratio-
nis; quia in comertijs, & con-
tractibus, scilicet, in emptioni-
bus, & venditionibus, prætia
variantur juxta circumstantiarum
varietatem, scilicet, temporis
&c. Aliqua enim res viliori præ-

tio venduntur in una Provintia,
quam in alia: & modius fru-
menti plus valet hoc anno, quam
alio. Unde medium talis virtutis
potest etiam taxari à ratione.
Deinde prætia rerum, quæ lege
imposita non sunt, habent sum-
mum, medium, & infimum: ergo
medium non est rigurose rei.
Quod in justitia distributiva per
sæpe attendatur medium ratio-
nis, satis constat; quia non
tantum debet distribui honoris
militi unius anni; ac militi, qui
vigiñti militavit; nec tantum mi-
liti gregario, ac duci strenuo;
sed secundum proportionem, quæ
non est medium reale equalita-
tis, sed à ratione taxatum.

13 Dices contra has
partes conclusionis, quæ est
contra Thomistas: ideo medium
temperantiae, & fortitudinis est
rationis; quia nequit esse idem
apud omnes; sed hæc ratio non
currit de medio justitiae, quod
est æquale in datis, & acceptis:
ergo justitia servat medium rei.
Respond. neg. min.; quia me-
dium justitiae in permutationibus
rerum est tantum rationis in ge-
nere moris taxatum per aestima-
tionem prudentum secundum
exigentiam convictus; non ve-
ro medium rei in genere entis.
Videmus enim, quod res nobilior
in esse naturali, quia est
minus utilis usui humano, est
mi-

nus prætiosa in genere moris; & ideo minus appretiatur a prudentibus, quam res minus nobilis in esse naturali, utilior tamen comertio humano.

14 Dices 2.: juxta Scripturam Levit. 19. satisfactiones prescribuntur ex æqualitate rerum; hoc est, ad pondus, & mensuram; dicitur enim: *statera justa, & aqua sint pondera, & justus modius:* ergo iustitia servat medium rei: Resp. quod quantum fieri potest, & quantum servari valet medium rei, atque servandum est in actibus iustitiæ; sed quia non semper servari valet, juxta diversitatem Personarum, loci, temporis, abundantie, aut necessitatis rerum, tunc standum est ad medium rationis. Hac ergo ratione aliqui graves Theologi reducunt hac difficultatem ad questionem de nomine; & ut verū fatear multum est lytis de ipso.

15 Dubitabis hic: an in virtutibus Theologalibus admittendum sit etiam medium? Et certum est apud omnes, quod nequeat dari medium ex parte objecti; quia ut ait N. Subt. Doct. cum Deus sit objectum harum virtutum infinitum, hinc summo amore est dignus, & consequenter numquam homo peccare poterit ex eo, quod amet

Deum, plusquam amari debeat Et etiam, cum sit summe verax in omnibus, summe est credendus, ita ut homo nequeat peccare ex eo quod plus credit Deo, quam debeat credere. Et tandem, cum sit infinité bonus, & omnipotens, nullum est bonum, quantumvis maximum, quod, non possit sperari a Deo ratione suæ bonitatis, & omnipotentie. Difficultas ergo est, an possit dari medium ex parte actuum erga istas virtutes?

16 Quod detur medium in fide, & spe ex parte actuum, videtur satis certum; nam in fide possunt esse extrema, affirmando per excessum, quod non est revelatum; vel per defectum, negando, quod revelatum est. Deinde fides mediat inter levitatem credendi, quando non oportet, juxta illud Eccles. 19. *qui citò credit, levis est corde;* & inter pertinaciam non credendi, quando oportet, quod in Apostolo Thema reprehendit Christus Dominus Joann. 20.: ergo in fide ex parte actus servandum est medium. Hoc etiam constat de spe, quæ habet extrema, & per excessum, & defectum; presumere enim, seu sperare quæ non oportet, aut sicut non oportet, est peccatum per ex-

excessum : & desperare , seu non sperare , quæ oportet , & sicut oportet , est peccatum per defectum.

17 De charitate autem , quamvis habeat extreum per defectum , ut non diligere Deum , quando , & quantum oportet ; tamen assignari valebit peccatum per excessum ; cum ut ait Bernardus : *modus diligendi Deum , sit ipsum diligere sine modo.* Sed tamen , potest in amore Dei aliqua inordinatio inveniri , ut si quis nimium connatum addiberet ad hunc amorem exprimendum , ut vellet suum corpus macerare ; plus quam vires naturales patiantur , vel se inter ficeret ex amore Dei , sive ad amorem illum declarandum , de quibus ait August. *qui ipsos propter Deum sic odiunt , ut flammis se donent , aquis se præfocent , præcipito se collidant , ut pereant.* Sed nota quod hic excessus solum materialiter opponitur charitati Dei ; quia formaliter opponitur charitati erga se ipsum. Videatur N. Mastrius hic. quest. 3.



QUÆST. III.

An virtus aliqua moralis sit ponenda in appetitu sensitivo , vel omnes sint in intellectu , & voluntate ?

I **T**amquam quid certum supponendum est pro resolutione primæ partis , quod in appetitu sensitivo potest esse habitus genitus ex actibus ab ipso eliciti ex imperio voluntatis ; quia experientia constat , appertitum sensitivum prompte , faciliter moveri ad obtemperandum voluntati , pro sequendo , vel fugiendo id , quod antea difficulter , ac tardè pro sequebatur , & fugiebat ; & hoc ex assidua exercitatione imperata à voluntate erga aliquod objectum. Unde difficultas præsens non est , an sit in appetitu sensitivo capacitas , vel incapacitas ad suscipiendum habitum , in quantum iste est qualitas habilitans , & facilitans . in-

clinando ad operationem ; sed unicē quæritur , an possit recipere habitum , qui sit proprie virtus?

2 Pro resolutione 2. partis , similiter notandum est , quod virtutes morales subjectantur mediate in anima , non vero *immediates* & quæritur nunc , an immediate subjectentur in potentijs ipsius animæ , scilicet , in intellectu , & voluntate , ad hoc ut moderentur appetitus sensitivos , ne in prosecutione boni , & in fuga mali deficiant , & exdant? Circa quam difficultatem duplex est sententia ; prima assentit , virtutes , quæ ad alterum non ordinantur , ut sunt temperantia , & fortitudo , non reperiri in voluntate , sed tantum in appetitu sensitivo : virtutes vero ad alterum , ut est justitia , subjectari in voluntate . Sic Angelus Praeceptor 1. 2æ. quest. 56. artic. 5. & 6. cum que communis Thomistarum .

3 Secunda sententia per oppositum negat , ullam virtutem moralem posse subjectari in appetitu sensitivo , licet non neget , collocandos esse in tali appetitu habitus quosdam similes virtutibus ; unde ex consequenti defendit , quod virtutes morales propriè tales subjec-

tantur iam in intellectu , v. g. prudentia : jam in voluntate , ut fortitudo , temperantia , & justitia ; sic N. Subt. Doct. in 3. dist. 33. quest. unic. , ubi etiam Seraph. Doct. art. unic. quæst. 3. Eximus Doct. disp. 3. Sect. 7. num. 10. Hæc est sentia communior inter Scotist. & Jesuitas. Ut difficultatem clarius resolvam , hoc per duplarem conclusionem faciam . Sit ergo .

Prima conclusio.

4 Licet in appetitu sensitivo sint aliqui habitus boni , non sunt tamen veræ , & propriæ virtutes . Utraque pars conclu est N. Subt. Doct. cit. quoad 1. constat ex ipso §. ad quæst. , ubi inquit : potest concedi , quod si voluntas volens potest imperare appetitui sensitivo , vel moderando passionem ejus , vel imperando prosecutionem , & fugam , si sunt actus appetitus sensitivi , potest derelinquere ex imperio rectis aliquem habitum in appetitu sensitivo , inclinantem ad hoc , ut appetitus sensitivus delectabiliter moveatur ad sensibilia ex imperio voluntatis ; qui habitus derelictus , licet non sit proprie virtus , quia non habitus effectivus , nec inclinans ad elec-

nes potest tamen concedi aliquando esse virtus; quia inclinat ad illa, quae sunt consona rationi rectae. Hæc Doct., in quibus habetur 1. pars conclusionis.

5 Prob. quoad 2., in qua est difficultas: appetitus sensitivus in se non potest tendere in bonum honestum qua tale, sed tantum delectabile: ergo nullum potest habere habitum, qui ex se tendat in bonum honestum qua tale; qui habitus nequit excedere sphæram objecti, erga quod tendunt actus, à quibus dignitur habitus. Antec. constat; quia appetitus sensitivus non tendit in bonum, nisi ut propositum per cognitionem sensitivam; hæc autem non proponit bonum honestum qua tale, sed solum delectabile, aut commodeum, ut de se patet. Nunc sic; sed si habitus appetitus sensitivi non tendunt in bonum honestum quatale, nequeunt esse vere, & in tigore virtuosi: ergo non sunt.

6 Respondent Thomistæ huic rationi, quod et si appetitus sensitivus secundū se nequeat tendere in bonū honestū, tamen prout subest in homine rationi, & imperio voluntatis, potest participativè indirekte, & cōpletive tendere in tale bonum. Unde verum est, quod actus appetitus sensitivi non potest esse formaliter virtuosus, nisi in quantum

procedit ex motione voluntatis diligentis. Hi autem actus sic ordinantur: electio voluntatis præcedit, inchoat actum virtuosum: & actus appetitus exequens electionem est complementum, & effectus illius electionis. Ex quo sequitur, quod actus appetitus sensitivi, non secundum se, sed in quantum subjiciuntur rationi, & imperio voluntatis, sunt vere, & proprie virtuosi.

7 Sed contra: actus appetitus sensitivi, adhuc prout subest rationis imperio, non fertur, nec natus est tendere in objectum virtutis, qua objectum virtutis est: ergo nequit esse proprie virtuosus. Prob. ant.: actus appetitus sensitivi, adhuc prout subest imperio rationis, non fertur in objectum alienum, sed in objectum proprium ipsius sub ea ratione, sub qua est ejus objectum; sed prout est objectum appetitus sensitivi nequit esse objectum virtutis proprie talis; cum huius objectum sit honestas; & objectum appetitus sensitivi delectabilitas, aut commoditas: ergo cum appetitus sensitivus, adhuc prout subest imperio rationis, nequeat ferri in objectum proptium, & specificatum virtutis, sequitur, quod ejus actus non sit proprie, & rigurose virtutes.

8 Quod ergo ad summa

item sequitur ex responsione
contrariorum est, quod actus
appetitus sensitivi, ut subsunt
rectae rationi, & moderate eli-
citi sunt boni moraliter, & virtuosi
secundum *quid*; quia con-
sonit rationi rectae; sed non sunt
virtuosi propriæ; nam isti de-
bent habere honestatem, seu
honestum objectum specificati-
vum eorum sub ratione virtutis.
Actus autem appetitus sensitivi
non attingunt objectum qua
honestum, sed voluntas impe-
rando eos secundum rectam ra-
tionem est quæ attingit hone-
statem, & propter ipsam impe-
rat tales actus. unde honestas
non derivatur in ipsos ex proprio
objecto, sed ex honestate objec-
tiva, in quam tendit voluntas
per electionem.

9. Prob. 2. conclusio:
virtus propriæ sumpta est habi-
tus electivus, juxta Philos.
6. Ethicor. cap. 6.; sed
appetitus sensitivus est sibi com-
munis cum brutis: ergo per
operationem existentem in appre-
titu sensitivo nequit homo lau-
dabiliter, vel virtuperabiliter ope-
rari: ergo neque virtuose. Nunc
sic; sed si in appetitu sensitivo
collocarentur virtutes veræ, &
propriae, per operationem appeti-
tus sensitivi laudabiliter, & vi-
tuperabiliter operaretur homo:
ergo &c.

Secunda conclusio.

10 In voluntate, tan-
quam in subjecto, sunt virtutes
morales, non solum quoad ad
alterum tendunt, qualis est
justitia; sed & quæ sunt ad se,
ut fortitudo, & temperantia. Con-
clusio quoad 1. part. est com-
munis, quoad 2. vero est con-
tra Thomistas. Prob.: ideo for-
titudo, & temperantia non ha-
berent ut proprium subjectum
voluntatem, quia habent
pro objecto bonum natura-
le proprium ipsius volun-
taris; & ad tale bonum non
est ponenda in ipsa virtus, nec
habitus; sed hec ratio falsa est:
ergo &c. Maior est fundamentum
Thomistarum. Prob. min.: in qua-
cumque potentia, in qua sunt ac-
tus virtuosi, erga ipsum pro-
prium objectum est ponenda vir-
tus, seu habitus virtutis; sed
in voluntate erga bonum pro-
priæ sunt actus virtutis: ergo
est ponenda virtus erga tale
bonum. Maior constat; quia ha-
bitus necessario, seu naturaliter
generatur ex repetitione actuum;
unde supposita repetitione ac-
tuum virtuosorum, necesse est,
habitum virtutis generari in ipsa
potentia.

11 Prob. 2. conclusio:
quæcumque potentia apta ha-
be.

bere difficultatem in elicientia suorum actuum erga bonum proprium, est capax habitus acquisiti per actus proprios; sed talis est voluntas erga actus fortitudinis, & temperantiae: ergo &c. Maior est certa; prob. min.: voluntas non solum respicit, ut bonum proprium, bonum honestum; sed etiam bonum commodi; sed hoc ipso apta est habere difficultatem in elicientia actus virtuosos circa bonum proprium fortitudinis, & temperantiae: ergo. Maior patet; quia non solum bonum honestum, sed etiam commodi, est bonum proprium hominis, & consequenter voluntatis. Prob. min.: bonum commodi reddit difficultem prosecutionem boni honesti, ut experientia constat: ergo &c.

12 Prob. tandem conclusio: habitus virtuosus non tantum ponitur in potentia, ut per ipsum potentia recte agat, sed ut agat delectabiliter; sed hoc ipso ponendi sunt habitus virtuosos fortitudinis, & temperantiae in voluntate: ergo. Antec. constat; quia potest quis recte agere sine habitu acquisito, ut patet in vitioso noviter ad bonum converso, qui recte agit, non tamen delectabiliter; quia non statim iu primo actu corruptus est totus habitus vitiosus. Unde

requiritur habitus in ipso, ut delectabiliter agat. Prob. min.: voluntas patitur difficultatem, ut labores, & pericula amplectatur, & ut bona sensibilia, delectabiliaque appetat moderate, & delectabiliter: ergo eget habitibus virtuosis fortitudinis, & temperantiae.

Solvuntur argumenta.
contra istas conclu-
siones.

13 Arguitur primo contra 1.: Philosophus 1. Ethic. cap. 10. agens de fortitudine, & temperantia, ait: *hæ namque virtutes partium earum esse videntur: quæ sunt rationis expertes:* ergo fortitudo, & temperantia sunt in appetitu sensitivo, juxta Philos. Resp. Philosophum solum velle, fortitudinem, & temperantiam esse illarum potentiarum, quæ sunt rationis expertes, cum versentur circa moderandas passiones talium potentiarum; non vero velle, nec dicere, quod prout sunt in talibus potentijis, sint veræ, & propriæ virtutes; cum prout sic non attingant objectum virtutis propriæ, scilicet, honestatem, ut constat ex dictis in 1. conclusione.

14 Arguitur 2.: habitus virtutis ponendus est in illa potentia, in qua est difficultas erga suos actus; sed difficultas actuum virtutum est in appetitu sensitivo, & non in voluntate: ergo in appetitu, & non in voluntate ponendi sunt habitus virtutum. Confirmatur hoc exēplo: homo equitās nō eget frōno, sed equus; quia equus, & nō homo, coercendus est; cum resistat morui ordinato; sed voluntas respectu appetitus sensitivi se habet ut equitans, & appetitus sensitivus ut equus: ergo in isto, & non in illa ponendus est habitus virtuosus.

15 Respondeo, negando min.; quia difficultas non solum stat in appetitu sensitivo, sed etiam redundat in voluntatem ipsam; nam motus appetitui in hærens difficultem reddit operationem voluntatis; unde ad hoc, ut studeat mediocritati in actibus temperantiae, non sufficit ipsas passiones appetitus coercere, sed ipsa quoque voluntas in se indiget habitu ad faciliter, & delectabiliter operandum. A confirmatione nego paritatem, quia inordinatus motus equi non trahit equitem ad inordinatam operationem, nec impedit proprias; ideoque non eget frōno; at motus appetitus sensitivi trahunt voluntatem,

ad inordinatas operationes, & ne in illas erumpat, frōno, & novis viribus indiget, scilicet habitu, ut hanc superet difficultarem, quam motus rebellis sensus ipsi voluntati ingerant

16 Arguitur 3.: virtus moralis ponitur, ut moderativa passionum; sed passiones non sunt in voluntate, sed solum in appetitu sensitivo: ergo solum nō isto collocandę sunt virutes morales. Confirmatur: in ea potentia, quæ maxime deviat à bono, debet poni virtus moralis; sed appetitus sensitivus est huiusmodi: ergo &c. Resp. neg. min.; quia etiam in voluntate, prout conjuncta sensitivo appetitui, sunt passiones, quibus nata est condescētari, & contristari.

17 Deinde potest negari consequentia; quia virtus non debet esse formaliter, & subjective, ubi est passio moderanda, sed potius in potentia moderante, hoc est, voluntate; quia passiones non sunt materia in qua vel ex qua respectu virtutum; sed materia circa quam; & se tenent ex parte objecti. Ad confirmationem eodem modo responetur quod licet fensus deviet à bono, in ipso non est ponendus habitus per

per modum virtutis , proprie, & rigurose , sed sufficit , quod ponatur in voluntate, ad hoc ut retrahat appetitum sensitivum à suo bono delectabili , & commodo , & reducat in bonum honestum.

18 Arguitur 4. & potest esse replica : fortitudo , & temperantia sunt in irascibili, & concupisibili; sed irascibilis, & concupisibilis non sunt in voluntate , sed tantum in appetitu sensitivo : ergo &c. Confirmatur : in ea potentia ponenda est virtus moralis , ubi est vitium ; quia opposita nata sunt fieri circa idem; sed vitium est in appetitu sensitivo , ut patet in primis motibus virtiosis sensualitatis: ergo &c. Resp. neg. min. ; quia objectum irascibilis est offendens , & concupisibilis conveniens , sive delectans , & voluntas concupiscit delectabilia , & fugit tristia , & impedientia delectationem ; unde in ipsa est sua irascibilis, & concupisibilis. Ad confirmationem nego absolute min. ; quia vitium , prout habet rationem culpæ , non est proprie in appetitu sensitivo , sed solum qua. tenus subordinatur voluntati conscienti appetitui , & nolenti motus inordinatos reprehendere.

19 Arguitur 5.: per nos in appetitu sensitivo repetiuntur habitus boni ; sed hoc ipso sunt veræ virtutes : ergo. Prob. min.: ipsis convenient definitio veræ virtutis: ergo. Prob. antec.: *virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & qua nemo male utitur; sed habitus concupisibilis in appetitu sensitivo, est, quo inclinatur ad appetendum cibum v. g. juxta regulam rationis: ergo &c.* Resp. concess. mai., negando min. Ad cuius probat. nego antec., quia definitio vera virtutis est *habitus electivus circa mediocritatem consistens, quæ definitio, ut dictum manet in probationibus conclusionis, nequit proprie, & vere convenient habitibus appetitus sensitivis;* cum iste non sit electivus , sed solum prosecutivus illius , quod voluntas elegit.

20 Arguitur ultimo: dantur veræ , & propriæ virtutes morales , ut suppositum manet in 1. Quæst. huius ; sed istæ non subjectantur in voluntate: ergo in appetitu sensitivo. Prob. min.: voluntas est ex se determinata ad bonum simpliciter; cum hoc sit objectum ejus : & quando esset indeterminata, sufficienter determinatur à iudicio rationis: vel se ipsam determinaret absque aliquo extrin-

se-

seco determinante, sicut est habitus; cum sit potentia libera: ergo nulla est necessitas ponendi in voluntate aliquem habitum ipsam determinantem ad suos actus: Hoc est præcipuum fundamentum Thomistarum; sed in primis probat contra ipsos, quod etiam virtutes *ad aliud*, uti est *justitia*, *misericordia* &c. non deberent subiectari in voluntate; cum ipsa ex se, vel à *judicio*, vel à sua libertate determinetur sufficiatér sine habitu.

21 Resp. tamen negando min. : ad cuius probationem, nego omnes partes ipsius. Ratio falsitatis primæ est ; quia licet voluntas ex se sit determinata ad bonum ; cum tamen hoc aliud sit honestum , aliud utile, & aliud delectabile , hinc est , quod ex se non est determinata ad bonum honestum, quamvis ex se possit se determinare; sed ad hoc potest pati aliquas difficultates , propter quas vincendas eger virtutibus moralibus. Ratio falsitatis 2. partis constat ex his , quæ à Nostratis abhenduntur in Animisticis contra Thomistas , scilicet, quod voluntas non determinatur ab ultimo iudicio practico intellectus. Unde probatio Thomistarum quoad hinc partem fundatur in supposito falso.

22 Falsitas tertia probationis sic ostenditur: certum ergo est, quod voluntas, qua libera est, le ipsam determinat; & quamvis sit indifferens ad prosecutionem, & non prosecutioni boni, ita ut posse utrumque divisim eligere sine habitu, non tamen aequa faciliter, & delectabiliter, ac cum habitu. Deinde quero a Thomistis: cur in appetitu sensitivo ponunt habitum virtuosum fortitudinis, & temperantiae; quia appetitus sensitivus est ex se necessario determinatus, tam passivé, quam active ad bonum apprehensum per sensum; ita ut non posset in aliud, nisi in tali bono sic per sensum apprehensum? Respondeant, & facilius respondebimus; quod quia voluntas libera est, & indifferens ad bonum honestum, utile, & delectabile eget virtutibus moralibus in se, ut se, ipsumque appetitum sensitivum delectabiliter, & faciliter moveat in bonum honestum. Hæc res multum habet de Animaistica.



QUÆST. IV.

*An virtutes Morales
sint per se in-
fusse?*

1 **N**otanter ponitur in titulo quæstionis, *ly per se;* qua quod virtutes morales possint alicui per accidens infundi à Deo, extra dubium est. Hoc enim pacto dicunt Theologi, omnes habitus scientiales, omnesque virtutes Christo Domino, ac etiam primo parenti in statu innocentiae fuisse infusas. Unde difficultas est de virtutibus per se infusis: hoc est, an ita virtutes morales pertant primo ita infundi à Deo, ut à nulla causa creata possint produci per actus, & exercitationes nostras,?

2 Circa quam difficultatem duplex est sententia. Prima Thomistarum assertum, præter virtutes morales acquisitas, admittendas esse virtutes morales per se infusas ordinis supernaturalis essentialiter diversas ab acquisitis pure mora-

libus. Sic, ut dixi, communis Thomistarum, & hanc sententiam aliqui ita certam tenent, ut contrariam judicent erroneam, contra definitionem Ecclesiæ, aut, ad minus, temerariam; sed quare ratione sic censurent? postea videbinus. Secunda sententia negat huiusmodi virtutes morales per se infusas, essentialiterque distinctas à moralibus acquisitis. Sic Subt. Doct. in 3. dist. 36. §. *quod si dicatur,* sub num. 28. Et cum eo omnes Scotiæ, plures ex Antiquis, & quampuckles Nominales. Cum quibus que sit

Nostra conclusio.

3 Præter habitus acquisitos virtutum moralium non dantur virtutes morales per se infusæ. Prob. 1. conclusio tum ex Script., tum ex Concil. Trid. ut videant contrarij, quam immetito nostram conclusionem censurent. Sac. Scriptura per sepe nos hortatur, ut apponamus laborem pro acquisitione virtutum moralium; sed hæc exhortatio frustranea esset, si tales virtutes essent per se infusæ: ergo non sunt. Maior probatur: tum ex illo Proverb. 6. cap. 16. ubi nobis præcipit pos-

posse sapientiam, & acquire prudentiam. Et Sapientia 8. si justitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes; sobrietatem enim, & prudentiam docet, ergo ex Sac. Scriptura tenemur acquirere virtutes morales infusas.

4 Confirmatur ex Conc. Trid. tum Sel. 6. ubi agens de justificatione impij nullam processus facit mentionem de virtutibus moralibus per se infusis, sed tantum de sola fide, spe, & charitate, vel gratia sanctificante. Et Sel. 3. Canon. 1. definiens, Adam in terrestri Paradyso per transgressionem praecepti solum amississe sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat; postea canon. ultimo definit, parvulis per baptismum solum remitti per gratiam reatum originalis culpe; nihilque de virtutibus moralibus infusis in eorum justificatione, dicit; sed hoc non pretermitteret, si virtutes morales essent per se infusae; ergo non sunt.

5 Prob. 2. conclusio ratione: nulla est necessitas ponendi virtutes morales infusas; ergo non dantur, regulariter loquendo. Consequentia constat; quia non sunt multiplicanda en-

tia sine necessitate. Prob. ant: si aliqua esset necessitas talium virtutum infusarum, vel proveniret ex excellentia objecti; aut ex excellentia actuum talium virtutum, vel excellentia finis supernaturalis, respectu cuius virtutes morales perficiunt hominem, & sunt media ad ipsius affectionem; sed ex nullo ex his capitibus sunt necessariae virtutes morales per se infusae: ergo &c. Prob. min. in primis non sunt necessariae tales virtutes infusae, nec ex excellentia objecti, nec actuum; quia tam objectum, quam actus, ut sunt eliciti ex inclinatione ipsarum virtutum, sunt quid naturales; unde in statu purae nature posset homo elicere actus perfectissimos virtutum naturalium; sed alias nec sunt necessariae propter excellentiam, finis ultimis; nec quia sunt media in ordine ad ipsum: ergo &c.

6 Prob. hæc min. virtutes morales, & earum actus sufficientes diriguntur in ordine ad finem supernaturalem per fidem etiam supernaturalem associatam prudentia, & per charitatem: ergo ab hoc non est necesse, quod tales virtutes sint per se infusæ. Prob. antec.: charitas per se immediate attingit Deum summum qonum, & ulti-

num finem supernaturalem
creaturæ , & etiam inclinat in
opera altarum virtutum , ut Deo
grata, & ut media ad ipsum con-
sequendum ; ita ut talia opera si-
no sint ex inclinatione chari-
tatis , & relata in ipsum per
eam , vel habitualiter , vel vir-
tualiter in communiori senten-
tia , non sint meritoria de con-
digno : ergo virtutes morales , &
earum &c.

Scripturæ , Conciliorum , aut
S. S. P. P. concludit necessita-
tem virtutum moralium per se
infussum : ergo. Min. quoad
1. partem constat ex dictis in
probatione secunda nostræ con-
clusionis. Quoad alias vero par-
tes constat partim ex 1. pro-
batione , & constabit amplius
ex solutione argumentorum.

Solvuntur argumenta.

7 Prob. 3. conclusio ad hominem
contra Thomistas: Thomistæ , ut
vidimus quæst. antec. , ponunt
virtutes morales , quæ sunt ad se ,
ut temperantiam , & fortitudi-
nem in appetitu sensitivo ; sed
hoc ipso tales virtutes non pos-
sunt esse per se infusæ : ergo non
sunt. Prob. min. : appetitus sen-
sitivus nequit esse subjectum ha-
bituum supernaturalium , qua-
les essent virtutes per se infusæ ;
quia appetitus sensitivus est ma-
terialis: ergo in ipso non possunt
poni virtutes morales , quæ sunt
ad se , per se infusæ .

8. Prob. tandem conclusio quasi negative: non sunt
admittendæ virtutes morales per
se infusæ , nisi earum necessita-
tem concludat vel ratio , vel au-
thoritas Sac. Scripturæ , aut Con-
ciliarum , aut S. S. P. P.; sed
nec ratio , nec authoritas Sac.

9. Arguitur 1. ex va-
rijs testimonij Sac. Scripturæ ,
in quibus communiter docetur ,
virtutes morales esse à Deo , do-
naque ipsius , sicut & ipsarum
actus ; sed hoc ipso sunt per
se infusæ : ergo sunt. Maior con-
stat , tum ex illo Psalm. 93.:
qui docet hominem scientiam. Tam
ex illo Sapientia 7. : *venerunt
mihi omnia bona pariter cum illa:*
Et Sapient. 8. *sobrietatem , & prudentiam docet , & justitiam , &
virtutem , id est , fortitudinem:*
*cognovi quod nemo posset esse con-
tinens , nisi tu dederis.* Et in Ca-
nonica Jacobi cap. 1. : *qui in-
diget sapientia , postulet à Deo.* Et
tandem ad Galatas cap. 4.: *qui
tribuit vobis spiritum , & opera-
tur virtutes in vobis:* ergo juxta
Sac. Script. virtutes morales
sunt dona Dei ; & consequen-
Bbbb ter

ter sunt per se infusæ.

10 Respondeo negando min. argumenti ; quia hæc, & similia loca Sac. Scripturæ, & etiam authoritates S. S. P. P. solum intendunt , quod virtutes morales , ut conducunt in vitam æternam , diei possunt dona Dei , sicut & ipsorum actus in vitam æternam conducentes ; quia ipse virtutes , ut sic conducentes , non acquiruntur , nisi per actus elicitos adjutorio gratiæ actualis , Deo gratuitò exigitante , & præveniente , atque adjuvante ; nec & virtutes jam acquisitæ quidquam valent in viram æternam sine dono prædicto gratiæ actualis ; sed ex hoc minime infertur , quod talia dona sunt per se infusa per modum habitus. Ponamus enim , quod quis habeat habitum charitatis infusum , & solum habeat habitum acquisitum temperantiae , & quod eliciat actum temperantiae ex imperio charitatis , eo quod proponatur per fidem , talem actum placere Deo ; talis actus utique conductit ad vitam æternam ; sed hoc habet ex habitu charitatis , non præcisè ex habitu temperantiae.

11 Deinde : ex eo , quod scientia , sapientia , so-

brietas , prudentia . justitia , virtus , seu fortitudo sint , & dicantur dona Dei , non recte infertur , quod præcisè qua virtutes , sint per se infusæ. Quod constat , tum ex illo Jacobi i. : *omne datum optimum , & omne donum perfectum defarsum est , descendens à Patre luminum* ; quod généraliter intelligitur etiam de douis naturalibus. Tum quia donum est Dei omne , quod confert ex gratia particularia ; sic pluvia v. g. concessa ob orationes Fidelium , donum Dei dicitur , & est ex gratia particulari collatum ; & tamen illa pluvia non dicitur supernaturalis in substantia : ergo quia non omne donum Dei est supernaturale quoad substantiam , nec virtus per se infusa.

12 Arguitur 2. in Clementina unic. *de summa Trinitate* recepta à Clemente V. & toto Concil. Viennensi ; approbata fuit sententia asserta , quod Parvulus in baptismo non solum remittitur culpa , sed & gratia , & virtutes infunduntur : ergo quia censuit ut probabiliorem sententiam assertentem , virtutes morales infundi. Respondeo concess. antec. negando conseq. Clementia ergo illa solum de-

terminat, ut probabiliorem sententiam asserentem, aliquas virtutes infundi parvulis in baptismo, contra oppositionem asserentem, nullas infundi; non vero determinat, quae, vel quot infundantur. Unde ad salvandam, ut probabiliorem, prefatam sententiam sufficit, quod infundantur Theologicae, de quibus foliis Concilium locutum fuit.

13. Replicabis tamen, Concil. Vienn. locutum fuit de illis virtutibus, de quibus Concil. Lateran. sub Innoc. III. cap. *maiores de baptismo* erat controversia; sed controversia tempore Innoc. III. erat non solum de virtutibus moralibus, sed etiam de Theologicis: ergo &c. Prob. min.: ex verbis ipsius Innocent. ubi ait: *illud vero, quod opponentes inducunt, fidem, aut charitatem, aliasque virtutes parvulis, ut pote non consentientibus non infundi, à plerisque non conceditur absolute; cum propter hoc inter D. D. Theologos quaestio referatur; sed ly per alias virtutes debent intelligi virtutes morales; cum praeter fidem, & charitatem, ex theologicis non sit nisi spes: ergo &c.*

14. Respondeo, neg.

mia; nam tempore Innocentij erat controversia de infusione gratiae, fidei, & charitatis. Negabant quidam hæretici (quod postea renovarunt Anabaptistae) Parvulis infundi per baptismum, gratiam sanctificantem quoad habitum, fidem, & charitatem & hoc de omni habitu negabant. Unde bene referens eorum opinionem, ait Innocentius in numerō plorali, *aliasque virtutes*; quia negantes virtutes theologicas infundi, ex consequenti negabant, & virtutes morales non fundi. Sed non quia hoc ultimum negabant, hæretici erant; cum circa hoc sint opiniones probales adhuc inter ipsos met Theologos. Quare tam Lateranense, quam Vienn. abstrahunt ab hac difficultate: an ictilicet, virtutes morales per se infundantur Parvulis in baptismo? Et solum determinat, quod ipsis ultra remissionem culpæ, dentur virtutes theologicae, fides, spes, & charitas, & hoc ut probabilius, nihil curando de virtutibus moralibus; cum quo etiam conformatur Concilium Trident. cit. pro nostra conclus. num. 4. huius.

15. Replicabis adhuc: Cathechismus Romanus post definitionem Concilij Vienn. part. 2. cap. 2. §. 1., numerans Bbbb2 ef-

effectus baptismi sic ait: *buic additur nobilissimus omnium virtutum committatus, quæ cum gratia divinitus infunduntur;* sed inter committatum omnium virtutum ingrediuntur virtutes morales: ergo. Resp. 1. quod in Catechismis non solum ponuntur, quæ sunt de fide, sed cum his solent proponi consolto nonnulla, quæ sunt mere probabilia. Resp. 2. quod per nobilissimum committatum virtutum exprimitur committatus virtutum theologicarum, qui sine dubio est nobilissimus, & excellentissimus, excedens committatum virtutum moralium,

16 Arguitur 3.: virtutes morales habent perficere hominem in ordine naturali, prout natura est operari secundum rationem naturalem: & in ordine supernaturali, prout elevatum ad ipsum per gratiam; sed virtutes morales acquisitæ nequeunt perficere hominem prout elevatum ad ordinem supernaturalem: ergo quia ultra virtutes acquisitas perficientes hominem secundum esse naturale, requiruntur aliae insuffitæ perficientes hominem elevatum ad ordinem supernaturalem. Prob. min.: virtus acquisita temperantia v. g. non tendit in honestatem temperantia prout

hæc conduceat ad vitam æternam: ergo ut sit virtus temperantia sic conducens in vitam æternam, ultra temperantiam acquisitam est necesse ponere aliam temperantiam insuffitam.

17 Respondeo, omissa mai. disting. min.; sed virtutes morales acquisitæ per se precise non possunt perficere hominem, ut elevatum ad ordinem supernaturalem, conc. mia.: virtutes morales associate auxilio supernaturali gratia, & per illud elevaret, atque directæ per fidem, & ut subsunt imperio charitatis imperantis actus ipsorum, non possunt &c., nego min., & conseq.: eadem distinct. disting. autem probationis, & negatur conseq. In virtutibus moralibus perficientibus hominem in ordine ad fidem supernaturalem repetitur proportio cum charitate, quam proportionem habent per ipsam honestatem propriam singularum virtutum ratione conformitatis cum recta ratione.

18 Unde hæc honestas elevata per auxilium supernaturale gratia, & directa à fide supernaturali, & imperata à charitate, quia placet Deo, elevaret hominem in fidem supernaturalem, & in vitam æternam; quod ut clarius fiat, supponamus,

mus, quod Deus de potentia absoluta infunderet alicui **virtutes** theologicas, & non morales; hic homo in tali casu posset elicere actus virtutum moralium, hoc est, temperate vivere, jus suum unicuique servare &c. ob honestatem talium actuum, & quia Deo placentes, & grati; sed tales actus sic eliciti auxilio gratiae actualis, directi dictamine fidei, & imperari a charitate conducerent ad vitam æternam; quia nihil ipsis deficeret, & meritorij forent: ergo quia ut actus virtutum moralium acquisitatum coducant in vitam æternam, eleventque hominem ad ordinem supernaturalem, non egeat virtute morali infusa, sed sufficit, ut sint eliciti ex gratia actuali, dictamine fidei, & imperio charitatis.

19 Arguitur 4.: homo in ordine supernaturali elevatus debet esse non minus perfectus in operando, quam est in ordine naturæ alias gratia deficeret in necessarijs; sed homo in ordine naturali est perfectus in operando in ordine ad media per virtutes morales acquisitas: ergo in ordine supernaturali debet esse perfectus, ne cum per virtutes theologicas in ordine ad finem, sed etiam in ordine ad media per virtutes morales infusas, & su-

pernaturales. Respondeo concedo præmissis, negando conseq., quæ non infertur ex præmissis; quæ enim sequitur, est: ergo homo in ordine supernaturali constitutus debet perfici, non solum in ordine ad finem ultimum, sed etiam in ordine ad media.

20 Quod verò hæc perfectio in ordine ad media necessario beat fieri per virtutes morales infusas, non sequitur ex præmissis; quia supposita naturali perfectione completa hominis in ordine ad finem naturalem per potentias, & virtutes ordinis naturalis, homo sufficenter, & complete perficitur in ordine ad finem ultimum supernaturalem, & ad media in Adultis necessaria per virtutes theologicas infusas, & per adjutoria gratiae actualis supernaturalis, quibus elevantur potentia intellectuales, & virtutes ordinis naturalis, ut possint in statu elevationis talia media pertingere necessaria ad finem ultimum supernaturalem, ad quæ erant insufficientes in statu pure naturali, & sine predicta elevatione.

21 Arguitur 5.: ideo ponimus virtutes theologicas infusas; quia sine ipsis actus naturales fidei, spei, & charitatis

tis essent improportionati prae-
mio supernaturali gratiæ, & gloriæ; sed eadem impropositio reperitur in actibus virtutum moralium sine habitu virtutis moralis infuso: ergo dantur virtutes morales per se infusæ. Resp. primò omissendo mai. ; quia si Deus vellet per solum auxilium gratiæ actualis sine ullo habitu theologico, sufficenter possunt actus eorum virtutum proportionari, cum proœmio supernaturali. Quapropter, ut diximus in suis proprijs locis, potius ex locis Sac. Scripturæ, Sacrorumque Conciliorum, quam ratione naturali convicti, admittimus virtutes theologicas infusas.

22 Respondeo 2., quod est magna disparitas inter virtutes theologicas, & morales; quia illæ immediate versantur circa Deum, quem habent pro objecto suo, & quidem supernaturali in ordine gratiæ, & gloriæ, circa quod oportet conformiter operari, quantum licet pro statu isto. Deinde virtutes theologica cum suis actibus sunt media immediata, & proxima ad finem supernaturalem consequendum. Quare congruum est, ut & ipse sint supernaturales, & infusæ, ut possint dare potentissimis operati simpliciter supernaturaliter. Quæ omnia non haben-

tur in virtutibus moralibus per se, & sic non est pariformiter discordum de illis, ac de illis.

23 Arguitur ultimo: si virtutes morales per se infusæ non darentur, parvuli in Patria non haberent virtutes morales; sed hoc nequit dici: ergo. Major constat; quia non habent in Patria, nisi virtutes, quas habuerunt in via; & in via non habuerunt virtutes acquisitas. Responderi potest 1. cum Doct. cit., negando min. ; quia prædictæ virtutes non sunt necessariae Parvulis in Patria, sed sufficit, quod bene disponantur per charitatem perfectissimam cito omnia appetibilia: sicut non est necesse, quod habeant scientiam omnium rerum in genere proprio, sed sufficit, quod eam habeant perfectam in verbo.

24 Respondeo 2. negando mai. cum ejus probatione: quia si tales virtutes morales videntur necessariae Parvulis in Patria, quia pertinent ad aliquam perfectiōnem comprehenditoris potest dici, vel quod infundantur Parvulis in instanti beatitudinis; vel quod illas acquirant per actus suos frequentatos in Patria; sicut enim non appetet ratio, quare non poterunt addiscere aliqua sci-

scibilia in genere proprio , quę primitus non noverunt ; ita non appetet ratio , quare non poterunt ex bonis electionibus circa appetibilia ad finem , non tantum ut sunt volenda propter Deum in se , sed ut volenda in quantum commoda sibi , acquirere unum sibi habitum inclinantem ad electionem talium appetibilium sub propria ratione , & consequenter acquirere virtutes morales .

ratē , seu moderatē , quod adscribitur temperantia . Unde cum hi modi operādi regulariter reperiantur in quolibet actu virtuoso , hinc videtur quod quilibet actus debet participare rationes quatuor virtutum . Difficultas præsens est , quanta debeat esse hæc connexio virtutum moralium tam inter se ad invicem , quam cum virtutibus theologici & ultra , cum virtute intellectuali prudentię ; an scilicet , virtutes morales appetitivæ sint ita connexæ cum prudentia virtute intellectuali , ut sine ista illæ esse non possint , nec ista sine illis ? Omnes hæc difficultates sunt resolvendæ in præsenti per varias conclusiones . Sed ante resolutionem

QUÆST. V.

Quomodo virtutes morales sint connexæ tam inter se , quam cum theologicis : & etiam cum prudentia ?

I **V**irtutes morales esse inter se aliquomodo connexas , supponit titulus quæstionis quoad 1. part. ; & merito ; quia qui virtuosé operatur , debet operari discretē , quod habet per prudentiam : recte quod convenit justitię : fortiter , quod tribuitur fortitudini : & tempe-

2 **N**ota 1. , nonnullas virtutes esse communes omni generi hominum , ac conditioni , ut recte vivant secundum rectam rationem . Tales sunt quatuor virtutes morales ; prudentia , fortitudo , justitia , & temperantia . Aliæ verò sunt , quæ sunt peculiares alicui statui , ac conditioni hominum , ut sunt virtutes peculiares Religiosorum , scilicet , castitas , paupertas , & obedientia : & virtutes Principum , ut liberalitas , magnificentia , justitia vindicativa &c. Præsens quæstio non est de virtutibus posterioris generis ; quia qui habet

bet aliquam virtutem moralem, non propter ea debet habere peculiares virtutes Religiosi, aut Principis; sed de virtutibus convenientibus omni statui hominum.

3. Nota 2., quod in triplici gradu possunt considerari virtutes morales: primo in gradu continentia, qui ab aliquibus vocatur *incipientium*, & est, cum adhuc sunt perturbationes animæ vehementes, illis tamen resistimus, licet cum magna difficultate. Secundo possunt considerari in gradu temperantia, hoc est, *proficientium*, & est, cum passiones paulo sunt mitiores, imo ferè sedatae; quemque gradum obtinent, qui in mundo censemur virtute prædicti. Tertio tandem possunt considerari in gradu heroico, & est, cum iam passiones ita sunt cohibitæ, & refrenatæ, ut raro, aut vix repugnet rationi, & hic vocatur status perfectorum. His notatis.

4. Controversia præsens non est de virtute primo, vel ultimo modo cōsiderata; quia certum est, quod cum virtute aliqua in gradu imperfecto non sunt necessario connexæ reliquæ virtutes; multi enim se exercent in materia quarundam virtutum, &

non aliarum: siveque aliquos sibi habitus comparant sine alijs; nec est de virtute in gradu summo, & heroico possibili haberī (si possibilis est in hac vita, de quo duq̄nt A. A.) ; nam admissa virtute in hoc gradu, requirit societatem aliarum; nam cum in eo gradu postulent omnem excellentiam, quam in suo genere habere potest: & omnes virtutes mutuum sibi præsent auxilium, & aliae alijs perfectionem adjungant, hinc est, ut virtutes in tali gradu sibi iuvicem cohærent. Unde controversia solum manet de virtutibus moralibus habitualibus secundo modo consideratis. Sed

5. Nota ultimo, quod virtus potest considerari vel secundum intrinsecam perfectionem desumptam ex suo proprio objecto specificativo; vel secundum perfectionem extrinsecam, aut accidentalem, quatenus in consortio aliarum virtutum integrat perfectionem hominis, qui omnibus roboratus virtutibus sentit leviora impedimenta ad eliciendos actus singularum: & sic efficacius, & expeditius eos exercet. Sit exemplum: sit mulier perfectè casta, sed non fortis, & nec justa, nec liberalis, sed avara, & difficilis conservaret castitatem, ac si esset for-

fortis, justa, liberalis, & reliquis ornata virtutibus. Non quærimus de virtutibus secundum hanc extrinsecam perfectionem in ordine ad hominem integrè perficiendum, & bonum, ac virtuosum simpliciter constitutendum; sed agimus de virtutibus in statu perfecto secundum intrinsecam perfectionē desumptam ex proprio objecto. His notatis, præsentem difficultatem per varias conclusiones resolvam. Sit ergo.

raliter, supposito, quod ante justificationem nullos habuerit habitus virtutum moralium: ergo nullum est signum, quod cum virtutibus theologicis infusis in justificatione sint connexæ morales.

7. Prob. 2. conclusio ex damnatione propositionis Bajanæ, quæ dicebat: *omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia:* Ex qua damnatione sequitur, quod juxta mentem Ecclesiæ, aliqua opera infideliū sunt bona, & non mala, & consequenter veræ virtutes, licet non prout oportet ad salutem; sed infideles non habent virtutes theologicas: ergo possunt haberi virtutes morales sine Theologicas. Confirmatur ex August. Serm. de patientia, & referuntur dist. 3. de pœnitentia. can. si quis, ubi concedit, quod hereticus, aut schismaticus potest habere patientiam laudabilem, quin habeat charitatem, sed patientia est virtus moralis: ergo potest esse sine theologica charitatis.

Prima conclusio.

6. Virtutes morales non sunt connexæ necessariæ, adhuc in statu perfecto, cum virtutibus theologicis. Est satis communis cum N. Doct. in 3. dist. 36. §. de 3. articulo. Prob. primo ex Conc. Trid. Ses. 6. ubi ait, quod homo in justificatione accipiat fidem, spem, & charitatem; sed in justificatione non acquisit virtutes morales, nec ipsi infundontur, ut probatum manet quæst. antec.: ergo quia istæ non sunt connexæ cum illis. Min. quoad 1. part. constat; tum, quia Concilium non facit mentionem de moralibus. Tum, quia justificatus non facit maiorem facilitatem ad operandum mo-

raliter, supposito, quod ante justificationem nullos habuerit habitus virtutum moralium: ergo nullum est signum, quod cum virtutibus theologicis infusis in justificatione sint connexæ morales.

tales actus acquireretur habitus perfectus virtutis moralis temperantiae; cum habitus generetur ex repetitione actuum: ergo potest dari habitus virtutis moralis perfectus sine virtutibus theologicis. Prob. mai. : potest dari aliquis actus virtutis moralis temperantiae, qui tendat in ejus objectum, cum debitis circumstantijs per se requisitis ad honestatem talis actus, quin operans habeat virtutes theologicas; alias omnia opera infidelium essent peccata, contra dicta; sed si potest dari aliquis actus virtutis sic circumstantionatus, sine virtutibus theologici, possunt & repeti alij plures; cum non sit maior ratio uno, quam de alio: ergo &c.

9 Dices r. contra istam conclusionem: virtus moralis non potest exerceri laudabiliter sine fide; sed fides est virtus theologica: ergo virtutes morales, ad minus, non possunt esse sine fide theologica. Maior confat ex illo ad Roman. 14. omne enim, quod non est ex fide peccatum est. Confirmatur ex Mag. Par. Aug. Lib. 4, contra Julianum cap. 3. ubi alijisque in locis docet, virtutes infidelium nullas esse veras virtutes: immo iniustas, & superbas esse virtutes; & ideo non virtutes, sed

vitia esse judicanda, si non propter aliud expertantur, sed referantur ad se ipsas: ergo juxta Magnum Par. August. virtutes morales in se nullae sunt, nisi ulterius ordinentur per connexionem cum virtutibus theologicis.

10 Resp. 1. ad argumentum, neg. mai, ad cuius probationem dico, quod juxta communem P. P. & expositorum, ly. *Quod non est ex fide,* intelligendum est, pro illo, quod est contra dictamen conscientiarum; unde ly. *non* sumitur mere negative, sed etiam contrarie. Resp. 2. disting. mai. : virtus moralis non potest exerceri laudabiliter sine fide prout s'opertet, & proxime conduct ad vitam aeternam, conc. mai: non potest laudabiliter exerceri in genere moralis, nego mai. Unde etiam opera infidelium, ut diximus, si honesto fine, & objecto bono circumstantionentur, sunt suo modo bona, & honesta. Ex quo.

11 Respondeo ad confirm. quod quamvis Mag. Par. August. alijque S. S. P. P. negant, virtutes sine charitate esse veras virtutes; solum intendunt, quod sunt virtutes iustificatores, & steriles non conducentes ad vitam eternam, qua ratione Apost.

1. ad Corinth. cap. 13. etiam dicit: opera bona sine charitate nihil prodesse, imo nec ipsam fidem. Nec virtutes secundum se possunt esse inflatae, & superbae; nam quæ superbia potest esse in eo, qui se humiliat, & temperatè vivit, eo, quod putet, id honestum, & decens esse? Possunt certe dici superbae, & inflatae occasionaliter, in quantum qui sic præcise operatur potest superbire, ac vanagloriari, ut plerumque fecerunt Philosophi Gentiles.

Secunda conclusio.

12. Virtutes morales adhuc in statu perfecto non sunt inter se necessario connexæ. Hęc conclusio est contra communem Thomistarum, & Jesuit. Est tamen N. Subt. Doct. in 3. dist. 36. sub num. 8. ubi ait: *virtutes morales, nec secundum genera, quæ communiter assignantur, justitia, fortitudo, & temperantia; nec secundum illa generaliora, quæ prius assignavit, sunt necessario connexæ: quia una virtus est aliqua perfectio hominis, sed non totalis; sufficeret enim tunc una virtus moralis &c.* Hęc Subt. Doct., in quibus habetur & ratio probativa conclusionis, Sed

13. Prob. I. conclusio author: S. S. P. P.: Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos, reffrens opinionem Philosophorum, qui censebant, virtutes ita connexas esse, ut non possit haberri una sine alijs, respondet: *ignoras, hanc esse Philosophorum sententiam?* Sed non Apostolorum. Neque enim mihi curæ est, quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat. Magnus Par. Aug. Epist. 29. dicta ad Hieron. ait: *non enim & ista divina sententia est, qua dicitur: qui unam virtutem habuerit, omnes habet: sed hominibus hoc visum est, multum quidem ingeniosis, studiosis, sed tamen hominibus, qui falli possunt.*

14. Et paulo post prosequitur idem Sanctus Doct. „Unde pudicitia conjugalis in „viris, foeminisque religiosis, cū „proculdubio virtus sit, non „enim nihil, aut vitium, non „tamen secum omnes habet vi- „tates. Et postea subiungit: *sic potest dici habere aliam, & aliam non habere. aliam magis, aliam minus habere virtutem.* Et concludit: *in ipso uno homine, quod maiorem habuit pudicitiam, quam pacientiam, & maiorem hodie, quam heri: & adhuc non habeat continentiam, & habeat non parvam misericordiam: ergo juxta hos s. S. P. P. virtutes non sunt necessario inter se connexæ.*

15 Prob. 2. conclusio ratione deducta ex Subi. Dect.: possunt haberi actus veri , & perfecti unius virtutis moralis, v. g. justitiae, absque aliis aliarum : ergo potest acquiri habitus justitiae, & ex repetitione actū talis virtutis perfici talis habitus, sine acquisitione habitus temperantiae. Antec. constat ; nam potest quis velle reddere unicuique, quod suum est ; quamvis immoderate vivat erga potum , & cibum : immo potest odire retentionem alieni ex motivo honestatis justitiae , & intemperate vivere erga voluptates cibi, & potus , erga vanarea, & honores ergo possunt haberi actus veri, & perfecti unius virtutis moralis ex motivo honestatis : alia virtutis, quin habeantur actus aliarum virtutum. Prob. 1. conseq.: habitus uirtutum acquiruntur per actus proprios circa objecta cuiuslibet virtutis : ergo per actus versantes circa honestatem justitiae non acquiritur habitus circa honestatem temperantiae.

16 Confirmatur 1. hæc ratio ; duas virtutes specie differentes sub eodem genere, v. g. castitas conjugalis, & virginitas, debent magis connecti, quam duas virtutes diversorum generum, ut justitia & temperantia ; sed virtutes sola specie differentes

non sic connectantur ; quin immo una potest acquiri sine alia in gradu intensi ; nam Beata Anna v. g. fuit castissima , & non fuit virgo: ergo nec virtutes morales diversorum generum sunt ita connexæ , ut &c. Confirmatur 2. ex maiori inclinacione , & facilitate , quam experimur ad unam præ alia virtute, v. g. ad justitiam præ temperantia ; ad humilitatem præ castitate : ergo quia haec virtutes non sunt connexæ .

17 Prob. 3. conclusio si virtutes morales essent necessario inter se connexæ , quilibet virtus esset alij ratio essendi virtutem; sed hoc est falsum: ergo &c. Prob. mai. : si habitus temperantiae non est virtus , nisi quia eam concommitatur fortitudo, fortitudo in quantum concommitans temperantiam est habitui temperantie ratio essendi virtutem, & è converso: temperantia ut concommitans fortitudinem erit fortitudini ratio essendi virtutem : ergo quilibet erit alteri ratio essendi virtutem.

18 Confirmatur: unus actus unius virtutis esset tunc ratio , cur omnes aliæ essent vietutes; sed hoc nequit dici: ergo &c. Prob. mai. : ponamus, quod

quod quis habeat fortitudinem, & temperantiam ut octo, qui est gradus, qui requiritur adesse virtutis perfectæ: & quod solum habeat temperantiam ut septem; hic, juxta contrarios, non habebit virtutes justitiae, & fortitudinis in gradu perfecto, quia in tali gradu non habet temperantiam. Hoc supposito, eliciat iste homo actum temperantiae ut unum, quo augeatur temperantia ut octo: tunc per talem actum virtutes justitiae, & fortitudinis incipient esse virtutes in statu perfecto: ergo tunc actus unius virtutis generabit omnes virtutes morales in esse virtutis perfectæ, quod est inconveniens.

virtutum atque alteram p̄dere ab altera: Div. Hieronymi in cap. 16.
Itaç, cōparat hominē virtuosū Cytharæ, cui si una virtutum corda defuerit, non poterit melos dulce resonare: ergo juxta S. S. P. P. virtutes morales sunt inter se connexæ. Respondent aliqui, quod S. S. P. P. loquuntur non ex mente propria, sed Philosophorum, ut jam diximus in probatione prima conclusionis adducta ex Div. Hieronymo, & Augusto.

20 *du Resp. 2.* quod dum ita loquuntur de virtutibus S. S. P. P., loquuntur de ipsis, ut natæ sunt fructificare in vitam æternam, seu ut inclinant in actus meritorios; nam prout sic debent esse inter se connexæ, & cum charitate; nam qui est temperans v. g., si tamen injustus fuerit, aut avarus, actus temperantiae istius non fructificabit in vitam æternam; quia talis virtus non connectitat cum charitate. Hæc exposito, & explicatio deducitur ex Div. Gregorio lib. 22. Moralium, quem contra nos objiciunt contrarij. Ait enī: hoc sciendum est; quia quisquis virtute aliqua polleto creditur, tunc veraciter pollet, cum yitijs ex alia parte non

Solvuntur argumenta
contra istam conclu-
sionem.

19 Arguitur 1. ex varijs authorit. S. S. P. P.: primo ex Div. Ambros. lib. 5. in Lucam cap. de Serm. Jesu ubi ait: *connexæ igitur sunt, & conatenate virtutes, ut qui unam habeat, plures habere videatur.* Div. Bernard. lib. 1. de consideratione cap. 8.: *esse suavissimum quemdam conceptum, complexumque*

non subjacet. Hoc idem docet Div. Aug. Epist. 29. super illud Jacobi in sua canonica cap. 2. *quicumque enim totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Non autem loquuntur P. P. de virtutibus secundum suam propriam, & specificam perfectionem.

21. Arguitur 2.: non est perfecta virtus, quæ potest faciliter deviare a rectitudine circa suum objectum; sed una virtus sine alijs potest sic faciliter deviare: ergo una virtus sine alia non est perfecta virtus. Major est Div. Augustini in Sermoni. de operibus misericordiæ, ubi sic ait: *charitas, quæ deserit potest, numquam fuit vera.* Minor patet exemplo mulieris castæ, avaræ, vel timidæ, cuius castitas faciliter exponetur violationi ob defectum aliarum virtutum, scilicet, liberalitatis, & fortitudinis, & ob cupiditatem pecuniaæ, vel timorem imminentis damni. Ut hoc argumentum solvatur, præ oculis habenda sunt, quæ diximus num. 5. notabili ultimæ huius. Ex quo

22. Resp. omissa mai. disting. min.; sed unica virtus moralis sine alijs deviare potest ab extrinsecō, & ratione tenta-

tionum contra alias virtutes, conc. mis. : ab *intrinsecō*, & ratione sui, nego min. Et conseq. hæc eadem distinctio applicati debet exemplo adducto in probatione. Itaque dupliciter una virtus potest dependere ab alijs: primo *intrinsecè*, ita ut una sine alianō possit perfecte operari circa suum objectum ex sua ratione intrinseca, formalī, & faciliter removeri ab ipso; quo sensu negamus mutuam dependentiam, & connexionem unius virtutis cum alia; nam prout sic, una non attingit objectum alterius.

23. Secundo *extrinsecō*, in quantum una virtus in confortio aliarum integrat perfectionem hominis, ut careat omni vitio; & in omni materia, & occasione inclinetur ad bonum, & cum maiori efficacia, minoribusque impedimentis eliciat actus virtuosos. Sic mulier perfecte casta, justa, & fortis, carensque omni vitio, facilius, perfectiusque servabit castitatem; quia per has alias virtutes munitur contra tentationes timiditatis, avaritiae, & injustitiae, quibus trahi posset ad impudicitiam. Hoc ergo sensu fateor, connexas esse virtutes, & ad invicem dependere in aliis suis. Sed hæc dependentia est mere extrinsec-

ca, & non intrinseca singulis; & sic licet ab extrinseco, non tamen ab intrinseco, & necessario sunt inter se connexæ virtutes morales, adhuc in gradu perfecto. Notate bene hanc doctrinam.

24 Arguitur 3.: et si una virtus sine alia possit elicer suum actum, non tamen faciliter, & delectabiliter; sed hoc ipso una virtus non potest haberi in statu perfecto sine alia: ergo &c. Prob. mai.: adhuc cum tali virtute sine praesidio aliarum sentire difficultatem: ergo non delectabiliter, & faciliter eliceret suum actum. Resp. disting. mai. et si una virtus &c. hoc proveniente per accidens, & ratione tentationis impellentis in contrarium, conc. mai.: hoc proveniente per se, & ex parte virtutis, nego mai., min. & conseq. Itaque contrarietas tentationis non destruit perfectionem intrinsecam temperantiae v.g. erga suum proprium objectum. Unde praesidium alterius virtutis, fortitudinis v. g. venit ex temptatione, ut contemnat minas, quibus aliquis urgetur ad edendum, & bibendum immoderatè. Vide dicta argumento antec.

25 Arguitur 4.: perfecta virtus debet perficere hominem ad perfectum statum; sed

una virtus sine alia hoc non efficit: ergo. Prob. min.: homo, et si temperans, si tamen non foret justus, fortis &c. non est perfectus: ergo. Resp. disting. mai: virtus perfecta debet perficere hominem in determinata linea, conc. mai.: absolute, & simpliter, nego mai., & inversis terminis disting. min., & neg. conseq. Itaque, una virtus, v. g. temperantia per se non debet reddere hominem, nisi perfecte temperatum; non autem perfectum in omni genere virtutum; sicut una scientia, medicina v.g. reddit M. dicum perfectum, si possidet hanc facultatem in gradu perfecto; non vero Mathematicum.

Tertia conclusio.

26 Virtutes morales appetitivæ sunt necessario connexæ cum prudentia. Hæ conclusio est communis apud omnes. Prob. que ex definitione virtutis tradita à Philosopho ex qua sic efficitur ratio: de essentia virtutis moralis est, ut inclinet in bonum honestum iuxta dictamen rectæ rationis; sed hoc dictamen de bono honesto, & de malo spectat ad prudentiam, dictantem in particulari de omni-

nibus, quæ actui debentur, ut sit rectus rectitudine moralis: ergo nulla virtus moralis acquireti potest sine prudentia; & consequenter &c. An vero hæc prudentia sit unica pro omnibus virtutibus appetitivis? dicitur postea, dum de prudentia in particulari agamus. Nunc vero fit.

in Tract. de actibus humanis, ubi docetur, voluntatem non determinari in actibus suis ab ultimo judicio practico intellectus, ita ut non possit illud non sequi; nam in hoc præcipue stat ratio libertatis: ergo potest haberi perfecta prudentia absque ullo actu virtutis moralis appetitivæ.

Quarta, & ultima conclusio.

27 Prudentia non est necessario connexa cum virtutibus appetitivis; ita ut hæc non possit haberi sine illis. Est nostri Subt. Doct. persæpe citati sub num. 14. Prob. ratione: potest haberi perfecta prudentia, sive quoad actum, sive quoad habitum, absque ullo actu virtutis appetitivæ: ergo quia prudentia non connectitur necessario cum virtutibus appetitivis. Conseq. constat; quia si actus prudentiae possunt esse sine actibus virtutum appetitivarum, super tales actus acquiretur, & augebitur habitus prudentiae, quin augeatur, & acquiratur habitus aliarum virtutum. Prob. antec.: tum ex his, quæ docentur à nostris in Animistica de libertate voluntatis, & etiam

28 Confimatur: quovis dictamine recto prudentia istante circa temperantiam v. g. potest homo vivere intemperatè: & sic retento habitu prudentiae etiam in particulari potest amitti habitus temperantiae: ergo tales habitus sunt separabiles, & non necessario connessi. Prob. antec. ex illo famoso axiomate: video meliora, proboque, deteriora sequor: ergo cum quovis dictamine recto prudentiae &c.

29 Dices r. contra hoc: Philol. 6. Ethic. cap. 16. ait: impossibile est, prudentem esse quempiam, nisi sit bonus: conjugata est prudentia virtuti moris: nec fieri potest, ut idem simul sit prudens, & incontinentis: ergo prudentia non potest esse sine alijs virtutibus appetitivis. Rep., Philosophum ly impossibile non summere in rigo-

gore sermonis, sed prout coincidit cum *ly difficile*; quia qui prudens est, & scit bonum, quod faciendum est, atque præceptum; & malum, quod veritum est, & punitur regulariter, attrahit voluntatem ad bonum, & retrahit à malo, ita ut sine magna depravatione, aut malitia non possit non se conformare in prudenter estimatione tali dictaminis; sed absolute loquendo hoc posset facere pro sua libertate.

30 Dicces 2. : qui non eligit id, quod dictatum est ab intellectu, sed contrarium, talis eligit non intellectum; sed nemo potest velle, & eligere id, quod non est prius intellectum; quia nihil volitum, quin *præcognitum*: ergo nemo potest eligere contrarium illi, quod ab intellectu dictatum est: ergo stante recto dictamine in intellectu, debet sequi conformis electio ex parte voluntatis; & consequenter virtus voluntatis connectitur cum prudenter. Prob. mai. intellectus non potest simul dictere, esse temperate bibendum: & non esse temperate bibendum: ergo si dictat, esse temperate bibendum; & voluntas eligit oppositum, hoc est, non temperate bibere, iam eligit non intellectu-

tum, nec dictatum ab intellectu.
31 Resp. negando mai.; quia potest aliquid esse intellectum, estò non sit dictatum ab intellectu. Unde, quando intellectus dictat v. g. esse temperate bibendum, licet simul non dictere, esse intemperate bibendum; id tamen intelligit; & sic, quamvis nullus possit velle non intellectum; potest tamen velle non dictatum; imò potest intellectus ob diversos fines, & motiva, uno, & eodem tempore utrumque proponere, scilicet, esse temperate bibendum; quia simpliciter bonum: & non esse temperate bibendum; quia delectabile appetitui gustus; & tunc voluntas potest eligere quod voluerit.

32 Dices 3. & est replica: voluntas non eligit male, nisi intellectus male dicte: ergo stante dictamine recto recto prudentia, necessario sequitur actus virtuosus; & consequenter. &c. Prob. antec. : voluntas peccat, quia intellectus est ignorans: quare dicitur: *omnis peccans est ignorans*: ergo &c. Resp. negando antec., & antec. probationis, cuius probatio imbibita sic explicari valet: omnis peccans est ignorans *ignorantia late sumpta*, pro deviatione à recto, & bono, conc. : *ignorantia propriè sumpta, speculativa*, & dico.

distativus ex parte intellectus, nego. Res hæc est prorsus animistica: Quare ab ea merito super sedemus. Alia de virtutibus

ut sic, ut de earum objecto, & fine, dicentur Disp. sequent. agendo de virtutibus in particulari. Quare sit

D I S P. II.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS IN PARTICULARI.

Dictum manet quæst. I. huius tractatus, quod virtutes Cardinales sic dicuntur; quia sunt quasi cardines, & capita cæterarum virtutum moralium, perficiunt, & rectificant naturam rationalem, qua rationalis est, ut recte vivat, ac vitam honestam agat. De numero istarum querere solent A. A. Quare & nos breviter hoc exequemur. Sic ergo.

QUÆST. I.

Quot sint virtutes Cardinales?

I R Esondeo, quod virtutes Cardinales sunt tantum quatuor, scilicet, prudentia, justitia, fortitudo, & temperantia. Hæc resolutio in

re est communis omnium Theologerum; sed in ea suadenda non omnes inter se satis convenient. Prob. ergo ex N. Doct. in 3. dist. 34. quæst. unic. sub num. 7. ubi postquam docet, viatorem sufficienter perfici circa Deum tribus virtutibus theologicis, subjungit: *circa creaturam vero intellectus perfectissime perficitur per prudentiam, si prudentia sit perfectissima: ipsa enim est de omni agibili, & quantum ad omnem conditionem agibilis perfectissima notitia. Simili-* ter

quantum ad appetitum perfectissime perficitur tribus virtutibus moralibus, si sint perfectissimæ; quia tam circa aliud; & appetibile alteri, quam circa se, & appetibile sibi; & hoc vel primo, & directe, vel secundario propter illa prima. Hæc Doct.

2 Ex quibus sic formatur ratio pro conclusione: virtutes Cardinales sunt ad perficiendam creaturam rationalem, in quantum nata est agere secundum rectam rationem in ordine naturæ, & abstrahendo ab ordine gratiæ; sed tales virtutes sunt quatuor assignatae: ergo &c. Major est certa. Prob. min. natura rationalis, ut recte vivat, debet perfici secundum intellectum, & secundum appetitum; sed secundum intellectum, ut recte vivat in ordine naturæ, sufficienter perficitur per prudentiam: & secundum appetitum non perficitur sufficienter, nisi per justitiam, fortitudinem, & temperantiam: ergo &c. Min. quoad 1. part. est certa; quia prudentia est habitus intellectualis prædictus circa omnia agibilia, secundum omnes conditio-nes, & circumstantias, ut quæ sequenti videbimus.

3 Prob. eadem minor quoad 2. part.: appetitus natu-raz rationalis, vel est circa ipsum

operantem, & conveniens, aut disconveniens sibi: vel est ad alterum, & circa conveniens, aut disconveniens alteri; sed circa conveniens, aut disconveniens alteri sufficienter perficitur virtute justitie: & circa conveniens, vel disconveniens sibi sufficienter perficitur temperantia, & fortitudine: ergo &c. Min. quoad 1. part. patet; quia justitia, ut est virtus ad alterum, præcise in-clinat ad reddendum cuique, quod debitum, & consentaneum est secundum rectam rationem; & appetitus in ordine ad alterum solum potest deficere appetendo alteri, quod disconveniens est illi; vel non appetendo, & nolendo, quod illi debi-tum, & consentaneum est.

4 Prob. eadem min. quoad 2. part.; per temperantiam rectificatur appetitus, ne inordinate concupiscat appetibile, nec inordinate fugiat fugibile: & sic sufficienter rectificatur appetitus secundum partem, quæ dicitur *concupisibilis*. Similiter fortitudine rectificatur secun-dum partem, quæ dicitur irascibilis, ad hoc ut ordinatè se gerat circa offendentem, aut auferentem, vel impedientem bonum ordinatum concupitum: ergo. &c. Qui circa hoc alia pulchra, & perspicua voluerit, legat N. Doct. cit. in 3.

Dddd 2

Dift.

Dist. 34. §. *notandum ulterius a*
num. 9. usque ad 11. inclusive.

5 Dices 1. contra hoc:
alij sunt principaliores virtutes, quam assignatae inter cardinales: ergo istae non sunt tantum quatuor. Prob, antec.: *patientia*, juxta Doct. cit. est nobilissima fortitudo; *pénitentia* est perfectissima iustitia; quia inclinat ad vindicandum peccatum contra Deum, ipsi exhibendo possibilem satisfactionem; ac tandem *humilitas* est nobilior temperantia; quia est fundamentum spiritualis ædificij, ac ceterarum virtutum: ergo &c. Resp. negando antec., & antecedens probationis.

6 Patientia ergo inter species insimas fortitudinis nobilissima est; sed sub fortitudine continetur; quia fortitudo non solum inclinat ad repellendum offendens, dum hoc dictat ratio; sed etiam ad tolerandum, dum istud ipsa ratio dictat. Similiter poenitentia continetur sub iustitia, prout hæc est virtus moderativa appetitus in ordine ad alterum. Et tandem humilitas continetur sub temperantia, dum hæc moderatur concupiscentiam circa honorem, & circa despectum, ac patvipensionem.

7 Dices 2. : *contrariorum eadem est ratio*; sed vitia capitalia sunt plusquam quatuor; quia sunt septem: ergo & virtutes cardinales, seu capitales, sunt plusquam quatuor. Resp., quod contrariorum eadem est ratio ab opposito in eo in quo contrariantur; vitia autem Capitalia sunt, non contrariantur virtutibus cardinalibus, qua cardinales sunt; imo, nec cardinalibus immediate opponuntur; sed virtutibus appetitivis contentis sub istis, ut consideranti patebit. Deinde plura sunt capita, ex quibus homo potest deficere, quorum nullum reducitur ad alterum, nec sub altero continetur; ut patet recensendo singula vitia capitalia; at homo solum est rectificabilis penes quatuor assignata, ad quæ omnes alij rectitudines reducuntur, & sub quorum rectitudine continentur.

QUÆST. II.

In qua agitur de prudenter, prima virtute.

1 **L**icit prudentia in rigore sermonis virtus

tus moralis non sit; cum non ad voluntatem, sed ad intellectum pertineat; quia tamen ad bonos mores inclinat, illos proxime dirigit, & voluntatem circa opus moris eligendum ordinat; meritò inter virtutes morales primum locum obtinet.

De hac ergo variaz sunt difficultates, quæ tamen si pro dignitate tractande essent, longiori exposcebat sermonem: sed quia necessitas tum temporis, tum voluminis nos urget; ideo tam huius, quam ceterarum virtutum tractatum, veluti in compendio, per varia dubia exponemus,

2 *Dubitabis I. : quid sit prudentia; & quinam ejus actus? Non loquimur de prudentia, prout coincidit cum dexteritate, quæ reperitur etiam in hominibus pravis ad excogitanda media, sive bona, sive mala pro suis finibus consequendis; de qua ait Jesus: *Fili⁹ bni⁹ sc̄l⁹ prudentiores sunt sihi⁹ lucis.* Sed loquimur de prudentia, prout est virtus intellectualis rectificans intellectum ad recte judicandum circa agibilia. Et certe, quod detur huicmodi virtus, indubitatum est apud omnes; quia omnis actio humana, ut recta sit, seu honesta in genere moris, debet esse con-*

formis rationi dictanti tam circa materiam, tum circa omnes circumstantias, & conditiones; sed haec ratio dictans, seu nata dictare, est prudentia: ergo datur. Unde pro resolutione I. partis.

3 *Dico I. : prudentia sic recte definitur: est virtus intellectualis directiva humanarum actionum, conducentium ad honestam, & felicem vitam. Et si velillis definite prudentiam Christianam, adde: & ad finem supernaturalem. Quare prudentia integraliter, & adæquate sumpta consistit in habituali notitia, qua quis potest recte judicare de singularibus agibilibus pertinentibus ad honestam vitam. Distinguitur ergo prudentia I. à sapientia; quia haec est cognitio certissima divinatum, & humanarum rerum per prima, & sublimiora principia; prudentia vero versatur circa singularia, & contingentia; & ideo non habet tantam certitudinem. Secundo distinguitur à fide; quia haec, si est divina, assensetur objecto ex motivo divinae revelationis; si vero humana, ex motivo testimonij humani; prudentia autem querit alia motiva ad assentendum; nam habet ratiocinationes, consulit Doctos, querit evidentiā, vel certitudinem moralem,*

&

& practicam probabilitatem in agendis : dirigit tandem fidem, ne leviter, aut sine fundamento credat.

4 Tertio distinguitur à scientia; quia quamvis prudentia dicatur scientia in lata significacione ; non vero proprietum, quia est circa singulatia, de quibus non est proprie scientia; tum, quia procedit sine demonstratione , quod est proprium veræ scientie. Differt tandem ab arte , etiā improprie dicatur ars *bene vivendi*. Ratio est; quia ars proprie versatur circa factibilia, seu circa materiam externam; prudentia vero circa actus humanos , & circa proprias operationes. Unde opus artis est factio materialis ; opus vero prudentiae est actio , seu operatio spiritualis. Ex quibus omnibus ducitur , quomodo prudentia, etiā sit virtus intellectualis , per quod convenit cum alijs habitibus; distinguitur tamen ab alijs, tum speculativis , tum practicis. Per quodque resoluta manet prima pars difficultatis. Quoad 2. vero.

5 Dico 1. actus prudentiae sunt *Consultatio* , & *judicium*, minimè vero *imperium*. Resolutio quoad 1. & 2. part. est

commuuis. Quoad 3. vero est contra Thomistas. Sed quia tum ex Animalistica , tum ex tom. 2. Cursus huius Almae Provincie tract. 5. disp. 2. quæst. 3. probatum manet , quod imperium non pertinet ad intellectum , sed ad voluntatem; & prudentia est virtus intellectualis ; ideo hic de isto imperio nihil agendum restat , cum improbandum sit eze ibi dictis.

6 Prob. ergo conclusio quoad duas primas partes : ex Subt. Doct. in 3. dist. 34. num. 20. ; nbi ait : *prudentia* , est *habitus consiliativus*, quia est *habitus recte syllogizandi practice* , & *tale syllogizare est consiliari*; unde *habitus* , quo quis est *consiliatus* , est *prudentia*. Hec Doct. Nunc sic ; sed syllogizando practice inquiruntur , & inventiuntur media convenientia ad finem ; & talis inquisitio , & consultatio tendit , ut media congruentiora eligantur ; & ad hoc necesse est , ut sit judicium de mediis congruentioribus hic & nunc: ergo consultatio , & judicium non sunt actus voluntatis. Min. constat ; quia consultatio est indagatio mediorum , & collatio eorum ad invicem : judicium vero est actus iudicans congruentiorem proportionem , & convenientiam mediorum ad finem. Cone.

7 Confirmatur: ut homo operetur honeste, debet agere in bonum finem, & per media congrua, & convenientia erga talem finem; sed ad sic agendum necessarium est, ut inquitat media congrua quod sit per consultationem: & ultra, quod judicet, quænam media sint congruentiora, & eligenda hic, & nunc præ alijs: ergo ad prudentiam expectat consultatio, & judicium. Judicium ergo, quod sequitur ad consultationem est quasi quedam sententia lata pro medijs congruentioribus *bis*, & *nunc* eligendis.

8 Dices 1. contra hoc: scientia moralis, & syndesis sufficienter dictare possunt de fine, & medijs: ergo non requiritur actus prudentiarum, qui est consultatio. Antec. constat, quia scientia moralis continet precepta, & regulas morum: ergo. Resp. negando antec. & disting. antec. probationis: scientia moralis continet *confusse*, & *in universali* præcepta, & regulas morum, conc. antec.: *in particulari*, & *distantè*, nego antec. Itaque scientia moralis, & syndesis non dictant sufficienter; quia ad actus humanos requiritur dictamen in particulari dictans de fine, & medijs cum omnibus circumstan-

tijis *bis*, & *nunc* occurrentibus; quia ex defectu cuiuscumque, actus humanus erit disformis rectæ rationi, & moraliter malus; quia malum ex quocumque defectu. Ad dictandum ergo in particulari, necessaria est consultatio, & indagatio, quæ est actus voluntatis.

9 Dices 2. : ad hoc ut voluntas eligat, sufficit consultatio: ergo non est necessarius actus prudentiarum, qui dicitur *judicium*. Prob. antec. tum, quia persæpè ita operamur, & quidem bene. Tum, quia intuitu rei appetenda, & medijs conduceant ad eam obtinendam, intelligitur voluntas sufficienter instructa ad electionem medijs: ergo &c. Respond. disting. antec.: ut voluntas eligat *absolutè*, sufficit consultatio, conc. antec.: ut eligat *prudenter*, nego antec. & conseq. Eisdem terminis distinguuntur probationes. Itaque ad prudenter operandum fieri debet electio post exactam cognitionem finis, & mediorum, ac utilitatis eorum ad finem: hæc autem cognitione nequit stare sine discursu, & judicio, saltem virtuali, illato ex consultatione; quapropter etsi saepè operamur bene sine judicio formalis, & explicito; numquam tamen sine virtuali.

10. Dubitabis 2.: quædam sint partes prudentiæ? Partes prudentiæ sunt in triplici differentia, scilicet, integrantes, subjective, & potentiales. Partes integrantes sunt, sine quibus usus prudentiæ integrè perfectus esse non potest. Quare partes istæ non dicuntur integrantes; quia componant habitum prudentiæ, sicut caput, brachia, crura, &c. componunt corpus; sed quia faciunt ad perfectiorem, & faciliorum usum prudentiæ. Partes subjective sunt species prudentiæ, & designantur per ordinem ad objecta, & fines, ad quos deserviunt. Partes tandem potentiales prudentiæ sunt quædam virtutes adjunctæ, vel affines prudentiæ, ad quam ratione magnæ cognitionis reducuntur, eique annecti solent. De his omnibus est præsens difficultas. Pro cuius resolutione.

II Dico. I.: partes integrantes prudentiæ sunt: memoria, intelligentia, providentia, docilitas, ratio, solertia, circumspectio, & cautio, seu cautela. Explicantur breviter singulæ: memoria, est recordatio præteritorum, præpue eorum, quæ gesta sunt in similibus cassibus, & circumstantijs, de quibus hic & nunc deliberare intendimus; nam ex recordatione, & comparatione

illorum cum præsentibus formamus ab experientia judicium de eo, quod hic, & nunc est deliberandum. Intelligentia est de præsentibus, & est penetratio veritatum, ac principiorum operum virtutis, & ejus honestatis, ex qua penetratione deducitur, quid hic, & nunc oporteat agere. Aliqui explicant intelligentiam pro intellectu, seu habitu primorum principiorum, seu regularum generalium moralis scientiæ, ex quibus in particuliari infertur, quid nunc agendum sit.

12. Providentia, vel est apta dispositio mediorum ad finem: vel est consideratio futurorum, quæ contingere solent in agendis: vel tandem est ordinatio præsentis ad futurum. Unde providentia in deliberando & agendo respicit futura, sive bona, sive mala, quæ ex agendis oriuntur, ne cum acciderint turpiter dicatur, non putaveram; quia ut inquit Ambrosius epist. 82.: id agere debemus, ne nos arbitrij nostri peniteat, aut facti, quando acciderit malum in prævissum. Docilitas, est facilitas audiendi, & accipiendi consilium, & doctrinam a sapientibus, libris, & exemplis, juxta illud Prov. 3.: ne innataris prudentię tuę, & ne sis sapiens.

piens apud temetipsum ; nam nemo potest esse velut judex in causa propria.

13 *Ratio*, est quæ examinat ea, quæ proponuntur agenda ; & discurrendo per generalia principia descendit ad particulares virtutes, ac singularia dictamina, quibus diriguntur, ac regulantur operaciones virtus; quæ propter *ratiocinatio* appellari solet. *Solertia* est quædam diligens attentio, & applicatio ad ea, quæ eveniunt, ut inde regulas educat, & rectum dictamen formet, tum ad dirigendos humanos actus, tum ut faciliter excogitet media circa finem. *Circunspectio* est consideratio omnium circumstantiarum, ne ex aliqua oriatur in actu defectus, vel malum aliquod, aut impedimentum finis intenti; unde per eam sit, ut opus sit unquamè bonum. *Cautio* tandem, seu *cautela* est actus vel habitus, quo declinantur occurrentia pericula, & impedimenta; unde est provisio quædam contra mala contraria, ut vitia. De hac ait Apost. ad Ephes. 5.: *videte Fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes.*

14 Dico 2.: Partes subjectivæ prudentiæ sunt *Enar-*

*chica, Poliarchica, Regnativa, Politica, Economicæ, & militaris. Enarchica est quæ deservit Personæ privatæ ad proprium regimen sui ipsius, seu suorum privatatum actionum. Poliarchica deservit ad regimen plurium, sub quaq; cōinetur regnativa, quæ ad rectum regimen regnum, & ad iustas condendas leges pro eorum conservatione deservit. Politica, quæ deservit ad regimen rectum Provinciarum, ac Civitatum. Economicæ, quæ & *monastica* dicitur, deservitque ad regimen domesticum alicuius familiæ. Militaris, quæ respicit regimen exercitus, & ordinationem militiae.*

15 Dico 3: partes potentiales prudentiæ sunt *Eubulia, Synesis, & Gnome*; *Eubulia* est facultas ad recte consultandum, seu ad indagandæ media conducentia ad finem, & ad conferenda ipsa inter se. *Synesis* est habitus ad formandum rectum judicium de his, quæ magis congruunt hic, & nunc ad finem, & hoc secundum regulas communes. *Gnome* tandem est facultas facilitè inclinans ad determinandum in cassibus extraordinarijs, quæ non reperiuntur in legibus; quapropter ab aliquibus dicitur *Epicheia*.

16 Dubitabis 3.: quodnam sit objectum tam materiale, quam formale prudentiae? Dico 1.: objectum materiale proximum prudentiae sunt actiones morales omnium aliarum virtutum: remotum vero sunt materia, erga quas versantur omnes virtutes. Est communis, & N. Subt. Doct. cit. sub num. 22. Probarique potest 1. tum ex definitione prudentiae tradita a Phylosop. 6. Etich. cap. 6. ubi ait: *prudentia est habitus cum reveratione, qui in eis agendis versatur, que sunt homini bona, & mala.* Tum ex Div. Bernard. Serm. 49. in cantica. Chrysost. in Psal. 13. ubi prudentiam vocant, *aurigam virtutum, mater familiam, lucernam anima, reginam cogitationum; magistrum eorum, que bona sunt:* ergo objectum materiale &c.

17 Prob. ratione: illud est objectum materiale prudentiae, circa quod versantur actus ejus; sed actus prudentiae versantur immediate circa omnes operationes morales aliarum virtutum, & mediate circa omnes materias earum: ergo Prob. min.: prudentia versatur circa omnia moraliter agibilia, que faciunt ad humanam perfectionem, & felicitatem, dictans quid agendum, vel vi-

tandum sit: quomodo, & cum quibus circumstantijs; ne excedant, aut deficiant a praescripto per leges: ergo. Confirmatur quoad 2. part.: non potest prudentia dirigere actiones morales in singulari, in quacumque materia virtutum, quin materias singulares virtutum respiciat cum quibus elici debent eatum actus: ergo objectum materiale remotum prudentiae sunt materia, seu res, circa quas versantur aliæ virtutes.

18 Dices 1. contra hoc: potest acquiri prudentia sine actibus aliarum virtutum: ergo actus aliarum virtutum non sunt objectum materiale proximum prudentiae. Prob. antec.: quia potest quis considerare, contulere, & judicare, quid hic, & nunc oporteat agere, quin hic, & nunc voluntas eligat; sed tunc est dictamen prudentiae, & non est actus alterius virtutis: ergo &c. Resp. disting. antec.: potest acquiri prudentia *sine actibus exercitii* aliarum virtutum, conc. antec.: *sine actibus, vel exercitiis, vel signatis*, aut *objectivconceptis*, nego antec. & conseq. Eisdem terminis distinguitur min. probationis.

19 Itaque verum est quod potest stare dictamen pruden-

dentia, quia est electio voluntatis, & actus aliarum virtutum; quapropter diximus conclus. 3. quælibet antec., quod prudentia non est connexa cum alijs virtutibus; attamen, quantum est ex se, petit conformitatem appetitus, seu actus voluntatis cum ipsa. Et licet non exequantur tales actus, tamen prout concipientur a prudentia, ut nati elici conformiter rationi rectæ, seu prout habent esse objectivum in intellectu, sunt objectum immediatum materiale prudentiae.

20 Dices 2.: actus aliarum virtutum non sunt subjectum objecti formalis prudentiae: ergo non sunt objectum materiale proximum ipsius. Prob. antec.: objectum formale prudentiae est veritas: quia est habitus intellectualis; sed actus aliarum virtutum non sunt subjectum veritatis; cum veritas solum subjectetur in actibus intellectus: ergo &c. Resp. negando antec., & disting. mai. probationis: objectum formale prudentiae est *veritas rei*, seu *transcendentalis*, conc. mai.: est *veritas logica*, seu *rationis*, nego mai.: in ipsis terminis disting. min. & nego conseq. Veritas ergo transcendentalis actuum virtutum stat in conformitate ad regulas morum, quam respicit prudentię.

dentia, dum regulat singulos actus virtutum secundum omnes circumstantias, quas habere debent; & cum judicatur, ea omnia habere, dictat etiam habere veram bonitatem moralē, atque oportere, ea executioni mandate.

21 Dico 2.: objectum formale prudentiae est veritas bonitatis moralis actuum humanorum. Est communis, & probatur: actus prudentiae sunt, consultare, & judicare, & dicere de agendis ad hoc, ut recta sint; sed predicti actus respiciunt, ut sit objectum formale, veritatem bonitatis moralis actuum humanorum, hoc est, veram conformitatem eorum cum regulis morum: ergo. Prob. min.: ratio formalis *sub qua* predicti actus respiciunt agenda, est objectum formale earum; sed ratio formalis *sub qua* est veritas bonitatis moralis actuum humanorum: ergo &c. Confirmatur: prudentia, quatenus virtus intellectualis practica, differt a sapientia, & scientia speculativa; quia istæ respiciunt veritatem rerum in abstracto, seu communi; prudentia vero, ut potest practica, debet respicere bonitatis veritatem in actibus in particulari, & ut veram: ergo hæc est objectum formale prudentiae. Di-

zoligem. iologat. molo. libido. impudens. continens. excessus.

22 Dices 1. contra hoc: scientia moralis debet distingui a prudentia; sed objectum formale scientiae moralis est veritas bonitatis moralis actuum humanorum: ergo haec non est objectum formale prudentiae. Resp. conces. mai. disting. min.; sed objectum formale scientie moralis est veritas bonitatis moralis in *communi*, & in *generere*, conc. min.: in *individuo*, aut in *singulari* nego min. Itaque scientia moralis dat universaliter regulas ad bonitatem moralem, & respicit veram honestatem in generc, ac in specie; at inquirite, consultare, ac judicare, an sint verae honestates singulares in actibus eliciendis secundum omnia, secundum quae hic, & nunc regulari petunt, tam ex parte objecti, quam ex parte finis, & aliatum circumstantiarum hic, & nunc occurrentium, est proprium solum prudentiae.

23 Dices 2.: ipsomet virtutes morales respiciant, ut objectum formale ipsarum, veras honestates proprias, seu bonitatem moralem ipsarum: er-

go veritas bonitatis non est objectum formale prudentiae. Resp. disting. antec.: ipsæ virtutes morales respiciunt &c. veras honestates proprias *specificative*, conc. antec. & *reduplicative*, nego antec. & conseq. virtutes ergo morales tendunt ad dandum honestatem actui, quæ iam praesupponitur judicata vera per prudentiam in particulari, perpensis omnibus circumstantijs, quæ actui hic, & nunc debitæ sunt. Quare non veritas, seu honestas, ut *vera reduplicative*, sed solum *specificative* capta est objectum formale aliarum virtutum.

24 Dubitabis 4: an prudentia non solum respiciat media, sed etiam fines particulares virtutum? Resp. affirmative. Est N. Doct. cit. sub num. 18. contra aliquos Thomistas. Prob. conclusio ratione: virtutes morales in suis actibus respiciunt finem, & media: ergo etiam prudentia. Antec. patet; nam temperantia utens jejunio ad fervandam castitatem respicit honestatem castitatis, ut finem, & jejunium ut medium. Prob. con-

conseq.: voluntas non potest velille, conservare castitatem per jejunium, nisi utrumque sibi proponatur, & dictetur à prudentia; cum voluntas non feraatur incognitum: ergo si virtutes morales in suis actibus respiciunt finem, & media, etiam prudentia debet hęc respicere, ut possit ea dictere. Unde jejunanti ad servandam castitatem proponit prudentia bonum castitatis, ut finem immediatum illius virtutis; & jejunium ut medium pro ea tuenda, & servanda.

25 Dices 1. recta ratio sufficit ad proponendos fines virtutum: ergo non sunt necessarij ad hoc actus prudentiae. Resp. disting. antec.: recta ratio sufficit ad dictandos fines virtutum in *universali*, conc. antec. *in particulari*, nego antec. Itaque recta ratio, seu Syndesis dictat define virtutum in communi, v. g. dictat deservanda mediocritate in virtutibus moralibus; sed præscindit à circstantijs in particulari hic, & nunc; quia hoc attinet ad prudentiam in particulari singularum virtutum.

26 Dices 2.: Philos. 6. Ethic. cap. 13. ait: *sine prudentia, & virtute esse electionem*

rectam non posse, eo quod hec finem: illo, quæ ad finem tendunt, ut agamus. Est postea: *opus ex prudentia, & morali virtute perficitur*. Virtus enim propositum Scopum (finem); prudentia vero, quæ ad ipsum tendunt (media) efficit recta: ergo juxta Philosoph. prudentia non dictat de fine, sed de medijs. Resp. negando conseq.; quia Philos solum vult, quod virtus primario, & principaliter intendat finem, & secundario media; prudentia vero primario, dictat de medijs, & secundario etiam de fine; unde non excluditur à respicientia finis.

27 Dubitabis 5.: an prudentia sit unus, vel multiplex habitus respectu omnium agibilium. Resp. cum N. Subt. Doct. in 3. dist. 36. quæst. unic. sub num. 22., quod licet prudentia secundum genus, & aggregatione sit una; formaliter tamen, & secundum speciem est multiplex habitus secundum multiplicationem virtutum moralium. Prima pars conclus. ab omnibus admittitur; quoad 2. vero est contra communem Thomistarum; pro quaque suadenda præ oculis habenda sunt, quæ in præmialibus Logice docentur à Nostratibus, inquirendo: analogia sit una simplex qualitas? Quibus suppositis Prob.

28 Prob. 1. conclusio ratione Doct. cit. : sicut ars respicit factibilia , ita prudentia agibilia ; sed diversa factibilia requirunt diversas artes proprias , ut experientia constat: ergo etiam diverse agibilia diversas prudentias proprias requirunt. Confirmatur : sicut alius potest esse bene moraliter affectus circa aliqua agibilia , & malè circa alia, ob quod ponuntur diverse virtutes morales; ita etiam in dictando, & consulendo potest esse habituatus ad recte dictandum circa ista , & non circa illa ; imo circa illa potest non habere principia ad dictandum , nec conclusiones sequentes ex eis; ergo potest habere habitu prudētiae erga unam virtutem, quin habeat erga alias; & consequenter prudentia plures habitus specie distinctos continet.

29 Prob. 2. conclusio: non minus objecta prudentia tendentis, & dirigenis virtutes morales sunt specie distincta, ac objecta talium virtutum: ergo sicut ipse virtutes morales inducunt in voluntate habitus specie distinctos , sic etiam prudentia arguit in intellectu habitus specie distinctos. Prob. antec: materia fortitudinis erga terribilia ; materia temperantiae

respectu cibi , & potus ; & materia justitiae respectu alieni juris exigūt diversas cōsiderationes ad invenienda media mediocritatis, & ad combinationem circumstantiarum cum fine : ergo objecta prudentiae &c. Confirmatur : in intellectu reperiuntur diverse difficultates ad dictandum practicè in materia diversarum virtutum: ergo ponendi sunt in ipso diversi habitus prudentiae vincentes huiusmodi difficultates ; & consequenter tot habitus , quot sunt virtutes distinctæ.

30 Dices 1. contra hoc: Philos. 6. Ethic. cap. 13. ait: *Etenim cum prudentia, quæ est una, in existit, simul inerunt omnes, scilicet, virtutes: ergo species virtutis prudentiae sufficit ad dirigendas omnes virtutes morales.* Resp. 1. quod Philosophus non dixit , quæ est una species ; unde potest interpretari de unitate generica ; vel de unitate virtutis , & non formalis, ut exponit hic num 23. N. Subt. Doct. Sed respond. 2., quod illa una existente perfecte non tantum secundum intentionem , sed etiam secundum extensionem , tunc omnes inerunt virtutes: sed nunquam est perfecta extensivè, quantum potest esse, nisi sit perfecta circa omnia alia, ad quæ potest se exten-

tendere: & cum illa omnia pertinentia ad quascumque virtutes morales specie differant; hinc est, quod prudentia extensive capta specie debeat deferre.

31 Dices 2. prudentia in omnibus virtutibus moralibus habet eundem modum consultandi de agibilibus, assignanda materia, inveniendis medijs, ipsisque applicandis erga finem: ergo debet esse una, eademque virtus. Respond. negando conseq.; alias enim una esset solum ars; una sola scientia; & tandem unica virtus moralis; quia quilibet ars convenit cum altera in modo consultandi, & ordinandi media ad suum finem: omnes scientiae convenient in modo definiendi objecta demonstrandi passiones, & deducendi conclusiones iuas scientificas. Tandem omnes virtutes morales convenient in eo, quod quilibet est habitus electivus suorum mediorum concentuum ad finem, & ad inquirendam mediocritatem; unde sicut in ipsis modis ille unicus consultandi non facit esse unas; sic ne pariter modus prudentiae in consultando erga omnes virtutes morales efficiet, eam esse unam specificem.

32 Dices 3: objectum

formale prudentiae est unicum: ergo & ipsa prudentia unica debet esse. Prob. antec.: objectum formale prudentiae, ex dictis dubio 3. huius, est veritas bonitatis moralis actuum humatorum; sed eadem est veritas bonitatis moralis in qualibet virtute morali: ergo & idem est objectum formale prudentiae. Prob. min.: veritas bonitatis consistit in conformitate intellectus cum re, seu cum objecto; sed haec conformitas est in omnibus virtutibus moralibus: ergo &c.

33 Respondeo, negando antec., & dist. maiorem probationis: objectum formale prudentiae est veritas generice sumpta bonitatis &c., nego mai.: est veritas objectiva, & moralis ius, & illius virtutis, conc. maiorem: inversis terminis distincta min. nego conseq. Itaque sicut omnes scientiae, tam speculativae, quam practicæ considerant suum objectum sub ratione veri; & tamen non à veritate formalis, sed ab objectiva sumunt suam specificam differentiam, & distinctionem; sic nec prudentia sumit suam specificationem præcisamente à vero, sed & ab objecto, & etiam à modo, & à ratione, atque à motivo formalis, sub quo consideratur, & tractatur. Unde, cum haec multiplex sit, multiplex est prudentia. Di-

34 Diccs ultimo : in speculabilibus unus, idemque habitus sufficit ad penetranda principia, & inferendas conclusiones: ergo unus, & idem habitus prudentiae sufficit ad dirigendas morales actiones. Probat, conseq.: habitus considerans unum principium generale ad tot se extendit conclusiones; ad quot se extendit illud principium; sed prudentia est habitus generalis, & generalis ratio omniū agibilium, ordinando ea secundum rectam rationem: ergo prudentia se extendit ad omnia agibilia, prout ordinabilia secundum rectam rationem. Respond. 1. neg. autec., quia in rei veritate habitus principiorum, & conclusionum sunt distincti; primus enim dicitur intellectus: secundus vero scientia; & licet aliquando dicatur unus habitus, non est tamen unus unitate entitatis, sed unitate ordinis, & subordinationis: vel includentis, & inclusi.

35 Respond. 2. omissio ant. negando conseq., & disting. mai. probat.: habitus considerans unum principium generale, se extendit ad tot conclusiones eminenter, & virtualiter, ad quot &c. transeat mai.: se extendit formaliter, ita, quod sit ipse habitus conclusionis, nego mai., & consequent. in sensu distinctio-

nis. Prudentia ergo, qua est ratio prima agibilium, recipit in genere omne agibile secundum rectam rationem; sed quia in particularibus speciebus agendorum apprehendit diversas difficultates; ideo habitus unus non sufficit ad omnes conclusiones morales inferandas; sicut nec una virtus moralis sufficit, licet in genere respiciat bonum honestum secundum rectam rationem, sed plures speciales virtutes sunt constitueundæ. Sic ergo similiter speciales prudentiae pro specialibus difficultatibus superandis.

36 Sed quia in hoc potest esse aliqua difficultas de nomine; nota ex N. Subt. Doct. pet sep̄ cit. sub num. 23. & 24., quod habitus prudentiae, qui est formaliter alicuius finis in aliquibus agibilibus, est virtualiter omnium eorum, quorum cognitio practica continetur in illo fine; sed non est formaliter omnium illorum. Est, dicere: quod respectu plurimi virtutum moralium non est formaliter una prudentia; est tamen virtualiter una prudentia respectu omnium eorum objectorum, quorum cognitio practica continetur virtualiter in aliquo fine, quamvis obiecta illa sint diversarum virtutum.

Una

Unde concludit Doct. ; quod extendendo , nomen *prudentiae* ad habitum illum , qui est *intellectus* primi principij practici , est virtualiter una prudentia respectu omnium virtutum , unitate tamen generis intermedij habentis ex se plures species prudentiae.

37 Dubitabis ultimo: quænam sint vitia opposita prudentiae? Licet omne peccatum, ut pote contra rectum dictamen rationis , sit generatim contra prudentiam ; tamen singulariter assignantur à D. D. aliqua vicia , quæ proprie sunt prudentiae opposita. Et ex his alia sunt per defectum , seu negativa, quatenus recedunt à debito, & recto modo operandi prudentiae; deficiuntque à consuetis regulis ipsius. Alia vero sunt per excessum , seu positiva, quæquidem habent quamdam speciem, seu similitudinem cum prudentia ; sed in rei veritate excedunt , & minimè prudentia sunt. De his omnibus est hic nobis breviter agendum.

38 Dico r.: vitia per defectum, seu negative opposita prudentiae sunt *precipitatio* , *inconsideratio* , *negligentia* , & *inconstantia*. Explicantur: *precipitatio*

est , defectus considerationis , seu temeritas , qua subito resolvimus circa agibilia, sine debita attentione, & deliberatione, ut communiter contingit in cholericis , & superbis. Ab hoc vitio parum recedere videtur *inconsideratio* , quæ consistit in defectu debitæ considerationis qualitatum , aut circumstantiarum , quæ debent comitari opus bonum morale à vera prudentia dictatum. Sed tamen possunt dici , differre; primo in hoc , quod præcipitatio dicit subitanam , & violentam determinationem , non vero inconsideratio , sed putram negationem consultationis. Et etiam differunt in hoc , quod præcipitatio solet accidere in rebus maioris momenti ; inconsideratio vero tam in levibus , quam in gravibus rebus accidere solet.

39 *Negligentia* est quædam tarditas in exequendo id , quod iam *maturè* deliberatum est seu , ut ait Seraph. Doct.: est debite constantiae derelictio in opere boro: seu ut alij dicunt est torpor , seu desidia in querendo scientiam necessitorum ad bene vivendum; hoc vitium opponitur sollicitudini; quæ est proprium prudentiae. *Inconstans* est recessus à recto dicta-
ffff mi-

mine de aliquo recte agibili, formato cum matura deliberatione sine gravi, vel cum levi fundamento. Quare si recessus hic fiat ex gravi ratione; quia occurunt maiora motiva; tunc non erit inconstantia, sed prudenter; *quia sapientis est mutare consilium.*

40 Dico 2.: *Vitia opposita prudentiae per excessum sunt, prudentia carnis, astutia, dolus, fraus, & sollicitudo nimia temporalium, & futurorum.* Explicantur: Prudentia carnis est, quae dirigit opera carnis, & querit media apta ad illa exercenda, & complenda, non minus, ac vera prudentia dirigit opera spiritus. De quo Apoltolus ad Roman. 8. ait: *prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus vita, & pax est.* Astutia est vitiola notitia pravorum mediiorum, quae sunt apta ad decipendum cum affetu ea execundi. Sed nota, quod si sumatur in bonam partem, hoc est, pro solertia, & ingeniositate inveniendi media congrua in finem, tunc non est vitium, sed prudentia, de qua prober. 17. *astutus omnia agit cum consilio.*

41 *Dolus* est actualis ussus, & executio astutiae, quando hoc fit per verba. *Fraus*

est etiam actualis ussus, & executio astutiae, quando hoc fit per facta. Unde isti modi *fraus, & dolus*, si sumantur radicaliter, seu per modum actus primi, sunt ipsam *astutia*; si vero sumantur per modum actus 2, sunt effectus ipsius. Unde sumuntur hic pro actu illa intellectus directivo executionis, seu deceptionis exercitæ, vel per verba, vel per facta; si sumantur enim *executivæ*, hoc est, pro actu ipso exercito, quo quis alium decipit, prout sic pertinet ad injuriam, & opponitur iustitiæ.

42 *Sollicitudo* tandem nimia rerum temporalium, & futurorum est, & importat nimium studium, inquisitionem, inventionem, & occupationem mentis ad acquirendas res temporales, & prout sic est actus intellectus; sed quia involvit desiderium, cupiditatem, & concupiscentiam eas habendi, ideo dicit actum voluntatis. Unde, quia ex desiderio habendi oritur communiter studium, inquisitione, ac occupatio mentis, ideo sollicitudo, qua vitiola est, radicaliter in voluntate consistit. Unde prout opponitur prudentiae, est anxietas; & excessiva cura ex parte intellectus inquietans, & providentis media ad acquirenda, vel conservanda tem-

temporalia ; etiam si alias honesta possint esse. Alia de prudenter vide in Autoribus.

QUÆST. III.

In qua de justitia prima virtute appetitiva agitur.

1. **N**on loquimur in praesenti de justitia in lata acceptance, prout coincidit cum lege ; de hac enim sufficienter actum est, tom. 5. Cursus huius almæ Provintiæ Tract. 13. : agimus ergo hic de justitia, prout est una ex tribus moralibus appetitivis, residetque in voluntate, & derivatur à jure justo seu a quo ; quæq; habet reddere unicuiq;, quod sūt est: de hac ergo justitia sic sumpta sunt in praesenti quæstione aliqua dubia breviter resolvenda.

2. Dubitatibus 1.: quid sit justitia virtus ? Subt. Doct. in 4. dist. 46. quæst. 1., num. 2. ut ex Div. Anselm. cap. 12. de veritate. definit justitiam: est rectitudo voluntatis propter se servata : Sed addit ex Philosopho: est rectitudo voluntatis propter se servata ad alterum, vel ad se, quasi ad alterum.

Sed Sed quia hac ultima particula, vel ad se, quasi ad alterum, continet specialem difficultatem pos tea resolvendam ; ideo aliter potest definiri justitia ex Ulpiano: *Est constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens.* Cum hac definitione coincidunt aliæ quæmpieres, q;æ traduntur a S.S. P.P. & Juristis. Ex quibus omnibus, sic justitia in tota sua latitudine definiti valet : *est habitus voluntatis inclinans ad tribuendum unicuique jus suum ; seu quod justum aut æquum est, ut trahatur.*

3. Dubitatibus 2.: an justitia debeat esse ad alterum præcises vel possit esse ad se, quasi ad alterum ? Certum est, quod regulariter loquendo justitia proprie sumpta est ad alterum, hoc est, ad alienam Personam, quod satis constat, tum ex definitione ipsiusmet justitiae ; tum ex modo loquendi P.P. & Theologorum. Ait enim August. Lib. 83. quætionum, *est virtus, qua sit unius tribuuntur.* Et Div. Hieronymus ait: *est maior ceteris virtutibus ; quia ceteræ virtutes habentes delectant ; justitia habentem non delectat, sed alios ; non prodest habentibus, sed ceteris miseriis non habentibus.* Unde difficultas solum est, an habetri possit justitia, & exerceri circa se

se ipsum, quasi circa alterum?

4 Respondeo affirmative; probat que ex Subi. Doct. in 4. dilt. 46. q. 1. num. 2. pœnitentia est quædam pars iustitiae; sed per illam peccator puniit in se peccata sua quasi in alio; nam ipse net peccator punit se ut peccatorem: ergo aliquando iustitia potest esse erga se ipsum, quasi erga alterum. Confirmatur: dum distribuuntur bona communitatis erga plurimos, Gouvernator v. g. sumit sibi portionem, quæ convenit suo ministerio: & dux militiae dividens spolia inter milites sumit sibi partem congruam; sed hi omnes actus sunt iustitiae: ergo in his servatur iustitia erga se ipsum, quasi erga alterum.

5 Vices: omnis iustitia servat æqualitatem, ut medium; sed æqualitas debet esse ad minus inter duos: ergo & iustitia; & consequenter hæc nequit esse ad se hue ut ad alterum. Prob. min.: æqualitas est relatio realis rei ad rem, personæ ad Personam, quantitatis ad quantitatem, debitoris ad creditorem, & superioris ad inferiorem; sed omnis relatio realis requirit extrema realiter distincta; & alias idem nequit esse simul debitor, & creditor, superior, & inferior: ergo æqualitas non est ad se ipsum, sed ad minus debet

esse inter duos. Respond. cōces. mai. disting. min.; sed æqualitas debet esse ad minus inter duos saltē moraliter, & sub diversis formalitatibus, aut muneribus, concedo min.: inter duos phisi. è, & individualiter, & effective distinctos, nego min. & conseq.

6 Itaque ad æqualitatem sufficit, quod ejus extrema distinguuntur quoad formalitates, & numera, ut sit in pœnitentiis, qui se accusant, judicant, & puniunt, & patiuntur sibi pœnas per se ipsos inflictas. Unde pœnitens agit quasi duas personas, actoris, judicis, & rei, juxta illud: *iustus est prius accusator sui & dum se accusat excusat.* Hoc etiam parificari vallet in charitate, de qua dicitur, quod minus, quam inter duos, haberi non potest; & tamen certum est, quod homo se ipsum diligit.

7 Dubitabis 3: quodnam sit objectum iustitiae moralis? Objectum hujus virtutis, sicut & alterius cuiuscumque duplex est, *materiale*, & *formale*: & *materiale* adhuc subditur in *remotum*, & *proximum*. De omnibus his quærimus in præsenti. Dico 1: objectum *materiale remotum* iustitiae sunt res omnes, quæ debentur, & Personæ, quibus debentur. Est communis, & probatur ex scriptura, in qua res

res omnes ablatæ, vel irrationabiliter detentæ jubentur restituiri: sic in Levit. 6. jubet Deus, reddere omnia, quæ per fraudem voluerit quis obtinere; & in Evagel. Matthæi 22.: reddite, quæ sunt Cæssaris, Cæssari, & quæ sunt Dei, Deo: reddite, omnibus debita, cui tributum, tributum. Confirmatur: illud est objectum materiale virtutis justitiae, circa quod versantur ejus actus; sed actus justitiae versantur circa res omnes, quæ deberi possunt Deo, vel homini: ergo istæ res, & Personæ sunt objectum materiale remotum justitiae.

8 Dices: sunt objectum materiale proximum res ipsæ: ergo non sunt remotum. Prob. antec.: res ipsæ fundant immediate ius, seu æquitatem, quæ est objectum formale justitiae; nam ipse debent directe, & immediate æquari: ergo res ipsæ sunt objectum materiale proximum justitiae. Resp. negando antec., & distinguo antec. probationis: res, ut dandæ, & ut debitæ, fundant immediate ius, seu æquitatem, quæ est objectum formale justitiae, conc. antec.: res secundum se precissè sumptæ, nego antec. & conseq. Res ergo secundum se precissè sumptæ non fundant ius, seu æquitatem, nisi ad summum valde remotæ; qua-

re prout cadant sub actibus debiti, & redditi, fun dant tale jas.

9 Dico 2.: objectum materiale proximum justitiae sunt actus interni, & externi quibus redditur unicuique, quod suum est. Hæc conclusio etiam est communis, & probari potest omnibus textibus Sac. Script., quibus fuit probata antec.; in ipsis enim præcipiuntur ipsimet actus tam interni, quam externi reddendi debitæ: ergo quia tales actus sunt objectum materiale proximum justitiae. Confirmatur ex definitione ipsiusmet justitiae, scilicet, est habitus voluntatis inclinans ad tribuendum unicuique jus suum, seu quod justum, aut æquum est, ut tribuatur: ergo actus ipsius justitiae, quibus redditur cuique suum, sunt materia ejus proxima, sed isti actus sunt tam interni, quam externi; interni, quia à voluntate; externi, quia est redditio actualis: ergo utrique sunt, materia proxima justitiae.

10 Dices: tales actus, dandi, & reddendi sunt ipsa jura formalia, vel ad minus applicationes jurium; sed hoc ideo non sunt objecta materialia proxima, sed formalia justitiae; ergo &c. Respondeo, neg. mai. nam tales actus non sunt ipsa jure formaliter, sed ea proximæ, fun.

fundant. Ratio est: quia jus, quod habeo in re, quæ mihi ablata fuit, fundatur immediate in ipsomet actu restitutionis, qui etiam est debitus cum ipsam re ablata.

11 Dico ultimo: objectum formale iustitiae est ipsum jus, seu debitum. Est etiam communis, & prob.: iustitia non exercetur per quamcumque dationem, sed per dationem rei debiti, illam dando ei, cui est debita, vel qui jus habet ad ipsam: ergo objectum formale iustitiae est ipsa ratio debiti, seu ius, quod habetur ad rem. Confirmatur: si detur alicui, quod ipsi debitum est, tunc exercetur iustitia, non vero si detur, quod debitum non est: ergo. Unde honestas relucens in servanda æqualitate debita rei ad rem potest dici ratio formalis *sub qua* iustitia respicit, & intendit ipsam æqualitatem, tamquam objectum formale *quod* ipsius; nam *re'picere* hanc æqualitatem in actibus suis est proprium huius virtutis, prout distinctæ ab alijs, & consequenter ejus specificativum.

12 Dices contra hoc: objectum formale veræ virtutis non debet esse quid rationis; sed iustitia est virtus realis; & jus debitum, seu æqualitas est quid rationis: ergo hoc ne-

quit esse objectum formale iustitiae. Repf. concess. mai., & min. quoad 1. part., eam diliguo: quoad 2.: jus debitum, & æqualitas sunt quid rationis *rectè dictantis*, quid, & quantum debeatur, conc. min.: sunt quid rationis *figentis*, ideo min. Et consequentiam. Itaque sicut iustitia est virtus moralis, & rationis, non fingens, sed recte dictans, & judicans quid, quantumque unicuique debeatur, & redendum sit; ita pariter objectum formale talis virtutis debet esse jus, debitum, & æqualitas dictata per rectam rationem.

13 Dubitabis 3.: quotuplex sit iustitia? Tot partes iustitiae assignari solent ab A.A., ut eas omnes enumerare, & referrere nimis prolixum foret. Plusquam septuaginta ab aliquibus enumerari solent. Principiantes percurram, ut postea ad alias difficultates in particulari b. eviter descendam. Primo ergo dividitur iustitia in *legalem*, seu *universalē*, & in *particularem*. Legalis, seu universalis est, que respicit bonum commune totius Reipublicæ, seu Communitatis: & dicitur legalis; quia leges omnes tendunt in eam, ad hoc ut serueretur pax, & tranquillitas in Republica. Unde haec est in membris communitatis, & dicitur

erit habitus inclinans ad tribuendum Communitati jus suum, seu quod justum, & æquum est, ut tribuatur à membris ipsius, eo quod membra ipsius sunt. An hæc iustitia sit vera specialis virtus? Dicetur infra. Iustitia particularis est, quæ respicit alterum, ut personam privatam, & bonum particulare singulorum, ut cum eis servetur æqualitas quædam.

14. Hæc iustitia particularis subdividitur *in commutativam*, & *distributivam* communativa est habitus inclinans ad reddendum debitum secundum æqualitatem rei ad rem; ita ut reddatur tantum, quantum debetur, ut quinque pro quinque, & centum pro cento. Distributiva est habitus inclinans ad distribuenda bona communitatis secundum dignitatem eorum, inter quos sunt distribuenda; hæc iustitia non servat æqualitatem arithmeticam dati, & accepti, sed proportionem geometricam in distribuendis bonis communibus cum respectu ad merita, & dignitatem Personarum prout leges decernunt. Alij dividunt iustitiam particularem in *præmiativam*, & *punitivam*. Sed certe istæ reducantur ad commutativam, si servant æqualitatem inter merita, & præmia,

atque inter supplicia, & criminæ. Ad distributivam, si habeatur aliqua ratio personarum, juxta quas estimantur merita, aut peccata, ad hoc ut proportionentur præmia, & suplicia.

15. Aliæ species iustitiae minus propriæ assignari solent, quæ per aliquam similitudinem, vel attributionem analogam iustitiae dicuntur, in eis tamen non servatur æqualitas perfecta sicut in antecedentibus. Principaliores enumerabo: *Religio*, quæ inclinat ad reddendum cultum debitum Deo in se, & in suis Sanctis. *Pietas*, quæ inclinat ad colendos, & honorandos Parentes, Propinquos, & Patriam. *Observantia*, quæ inclinat ad venerandas, & honorandas personas eminentes dignitate, scientia, & meritis. *Obedientia*, quæ inclinat ad obtemperandum mandatis superiorum, & continetur sub observantia.

16. *Gratitudo*, quæ inclinat ad recognoscenda, & respondenda beneficia accepta, seu ad reddendas gratias pro accepto beneficio. *Liberalitas*, quæ incitat ad eroganda bona propria fortunæ sponte, & liberaliter ad opera honesta, & si hæc erogentur sumptuose, & in magna quantitate præter communem ordinem, dicitur

magnificentia. Veritas, quæ alia est in dicendo, & inclinat ad conformanda dicta cum mente loquentis; alia in operando, & inclinat ad conformanda facta cum dictis, seu ad observanda promissa. *Amicitia*, quæ inclinat ad amorem alterius sine ullo respectu ad utilitatem amantis, exigens tamen redamationem in amato. Sed nota, quod amor ex parte utriusque debet esse honestus, ut amicitia sit virtus.

17. *Affabilitas*, quæ inclinat ad suavitatem, ac placiditatem observandam, & ostendendam in convertendo, tum loquendo, tum operando. *Vindicatio*, quæ inclinat ad mala nobis illata punienda, animo tamen repellendi, sed nocendi. *Penitentia*, quæ inclinat ad dolendum de peccato, & illud vindicandum, in habente ipsam, & ad reddendam satisfactionem offenso. Alias quam plures enumerant justicias; nobis prò nunc iste sufficiant. Et quoad partes integrantes justitiae, ad duas reduci valent, scilicet, absinere à malo, & facere bonum; utrumque enim requiritur ad perfectam justitiam, scilicet, nemini facere injuriam, & facere illi bonum debitum, seu reddere ipsum, quod suum est; nam si alterutra pars ex his desit, non erit

integra pars virtutis iustitiae. His suppositis, nunc aliquæ difficultates de his iustitijs sunt hic breviter resolvendæ.

18. Dubitabis 4.: an iustitia legalis sit specialis virtus distincta ab alijs? Resp. affirmative. Est communis. Prob. que 1.: iustitia legalis habet speciale objectum distinctum ab objecto aliarum virtutum: ergo &c. Prob. antec.: iustitia legalis habet pro objecto formaliter honestatem operationis propter bonum commune; sed haec honestas constituit objectum specie distinctum ab objectis aliarum virtutum: ergo &c. Prob. min.: ubi est jus, & debitum specie diversum ad operandum tali determinato modo, & ex tali motivo, ibi est honestas specie diversa in operando; sed in iustitia legali est tale ius, & debitum specie distinctum, scilicet, ius, & debitum directum procurandi bonum Communitatis, quod non immediate, & directe attenditur ab alijs virtutibus: ergo &c.

19. Prob. 2.: iustitia est virtus ad alterum inclinans ad reddendum illi suum; sed iustitia legalis est vere ad alterum, ut reddat illi, scilicet, Communitati, suum: & nulla alia id praestat

tat sub hac ratione formaliter: ergo est vera, & specialis virtus iustitiae. Prob. min. : triplex est ordo iustitiae inter homines existentes in Communitate: Primus partis ad partem; civis ad civem; & hic servatur per iustitiam commutativam in mutuis comertijs: secundus ordo est totius ad partem, seu Communitatis ad particulares, in distributione bonorum communium; & hic ordo servatur per iustitiam distributivam. Tertius tandem ordo, est partium ad totum, seu singulorum civium ad bonum totius Communitatis: & hic servatur per iustitiam legalem: ergo haec iustitia inclinat ad reddendum Communitati suum, secundum rationem formalem, quae est ei propria, non vero alijs iustitijs: ergo est specialis virtus.

20 Dices 1. contra hoc: Philos. 5. Ethic. cap. 1. loquens de iustitia legali ait: *Itaque neque hæc iustitia pars virtutis, sed integra virtus est; neque huic opponitur injustitia pars virtutis, sed intregra est virtutitas:* ergo juxta Philosop. non est virtus specialis, sed complexum omnium virtutum. Resp. quod Philos. solum vult quod iustitia legalis, quantum se extendit ad materiam omnium aliarum virtutum imperando actus

illarum ad finem boni communis, complectitur, & continet omnes alias virtutes virtualiter, non vero formaliter, prout formaliter respicit suam propriam honestatem.

21 Ut hoc melius intelligatur, & ut alijs objectiones solvantur, nota, quod sicut charitas dicitur virtus universalis, quia ordinat & dirigit actus aliarum virtutum ad Deum, quem respicit immediate, ut finem ultimum; quin ob hoc destinat esse virtus specialis ab alijs distincta; cum respiciat illud summum bonum commune sub ratione, & motivo formaliter diverso, hoc est, immediatè, & directè in se; sic est iustitia legalis, et si respiciat immediate bonum publicum, seu publicam felicitatem, & Deum ipsum, quæ sunt bonum, & finis ultimus aliarum virtutum; quia tamen respicit immediate, & in se observantia legum, quietem, & bonum totius communitatis sub ratione propriæ honestatis, hinc fit, quod licet virtualiter, & imperative sit universalis virtus, tamen in se formaliter specialis virtus iustitiae est.

22 Dices 2.: iustitia legalis sub illo respectu à nobis
Gggg af-

assignato potius pertinet vel ad pietatem, vel ad religionem, vel ad obedientiam: ergo non est specialis virtus ab alijs distincta. Prob. antec.: vel inclinat iustitia ad procurandum bonum Patriæ; & sic est pietas: vel inclinat ad satisfaciendum debitum legum; & sic est obedientia: vel tandem inclinat ad reddendum Deo cultum debitum, ejusque sanctis; & prout sic est religio: ergo sub quocumq; respectu potius pertinet ad pietatem, obedientiam, vel religionem.

23 Respond. neg. ant., & antec. probationis quoad omnes ejus partes; quia pietas debet procurare bonum commune Patriæ, ratione originis, quam cives habent à Patria: & hoc non est motivum iustitiae legalis, quia hac sic agit homo, ut membrum communitatis, quæ est quasi totum corpus. Obedientia est in solis subditis, & Prælato, uti est iustitia, quæ est in Rege, tamquam in capite. Deinde obedientia facit aliquid præcisè, quia præcipitur; iustitia vero legalis, quia honestum est bono communitatis. Tandem religio limitatur ad cultum Dei, & S. S.; iustitia autem legalis respicit quietem publicam per observantiam

cunctarum legum. Qui plura circa hanc iustitiam desideraverit consulat Canonistas.

24 Dubitabis 5.: an divisio iustitiae in commutativam, & distributivam sit generis in species? Resp. affirmativa. Est communis, Prob.: virtutes quæ requirunt diversa specie media per se, specie differunt; sed iustitia commutativa, & distributiva requirunt diversa specie media; ergo differunt specie. Prob. min.: iustitia distributiva requirit æqualitatem proportionis, seu geometricam, non vero quantitatis, seu Arithmeticam, quam requirit commutativa; sed hæc media specie differant: ergo tales iustitiae sunt vero species iustitiae ut sic. Sed, ut verum fata, hæc probatio non multum urget, ut constabit ex dicendis. Quare aliter.

25 Prob. conclusio ratione: illæ virtutes specie differunt, quæ inducent diversas obligationes per se; sed iustitia commutativa, & distributiva sic se habent: ergo. Maior constat; quia diversitas specifica effectum debet pro venire ex diversitate essentiali habituum. Pro min.: ex iustitia commutativa oritur obligatio ad servandam æquitatem sub pena restitutionis sive-

strictæ; ex distributiva non oritur talis obligatio; quia non ledit ius strictum, sed minus proprium, nec privatur aliquis res sua; sed tantum definit distribuens facere, quod ex officio facere tenebatur; & per hoc non committitur ablato rei alienæ strictæ sumpta: ergo obligationes oris ex iustitia commutativa, & distributiva sunt essentialiter diversæ.

26 Dices 1. contra hoc: si jus itia commutativa, & distributiva essent veræ species iustitiae, deberent convenire univocè in ratione generica iustitiae; sed non sic convenient: ergo non sunt duæ specis iustitiae. Prob. min.: iustitia ut sic obligat ad reddendum cuique suum sub poena restitutionis; nam qui retinet alienum non est iustus, donec restituat; sed iustitia distributiva non sic obligat per nos sub poena restitutionis: ergo &c.

27 Respond. concess. mai. neg. min.: & disting. mai. probationis: iustitia ut sic obligat ad reddendum cuique suum sub poena restitutionis, si ly suum sumatur absolute, pro eo, in quo habet ius actuale, & in re, conc. mai.: si ly suum sumatur pro eo, ad quod petendū habet ius, nego mai. Et concess. min. nego conseq. Itaque ly suum, quod ponitur in definitione iustitiae ut sic,

abstrahit inter istas duas significaciones: *sui*, hoc est, iuris in re, quod est in commutativa; ex quaque per se oritur obligatio restituendi, & iuris ad rem, quod ius reperitur in distributiva, ex quoque non oritur obligatio restituendi per se, quoad personas particulares; licet possit esse talis obligatio quoad communitem.

28 Dices 2.: eadem ratio formalis est in utraque iustitia, licet modus æquandi sit diversus; sed hæc differentia modorum non sufficit ad differentiam specificam habituum: ergo tales iustitiae non differentia specie. Maior constat; nam convenient in hoc, quod utraque inclinat ad jus suum cuique reddendum: & differunt tantum, quod distributiva reddit secundum proportionem Geometricam; commutativa vero secundum æqualitatem physicam, seu arithmeticam. Prob. min.: illi modi æquandi sunt accidentales, & extra rationem essentialem iustitiae; nā ad hanc sufficit, ut reddatur cuique, quod suum est, quomodo cumque hoc fiat: ergo hæc differentia modorum non sufficit ad differentiam specificam habituum.

29 Resp. 1. negando mai.;

mai, quia tales virtutes inducunt diversas obligationes per se, ut satis constat ex probationibus conclusionis. Resp. 2. negando min: , & antec. probationis; nam illa differentia modorum est tam essentialis illis speciebus iustitiae, quam rationalitas, & irrationalitas homini, & bruto, saltem in suo genere virtutis, & entis moralis; quod sufficit ad differentiam specificam habituum. Sed ut hoc melius percipiatur

30 Dubitabis 6.: an iustitia commutativa possit aliquando observare proportionem Geometricam? Resp. affirmativè. Erit contra aliquos, Prob. tamen: casu quo quis sit debitor pluribus ex contractibus, & ipsis non potest integrè satisfacere ad æqualitatem physicam, adhuc est debitor omnibus ex iustitia commutativa, & singulis debet reddere aliquid ex bonis, quæ habet: & hoc secundū proportionem Geometricam, ita ut plus detur illi, cui plus debet, & minus illi, a quo minus accépit: ergo iustitia commutativa aliquando observat proportionem Geometricam. Quod sit debitor ex iustitia commutativa constat; quia quod creditoribus redditur est ipsorum ex stricto iure, ita ut nisi ipsis detur, remaneat obligatio resti-

tationis: ergo talis obligatio oritur ex iustitia commutativa. Hoc idem evenit in contractu *societas*, in quo lucrum debet dividi ex eadem iustitia commutativa per partes inæquales iuxta proportionem, vel ad laborem, vel ad pecuniam subministratam, maiorem, vel minorem: ergo in his casibus iustitia commutativa debet observare proportionem geometricam.

31 Dices contra hoc: me dium, per quod una iustitia specie distinguitur ab altera, non potest competere alteri iustitiae specie à se distincte; sed proportio geometrica assignatur communiter ut medium, per quod iustitia distributiva specie distinguitur à iustitia commutativa: ergo hæc proportio nequit competere iustitiae commutativæ. Responderi potest primo, negando min. quia distinctio specifica iustitiae commutativæ, & distributivæ desumitur præcipue ex eo, quod iustitia commutativa respicit ius strictum, hoc est ius in re; distributiva verò minus riguerosum, strictum, hoc est, ius ad rem: quapropter non aquievimus prime probationi concusionis positæ num. 24. huius.

32 Resp. 2. distinguendo

do mai : medium, per quod una iustitia specie distinguitur ab altera, non potest competere alteri iustitiae eodem modo, conc. mai. diverso modo, nego mai. & distinguo min. sed proportio geometrica competit distributivæ, ita præcise, ut hæc nequeat attin gere ullo modo proportionem arithmeticam, conc. min. Competit distributivæ ita ut non possit in aliquibus casibus competere iustitiae commutativæ, neg. min. & conseq. Itaque ex hoc diverso modo conveniendi, proportio geometrica iustitiae commutativa, & distributiva sufficierter deduci potest, quod adhuc ex medio geometrico, & arithmeticæ specie distinguuntur. Explicatur: per sensitivum, & intellectivum distinguuntur specie veræ, & proprie brutum, & homo, quamvis intellectivum possit etiam attingere operatio nes gradus sensitivi; nam ad hoc sufficit, quod sensitivum ita limitetur ad sensitivas operationes, ut nequeat attingere operationes intellectivi. Ita pariter discurrendum de proportione geometrica, & arithmeticæ utriusque iustitiae. Prima solutio est solidior.

33 Dubitabis 7.: an iustitia commutativa sit una specie athoma, vel possit dividii in plures species? Dico, quod potest dividii in plures species? Et com-

munis Scotistarum contra aliquos Thomistas. Prob. ratione: respectu iustitiae commutativæ dantur diversa iura, ex quibus oriuntur diversa debita: ergo & dantur diversæ species huius iustitiae; nam hæc specificatur à diversis objectis, & iuribus. Prob. antec.: di versum est ius, quod habet homo in bona fortunæ, ab illo, quod habet in bona famæ, & vita; sed iustitia commutativa, quandoque respicit ius in bona famæ, quandoque in bona, fortunæ, & vita: ergo respectu iustitiae commutativa dantur diversa iura. Probat. mai. ius specificatur à bono, quod respicit; sed bona fortunæ, famæ, & vita sunt species diversa: ergo etiam iura, quæ à talibus bonis specificantur, erunt species diversa: Unde diversa contrahuntur debita restitutionis, inter quæ, & iura lexa ponenda da sit diversa æqualitas.

43 Dices contra hoc: iustitia commutativa formaliter consistit in æqualitate rei ad rem: & solum differunt, quod hæc æqualitas fiat in hac, vel illa materia; sponte, vel coacte; sed hoc non sufficit ad differentiam specificam iustitiae commutativæ; ergo hæc est una species athoma. Resp. negando min.; quia etiam ex hoc variatur iustitia commutativa formaliter, & specificè; quia, scilicet, sunt diversa iura ad æquanda

da, ut constat ex probatione conclusionis. Unde sicut ex diverso iure, quod habet Deus in homines, ut Creator, ut Patens, ut Princeps, & ut Governator, oritur in hominibus diversum ius adæquandi huiusmodi iura, ac consequenter diversæ virtutis, scilicet, Religionis, pietatis, & observantiae, &c. sic in proposito, ex diverso iure, quod habet in diversa bona fortunæ, famæ, & vite, nascitur in altero diversum debitum fundans diversas iustitias commutativas.

35 Aliæ sunt difficultates de iustitia, & iure, quæ sanè si omnes traderentur, integrum volumen explerent. Sed quia ad Canonistas penitus attinent, merito hinc eas omittimus. Qui tamen aliqua circa ea scite voluerit, legat nostrum Panger hic super 3. sentent. Tract. de Virtutibus in genere, & specie disp. 3. à quæst. 3.; dicta enim prout nunc Theologo scholastico sufficient.

QUÆST. IV.

Proponuntur difficultates virtutis fortitudinis.

Dubitabis 1.: quid sit fortitudo? Non loquimur in praesenti pro firmitate animi, quæ reperitur in actione cuiuslibet virtutis; nam hoc modo non est virtus distincta a cæreris virtutibus, sed potius est conditio ad omnem virtutem tequisitam; agimus ergo de fortitudine, prout significat specialem quamdam animi firmitatem in subiectis periculis, laboribusque tolerandis. Quo sensu definitur ab Aristot.

2. Ethic. cap. 3. & lib. 3. cap. 6. *mediocritas circa metum, & audaciam.* Sed clarius sic. Fortitudo definiri potest: est habitus inclinans, & invans ad aggredientia ardua, & periculosa, & ad toleranda dolorifera, tristitia, & terribilia secundum rectam rationem. Sed notandum est, quod fortitudo prout est virtus specialis, & ab aliis distincta, debet inclinare ad terribilia toleranda, aut repellenda ex motivo honestatis huiusmodi tolerantiae, aut repulsa; nam qui aggredieretur, aut ferre dura ex motivo honestatis temperantiae, iustitiae, aut castitatis; ne, scilicet, peccaret contra illas, aut ut attingeret finem illarum, hic faceret actus temperantiae, iustitiae, aut castitatis. Unde fortitudo, ut est virtus specialis, debet sustinere, aut repellere ardua ex motivo proprio

prio honestatis, quæ relacet in suis actibus secundum se præcisè consideratis.

3 Ex his ergo habetur, quod fortitudo consistit, vel in moderando metu, vel in moderanda audacia, ne metu homo in malis fagiendis torpeat, vel turbet mentem, & ne audacia temerè, & supra vires audeat, vel aggrediatur terribilia. Hoc explicat Subt. Doct. in 4. ditt. 34. num. 11. exemplo temperantia. Ait enim. *Nam sicut concupisibilis indiget moderari per temperantiam circa ea, que sunt nata primè appeti, ne inordinate appetat illa, sed secundum moderamen recte rationis; ita etiam irascibilis indiget moderari per habitum (fortitudinis) ne immoderatè vellit propellere offendens, vel ulcisci de illo, sed moderatè vellit propellere propellenda, & non propellere non propellenda.* Hæc Dr

4 Infertur etiam, quod sunt duo actus fortitudinis, scilicet, aggressio terribilium, seu agredi terribilia secundum rectam rationem. Secundus actus est, tolerantia terribilium secundum rectam rationem. Ratio huius est quia fortitudo ad duo inclinat voluntatem, nempe, ad aggrediendum secundum rectam rationem terribilia, & ad terribilia, & dolorifera, ac tristia toleranda: ergo terribilia aggredi, ipsaque tolerari secundum rectam

rationem sunt duo actus fortitudinis. Si autem quæras, quinam ex his actibus sit perfectior? Dico, quod tolerare terribilia; quia in tolerantia adest dolor, & gravis molestia; non vero in aggressione; quia fortis aggreditur terribile apprehensum, aut immensus; et si aliquando aggreditur existens, est ad illum propellendum, & removendum vindicando; fortis vero tolerat terribile existens dolorem, & tristitiam causans: ergo nobilior est actus tolerandi, quam aggrediendi.

5 Dices tamen 1. contra dicta: fortitudo reperitur nec dum in homine, sed etiam in brutis: & hoc à natura; nam tam homines, quam bruta sunt animosa ad subeunda pericula grævia: ergo fortitudo non est propriè virtus moralis. Resp. disting antec.: fortitudo impropriè lumpata reperitur, &c. conc. antec. fortitudo *virtus propria*, nego antec. & conseq. Fortitudo ergo propria virtus acquiritur per actus aggressionis, aut tolerantia elicito ex dictamine rationis; non autem habetur ex instinctu merè naturæ, ut repetitur in brutis, & hominibus inconsiderate, & temerè, atque sine electione aggredientibus terribilia.

6 Dices 2. et si detur fortitudo, non tamen ut virtus: ergo non est virtus cardinalis fortis.

fortitudinis. Prob. antec. fortitudo inclinat ad malum: ergo non est virtus. Prob. antec. fortitudo impellit ad labores, pericula, & mortes, quæ sunt mala vita humanae: ergo inclinat ad malum. Resp. negando antec. & distinguo antec. probationis: fortitudo inclinat ad malum *physicalium* propter honestatem, quæ reluet in eius tolerentia, conc. antec.: ad malum *ut malum*, nego antec. & conseq.: eisdem terminis distinguitur probatio. Pati ergo tormenta non est optabile, ait Seneca, sed fortiter pati in hoc est virtus :: tormenta à me abesse, vellim; sed si sustinenda fuerint, ut me illis fortiter, honestè, animo & que geram, optabo. Unde fortitudo, formaliter qua virtus, formaliter consistit in ferendis malis ex motivo honestatis tolerantiae.

7 Dices 3.: omnis virtus inclinat ad toleranda mala contraria fini suo: ergo non est specialis virtus fortitudinis. Probat. antec.: castitas inclinat ad toleranda incommoda, & vincenda impedimenta; quæ eminent contra finem suam; justitia inclinat iudicem, ne corrumperatur ex metu mortis in suis iudicij: ergo cuiusvis virtus inclinat ad repellenda mala contraria suo fini. Confirmatur;

fortitudo semper exercetur pro tuendis alijs virtutibus: ergo non est virtus specialis.

8 Resp. ad argumentum. distinguendo antec.: omnis virtus inclinat ad repellenda mala *in propria materia, & ex proprio fine & objecto formaliter*, conc. antec.: *ex fine fortitudinis, & objecto ejus formaliter*, nego antec. & conseq.; sic etiam explicatur probatio. Fortitudo ergo respicit terribilia, ut modetur audaciam, & metum circa illa conformiter ad dictamen rectæ rationis, ut actus ejus sint honesti, & laudibiles in propria linea; in materia enim castitatis, & iustitiae respicit audaciam, & metum, ut impedimenta virtutum earumdem; & prout sic certum est, quod ea contemnit, & repellit ex motivo talium virtutum; & in tali casu non est præcisè virtus fortitudinis. Ad confirmationem disting. ant.: fortitudo *activa*, seu in aggrediendo semper exercetur pro tuendis alijs virtutibus, translat antec.: fortitudo in *tolerando*, seu in *patiendo*, nego antec. & conseq. Itaque patientia, quæ est principalior pars fortitudinis, potest exerceri in materiis indifferentibus, ut in morbis, fame, &c.

9 Dubitabis 2.: quodnam sit objectum fortitudinis moralis? Hic, sicut & in praecedenti questione, querimus de objecto materiali tam remoto, quam proximo & etiam de formalis. Pro cuius resolutione. Dico 1.: objectum materiale remotum fortitudinis sunt omnia mala gravia, quae imminent homini. Est communis, & prob. ex Scriptura, & P. P.; nam quoties fit mention de fortitudine, semper respiciuntur mala, circa quae monemur moderari timorem, & audaciam; ut illud Lucæ 12. ne terreamini ab his, qui occidunt corpus. Timete eum, qui potest perdere animam. Unde Div. Aug. describit fortitudinem, dicendo, quod sit. considerat apericulorum suscepio, & malorum perpeccio: ergo fortitudo respicit pro objecto materiali mala gravia, & terribilia, quae imminent homini. Confirmatur: objectum remotum materiale virtutis fortitudinis sunt res circa quas versantur ejus actus; sed actus fortitudinis versantur circa mala gravia imminentia: ergo haec sunt objectum materiale remotum fortitudinis.

10 Dico 2.: objectum materiale proximum fortitudinis sunt actus moderandi au-

daciam, & timorem erga terribilia. Etiam est communis, & prob.: objectum materiale proximum cuiusvis virtutis, omnisque habitus practici, est illud, in quod immediate fertur talis virtus; sed virtus fortitudinis immediate fertur ad moderandos actus audaciæ, & timoris erga terribilia; nam, ut dictum manet, inclinat ad aggredendum ardua, & pericula; & ad tolerandum dolorifera, tristia, & terribilia secundum rectam rationem: ergo &c.

11 Dico 3.: objectum formale fortitudinis est specialis honestas, quae reperitur in predictis actibus moderativis audaciæ, & timoris. Prob.: objectum formale alicuius virtutis, & habitus est ratio illa, sub qua tendit talis virtus in actus suos, seu in objectum materiale; sed in fortitudine haec ratio est honestas aetuum audaciæ, & timoris erga terribilia: ergo haec honestas specialis est objectum formale, fortitudinis. Confirmatur: per hanc rationem, & propriam honestatem talium actuum suffcienter constituitur fortitudo virtus ut ab alijs distingua; nam hoc huic soli virtuti est proprium, nec ullus aliis habitus sic respicit tales actus: ergo objectum formale fortitudinis &c. Nihil objici potest contra

Hhhh

if

istas resolutiones, quod ex dictis tam in anterioribus §.§. quam quæst. antec. agendo de objecto justitie, faciliter solvi non possit. Vide N. Mastr. hic quæst. 9. art. 1.

12 Dubitabis 3. an fortitudo sit unus simplex habitus? Resp. quod est multiplex. Prob. ex Subtili Doct. cit.: fortitudo plures habet actus, ex quibus diversi specie habitus debent generari: ergo. Prob. antec.: fortitudo habet actus aggrediendi rerribilia secundum rectam rationem; & actus tolerandi, vel sufferendi terribilia secundum eamdem rectam rationem, prout diximus num. 3. huius; sed ex istis actibus diversi specie habitus debent generari: ergo &c. Prob. min.: per hoc, quod quis sit assuetus aggrediendi terribilia secundum rectam rationem, non eo habet habitum ad ea toleranda; quia in tolerando terribilia sunt diversæ difficultates, ut ipsam experientia docet: ergo &c.

13 Dices contra hoc: eadem voluntas potest habere duos actus oppositos, scilicet, *welle*, & *nolle*: ergo & idem habitus fortitudinis potest inclinare ad aggredienda terribilia, ipsaque toleranda. Respond. ne-

gando conseq.; est enim magna disparitas, tum, quia potentia ad plures actus se extendit, quam habitus; tum quia voluntas est virtus activa liberæ oppositorum actuum, si est finita, & limitata; habitus vero acquisitus non potest se extender, nisi ad actus similes illis, à quibus est genitus: & potest quis habere plures actus aggrediendi terribilia, ex quibus generatur similis habitus aggrediendi, quin habuerit unum actum tolerandi terribilia; & consequenter nec habitum tolerantie. Deinde, ut dixi, est diversa difficultas in tolerando, ac est in aggrediendo: & habitus acquisiti delerviunt ad facilitandum, & vincendas difficultates.

14 Dubitabis 4. quænam sint partes fortitudinis? Ex dictis satis constat, quod partes integrantes fortitudinis sunt *aggredi*, & *propulsare mala immiscentia*: *audere*, & *patti*. Unde principale fortitudinis est velle servare medium internum, & externum in magnis periculis, & maxime in periculo mortis, non plus appetendo, vel fugiendo, quam dicit recta ratio. Hæc fortitudo præcipue eluet in Martyribus; nam nulla maius fortitudo, quam se exponere morti certæ, & crudeli sine ullo

allo moto tristitia, aut vindictæ, sed quia hoc sit ex motivo tueri fidem, & ex amore Dei. Nunc ergo de paribus subjectivis, & potentialibus aliqua breviter dicimus.

15 Dico : prima pars tolerantiae est *magnanimitas*, & est virtus inclinans ad omne arduum, & magnum, prout est consentaneum virō magno, & generoso, ferendum, aut aggrediendum intra periculum mortis. *Magnanimitati* opponitur *pasillanimitas* per defectum, quæque est fuga magnorum operum, eo quod homo putet se esse imparem illis. Per excessum, opponuntur magnanimitati *ambitio*, & *presumptio*; quia ambitionis habent maiorem appetitam honoris: & presumptuosi maiorem confidentiam supra vires suas, quam patiatur magnanimitas.

16 Secunda pars fortitudinis est *magnificentia*, & est virtus inclinans ad hoc, ut aliquis faciat magnos sumptus, ad exequendum id, quod arduum est; sed hoc est ita faciendum, prout recta dictat ratio. Unde *magnificentia* involvit magnam moderationem affectus erga pecunias, quæ solent viros potentes (quorum est hæc virtus)

impedire à magnificis operibus, & expensis, quas recta dictat ratio. *Huic virtuti* opponitur per excessum *profusio*, & est, qua quis supra id, quod res exposcit, facit, & auger expensas. Per defectum vero opponitur *parvifcentia*, & est, qua quis ex nimia angustia animi vult insumere parvos sumptus in magno opere erigendo.

17 Tertia pars est patientia, quæ h.c non sunitur pro tolerantia grayiorum malorum; nam prout sic, vel est ipsa fortitudo, vel nobilior actus ipsius, ut dictum manet. Sunatur ergo hic prout est virtus, quæ in malis, & arduis perferendis confirmat animum moderando timores, ne ob istos recedat à recta ratione, tam in servanda æquanimitate mentis, quam in motibus externalis corporis conformiter habendis. *Huic* opponitur per excessum, *impacientia*, & est, qua quis immoderate tristatur in malis. Per defectum insensibilitas; quia non est consentaneum naturæ humanæ, non moveri, nec tangi ullis omnino malis, aut proprijs, aut alienis, maximè conjunctorum; hoc enim præfert stoliditatem, propriam belluarum.

18 Quarta pars fortitudinis est *longanimitas*, quæquæ ad pacientiam reducitur, & est virtus, qua æquanimiter perfertur molestia, quæ oritur ex nimia delatione rei desideratæ; nam *spes*, quæ differtur, affigit animam. Unde est longior patientia, quæ occupatur in moderandis motibus iræ, quam provocat dilatio rei, quam anima expectat. Iste opponuntur eadem *vitia*, quæ patientiæ repugnant.

19 Quinta pars est *constantia*, & est, qua quis firmiter persistit in ferendis, aut aggre-diendis malis arduis, ita ut firmiter persistat in bono contra difficultates proyentientes ex quibuscumque aliis circumstantiis, aut impedimentis operis boni; quia cum voluntas sit valde mutabilis, & mobilis; non solum per adversa, sed etiam per blanditiias, promissiones, aliaque motiva, hinc indiget virtute aliqua, quæ ipsam contra prædicta firmet, & roboret, quod quidem præstat constantia. Huic virtuti opponitur per excessum *obstinatio*, seu *pertinacia*; sicut enim defectus est non perseverare in bono cæpto; ita excessus reprehensibilis est, quando aliquis, plusquam oportet, tenaciter, & obstinate tuetur suam sententiam; qua pertinacia frequenter labant heretici. Per defectum op-

ponitur constantiæ *levitas*, seu *mobilis*, & est, qua quis faciliter, & sine fundamento recedit à bono cæpto.

20 Sexta pars fortitudinis est *perseverantia*, quæ certe cum constantia confunditur à multis, & est stabilis continuatio operis excellentis usque ad eius consumationem: et si fuerit finalis, est maximum Dei donum, iuxta illud; qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Per perseverantiam superatur proprie tedium, & molestia, quæ occurrere solent in exercitio virtutum. Huic opponuntur per excessum *obstinatio*, & *pertinacia*: & per defectum *mollities*, & est, quando propter minima incommoda à bono receditur, quæ vitium effeminatum dici solet, contrariumque fortitudini.

21 Septima pars est *securitas*, & est quæ placat, & firmat animum contra nimias anxietates, curas, & solicitudines, quas solet timor excitare. Quapropter, qui habet bonam fiduciam, confidendo in Dei auxilio, & assistentia, securus redditur, & aggreditur opus arduum. Huic opponitur per excessum *temeritas*, & est quando sine iudicio, nec ratione, omnia imprudenter tentamus. Per defectum opponitur *dissidentia*, & est quando in

apprehensione impossibilis finis nihil boni aggredimur.

22 Octava tandem pars fortitudinis est *fiducia*; hæc etiam coincidit cum *securitate*, & est qua confidimus in propriis, vel alienis viribus ad vincendum, & sustinendum; proptereaque promptè, & incunctanter aggredimur ardua cum magna spe felicis exitus. Ad hanc iuvatum status mundæ conscientiæ; nam qui nihil habet, quod remordeat vel timeat, cum fiducia graditur; iuvat etiam sollicitudo, & cura prævidendi, & providendi omnia illa, quæ ad tale opus sunt necessaria. Fiduciæ opponuntur per excessum, *audacia*, quæ est nimia fidentia aggrediendi quæcumque mortis pericula, ultra quam ratio, tempus, locus, & opus postulat. Per defectum *timor*, seu *ignavia*, circa perspectionem molestiarum, & circa pericula mortis.

23 Enumeratis partibus fortitudinis, vitiisque ipsis oppositis; sciendum est, quod *vitia*, quæ magis directè opponuntur fortitudini sunt *audacia*, & *timiditas*, seu *ignavia*. Audacia per excessum; quia est quidam excessus in audendo, non servando, sed excedendo mediocritatem, quam servare debet fortitudo virtus tales sunt

qui audent supra vires, & istæ in tempore deficiunt. Unde *verus fortis*, ait Philosoph. 4. Ethic. cap. 6.; *audet*, & *aggreditur*, quæ *opportet*, cuius *gratia*, quando & ut *convenit*. *Timiditas*, seu *ignavia*, est in alio extremo vitioso per defectum, & est quando statim, ac aliquis sentit gravia incommoda imminentia, ex timore desinit actionem, & minimæ difficultati occurrenti protinus succumbit.

QUÆST. V.

De Virtute temperantia.

I Temperantia videtur veluti corona aliarum virtutum moralium; nam earum motus videtur moderari, ne excedant; temperat enim ardores fortitudinis, ne ad furorem declinet; zelum justitiae, ne in crudelitatem veniat; & tandem sollicitudines prudentiae, ut consilia non sint arduiora, aut valde precipita. In præsenti autem nouissimitur temperantia in hac generalitatè, hoc est, prout moderatur omnes appetitus circa omnia appetibilia: sed loquimur

mur de ipsa, prout est specialis virtus, quæ consistit in moderatione appetitus concupisibilis circa concupisabilia. De quaque sequentes proponuntur difficultates.

2 Dubitabis 1. : quid sit temperantia? Dico , quod temperantia est specialis virtus, quæ est habitus moderatus appetitus secundum partem, quæ concupisibilis dicitur. Hæc conclusio est communis ; habeturque expressa à N. Doct. in 3. dīl. 34. sub num. 15.: Probaturque ex Philos. I. Rethoric. quæst. 5. ubi ait: *temperantia est per quam, ita ut lex imperat, domite cupiditates habentur, cui intemperantia adversatur.* Unde Div. Augustinus Lib. 83. quæst. quæst. 11. ait: *temperantia est rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio.* Et 2. de morib. Ecclesiæ cap. 19. : temperantiae munus consistit in coercendis, sedandisque cupiditatibus, quæ nos à vita beata prohibent: ergo temperantia est virtus specialis moderativa appetitus secundum partem, quæ concupisibilis dicitur.

3 Dices contra hoc: quilibet virtus est moderativa

appetitus , vel potentiae , quæ inest , & inclinat ad temperate agendum in propria materia: ergo temperantia non est virtus specialiis. Antec. est certum; quia est munus cuiuslibet virtutis vitare omnem deordinatem , qua deordinari possunt actus erga suum objectum. Resp: concessio antec. negando conseq.; nam præter illas deordinationes, quas singulæ virtutes præscribunt, & moderantur ; dantur delectationes speciales in sensibus, pro quibus moderandis requiritur specialis virtus temperantia , & maxime in cibo , & potu ; & in venereis , seu , ut alij dicunt, in sensibus gustus , & tactus.

4 Dubitabis 2.: quodnam sit objectum temperantiae? Dico 1.: objectum materiale remotum temperantie sunt res omnes concupisibilis , ex quibus nascitur voluptas. Est Doct. cit. ubi ait: *temperantia versatur circa primo concupisabilia :: à natura rationali sunt objecta temperantie.* Prob. ratione: temperantia consistit in moderatione appetitus , seu voluntatis circa omnes voluptates , quæ percipiuntur immoderate , & contradiccam rectæ rationis : ergo relipit pro objecto materiali remoto omnes res , ex quibus re.

resultare potest voluptas moderanda.

5 Sed notandum est hic, quod et si temperantia maxime consistat in moderandis delectationibus immoderatis ortis ex sensibus tactus, & gustus, ut immoderationes edendi, bibendi, & luxuriandi; tamen etiam versati debet in moderandis affectibus inordinatis aliorum sensuum: immo & in moderandis voluptatibus spiritualibus. Hoc constat ex Subt. Doct. cit., ubi docet, quod temperantia ne solum est de voluptatibus sensitivis, quibus delectatur voluntas conjuncta; sed etiam de voluptatibus propriis ipsi voluntati, ut voluntas est. Unde voluntas Angeli potest appetere bonum delectabile, licet non habeat appetitum sensitivum: ergo omne concupiscibile à quolibet sensu, & etiam concupiscibile spirituale est objec- tum materiae remotum temperan- rix.

6 Sed quia circa hoc est aliqua lis inter A. A., ideo necessè iudico, ostendere ex Script. Et P. P. omnes voluptates, necdum gustus, & tactus, sed etiam visus, auditus, odoratus, intellectus, & voluntatis egere virtute temperantiarum

ad hoc ut moderentur. Prob. 1. de voluptate visus; nam Joann. Epist. 1. cap. 2. dicitur: *omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum.* Eccles. 14. *nequam est oculus invidi: infaciabilis oculus cupidi.* Et Psalm. 118. *averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Prob. de auditu: nam Eccles. 1. dicitur: *non saturatur oculus visu, nec auris auditus impletur.* Et 1. ad Thymoth. cap. 1. : *ne intenderent fabulis, & genealogijs, que questiones prestant magis quam edificationem Dei;* Et Magnus, Patens Aug. Lib. 10. Confel. cap. 33. , ait *voluptates aurium tenacius me implicaverant, & subjugaverant.*

7 Prob. de sensu odoratus, nam Ezequiel. 8. dicitur: *ecce applicant ramum ad narcs suas: ergo & ego faciam in furore non parcer oculus meus, nec miserebor.* Et Mag. Par. Aug. proxime cit. cap. 32. : *de ille- cebra odorum non satago nimis: paratus etiam eis semper careres sunt enim & istae plangende te- nebre.* Prob. de voluptatibus intellectus. Nam ad Roman. 10. : *non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Et Eccles. 3. *altiora te, ne qua- sieris.* Et 1. ad Corinth. cap. 8. *scientia inflat; charitas vero adie-*

facit. Tandem de voluntate constat ; *quia passim in Sac. Script.* damnatur nimia ambitio, & desiderium honorum ; imò iuxta Subt. Doct. ex luxuria spirituali , seu nimia , & excessiva voluptate sui (*que philautia dicitur*) peccavere Angeli : ergo temperantia respicit omnes voluptates non solum gustus , & tactus , sed & aliorum sensuum , & etiam spirituales.

8 Nec contra hoc facit , quod Philos. non agnoscit temperantiam , nisi circa voluptates corporis : imò solum circa voluptates gustus , & tactus . Non facit , inquam ; nam licet Philos. non agnoverit temperantiam in voluptatibus animæ , non sequitur , eam non dari ; quia magis curare debemus , & melius sentire de virtutibus moralibus cum Christianis ; quam cum Gentilibus . Præterquā quod Philosoph. posuit temperantiam circa gustum , & tactum ; quia est hæc magis nota ; sed non quia circa alia delectabilia negaverit temperantiam .

9 Dices tamen contrâ conclus. : temperantia respicit etiam dolores , & tristitias : ergo non solum omnes res concupiscentiales , ex quibus oritur voluptas , sunt objectum materiale re-

motum temperantie . Prob. antec. ex Philos. cit. aiente : *circa dolores autem , non ita ut in fortitudine , propter tolerantiam dicitur temperans , & intemperans , quia non tolerat* : ergo . Respondeo distinguendo antec. : temperantia respicit indirecte secundario , & per accidens dolores , & tristitias , conc. antec. : *directè formaliter , & per se* , nego antec. & conseq. Temperantia ergo respicit voluptates directe , & per se ; & quia concupisibilis nimis amat ; ex consequenti nimis amat , & tristatur de illarum absentia ; qua propter secundario dicitur intemperans ob hanc ratione doloris , & tristitiz .

10 Dico 2. : objectum proximum temperantie sunt actus , seu voluptates , & delectationes erga objectum materiale remotum . Prob. : illud est objectum proximum temperantie , in quod immediate fertur virtus temperantie ; sed virtus temperantie immediate fertur circa actus voluptatis , & delectationis concupisibilis : ergo . Prob. min. virtus temperantie per se inclinat ad regulandos , seu ordinandos actus circa ea omnia objecta , erga quæ concupisibilis deordinari potest , & ad moderandas passiones ipsius concupisibilis : ergo &c.

Di-

11 Dices contra : voluptates, & delectationes sunt passiones ortæ ex coniunctione potentie cum objecto amato; sed passiones nequeunt esse objectum virtutis : ergo nec actus voluptatis, & delectationis Pro. min.; passiones resultant independenter à voluntate, & ratione; nam sunt motus naturales naturaliter resultantes , ita ut voluntas non possit impeditre tales resultantiam : ergo. Resp. disting. mai. : voluptates, & delectationes primò prime resultantes in sensu , sunt passiones &c. , conc. mai; voluptates, & delectationes *subsecuta* in voluntate , nego mai. , & concil. min. eisdem terminis distinguuntur maior probationis , & negatur conseq. Itaque temperantia virtus non respicit voluptates externas sensuum , nisi remotè , & indirectè , sed respicit internas voluntatis , & istas moderare debet removendo causas earum , eo modo , quo dicitur ratio , ad hoc ut non excedant modum rationis.

12 Dico 3.: objectum formale temperantie est honestas particularis , & specialis reperta in moderatione predictorum actuum , & passionum. Est communis , & prob. : illud est objectum specificatum temper-

rantie , per quod talis virtus distinguitur à reliquis virtutibus cardinalibus ; & in quo conveniut omnes virtutes , quæ ad speciem temperantie reducuntur; sed huiusmodi objectum est specialis honestas reperta in moderatione actuum , & passionum concupisibilis : ergo talis honestas erit objectum formale virtutis temperantie.

13 Dubitabi 3.: quænam sint species temperantie? Aliqui Theologi numerant 25. species temperantie. Alij pauciores. Nos breviter principiores , vitiaque eis opposita perscringemus. Prima ergo est *aviditas* , & est habitus inclinans ad moderandum appetitum , seu aviditatem sciendi , secundum rectam rationem. Huic virtuti opponitur per excessum nimia *curiositas* sciendi , seu plusquam oportet. Per defectum vero opponitur *negligentia* sciendi , quod sci e oportet.

14 Secunda species est *Philautia* , hoc est , habitus inclinans ad moderandum amorem erga se ipsum secundum rectam rationem. Vitium oppositum philautie per excessum est amor proprius sui immoderatus: quodque à N. Subt. Doct. vocatur *luxuria spiritualis* in Angelo. Iiii

Vitium per defectum oppositum est *odium* nimium ipsius personæ. Tertia species est *humilitas*, & est habitus inclinans in contemptu propriæ excellentiæ dictato secundum rectam rationem. Vitium per excessum oppositum humilitati est *superbia*, qua quis nimis se extollit. Per defectum vero est *abjectio* nimia sui ipsius, ut dum quis abjicit honorem debitum dignitati, & officio, quod possidet.

15 Quarta species temperantie, est *abstinentia*, seu *sobrietas*, & est habitus moderatus appetitus circa cibum, & potum secundum rectam rationem. Sed nota, quod abstinentia à cibo, & abstinentia à potu sunt quasi specie distinctæ; nam circa ipsas sunt diversa præcepta, diversèque difficultates superandæ; quare in probabili sententia exprimendum est in confessione: an in cibo, an vero in potu deliquerit? Vitium contra abstinentiam per excessum est *Gula*: per defectum vero est immoderata abstinentia, qua subtrahitur corpori necessarium ad conservationem vitæ, & salutis.

16 Quinta species temperantie est *castitas*, & est habitus moderatus appetitus cit-

ca venerea: Et est triplex *virginalis*, inclinans ad levitatem, necrum corporis, sed etiam mentis, per exclusiōnem omnis actus venerei, necrum externi, sed etiam interni, & affecti civi circa venerea. *Individualis*, quæ inclinat ad abstinentiam ab omni actu, & affectu venereo post dissolutum matrimonium. *Conjugalis*, quæ etiā permittat utrum venereorum inter coniuges, inclinat vero ad moderandum appetitum circa permitta ipsi coniugibus, & ad abstinentiam ab actu, & affectu venereo cum omni alia Persona. Castitati opponitur per excessum *Luxuria*, cuius sunt septem species videndæ apud Summistas. Per defectum vero non est vitium oppositum, nec virginali, nec individuali; coniugali vero potest assignari, scilicet, *negatio debiti* alicui ex confortibus iustè petenti, si non adest iusta causa ex parte alterius.

17 Sexta species temperantie est *Eutropelia* hoc est, bona conuersatio, seu urbanitas, & est habitus moderatus appetitus circa dicta, aut facta iucunda, faceta, & iocosa, quibus animus recreatur iuxta regulam rectæ rationis. Vitium oppositum *Eutropelia* est per excessum scur-

scurrilitas, & multiloquium; per defectum vero est *ruficitas, & aggressitas.* Septima species est *modestia*, & est virtus inclinans ad servandum modum secundum rectam rationem in verbis, & motibus externis. Unde bene dicitur, modestia à tentione modi. Unde vitium per excessum oppositum est immodestia positiva, quæ non servat debitum modum nec in externis factis, nec in incessu, nec in gestibus, nec in modo loquendi; sed propositum in his omnibus exceditur. Per defectum vero est quando deficit ab his omnibus.

18 Octava species est *mansiuetudo*, & est habitus inclinans ad imperturbabiliter ferendum, aut sustinendum præcisè malum secundum rectam rationem. Unde hæc virtus distinguitur à mansuetudine prout ab aliquibus ponitur species iustitiae, & à fortitudine prout partem irascibilem respicit. Virtus opposita mansuetudini per excessum dicitur *acerbitas*; per defectum autem nominari potest *segnities*, seu *stoliditas*. Unde extrellum per excessum evenit, cum irascimur pro his, aut de quibus, aut quando, aut contra eos, & quandiu non oportet. Per defectum vero, quando silemus, aut dissimu-

lans eos, quos non oportet simulare.

19 Tandem inter species temperantiæ ponitur ab aliquibus, *ornatus*; & est virtus inclinans ad servandam mediocritatem; seu est moderativa appetitus circa exteriorem cultum, tum corporis, tum dormitorum iuxta uniuscuiusque conditionem, & statum. Virium oppositum per excessum *ornatui*, dicitur *luxus*: per defectum vero appellatur *fordinies*. Unde mediocritas huius virtutis sumenda est, & firmanda ex conditione, & statu Personæ: ex consuetudine aliorum prudentum similis conditionis & statutus: ac tandem ex circumstantijs occurrentibus. Alia erga divisiones harum virtutum vide in N. Laurea hic.

QUEST. SEXTA, & ultima.

An dona; & fructus Spiritus Sancti; atque etiam beatitudines sunt habitus distincti à virtutibus Theologicas, & moralibus?

I **N**oster Subt. Doct. in 3. dist. 34. mſtra, pulchra-

et quaque tradit de donis fructibus Spiritus Sancti, atque etiam de beatitudinibus; quod & nos exequemur in hac quest. per triplicem conclusionem. Sed ante resolutionem nota, quod septem dona Spiritus Sancti nobis innotescunt ex Sac. Script. maximè ex cap. 11. Isaiae, scilicet, sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, & timor Dei. De his ergo queritur 1., an sint habitus distincti à virtutibus theologicis, & moralibus? includendo inter illas prudentiam; cum sit regulativa, & directiva singularium, & per conformitatem cum recto dictamine prudentiae, collituantur aliæ sub ratione virtutis moralis.

2. Notandum est simile quod fructus Spiritus Sancti duodecim numerantur ab Apost. cap. 5. Epist. ad Galat., scilicet, charitas, gaudium, pax, pacientia, benignitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, & castitas. Et de his etiam queritur, an sint virtutes, an vero delectationes consequentes actus virtutum? Similiter ex Mattheo cap. 5. octo enumerantur beatitudines scilicet, beati pauperes spiritu; beati mites; beati qui lugent; beati

qui esuriant; & sitiunt iustitia; beati misericordes; beati iudeo corde; beati pacifici; & tandem beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. De quibus est dissidium apud D.D. an sint actus, vel habitus? & an à virtutibus distincti?

3. Circa quam triplicem difficultatem Thomistæ communiter tenent, dona Spiritus Sancti esse habitus, & virtutes distinctas à virtutibus tum theologicis, tum moralibus. Fructus Spiritus Sancti non esse habitus, sed actus seu operationes; & tandem beatitudines esse quidem habitus distinctos, needum à virtutibus, sed etiam à donis. Angelicum Praeceptorem communiter sequuntur Thomistæ, & quamplures ex Jesuitis. Per oppositum N. Subt. Doct. cit. in 3. dist. 34. tener, Dona Spiritus Sancti, & beatitudines esse habitus indistinctos realiter, & essentialiter à virtutibus Cardinalibus, & Theologicis. Quoad fructus vero Spiritus Sancti tenet, quod quidam sunt virtutes; quidam vero sunt delectationes consecutæ ad actus. Subt. Doct. sequuntur quamplures Nominales, & communior pars Scotist. Per triplicem conclusionem hanc triplicem difficultatem resolvam. Sit ergo

Prima conclusio.

4 *Dona Spiritus Sancti non sunt habitus distincti à virtutibus moralibus, & theologicis; sed sunt ipsam virtutes.* Eit Doct. cit.: probaturque 1. ex ipso. Non est necessitas ponendi plures habitus in Viatore, ut ipsum perficiant in ordine ad vitam æternam, præter habitus septem virtutum ergo quia dona Spiritus Sancti non sunt habitus distincti &c. Prob. ant. per habitus septem virtutum sufficienter perficitur homo, ut vitam æternam assequatur: ergo non est &c. Prob. ant.: omne objectum, circa quod debet perfici viator, ejusque potentia in ordine ad vitam æternam, est Deus, & creatura; sed et ea Deum sufficienter perficitur Viator, ejusque potentia tribus virtutibus theologicis: & circa creaturam, per quatuor. Virtutes morales: ergo.

lis, & Auctor gratiæ, aliam cognitionem habemus viatores, quam fiduci; sed alias circa Deum, ut immediate diligibilem in te, & propter se, sufficienter perficitur per charitatem: & tandem circa ipsum, ut bonum nobis, & prout est nostra beatitudine obiectiva, sufficienter perficitur per ipsum: ergo &c.

6 Prob. cadem min. quoad 2. part.: circa creaturam intellectus viatoris sufficienter perficitur per prudentiam; quia prudentia est de omnibus agibilibus secundum omnem conditionem, & directiva, regulativaque totius honestatis, quæ apta est inesse actibus nostris in via; sed alias voluntas viatoris sufficienter perficitur per alias tres virtutes appetitivas; nam per iustitiam perficitur in ordine ad alterum voleudo ipsi omnem bonum, & nolendo ipsi malum: & in ordine ad le appetendo ordinante sibi bonum, & nolendo malum, perficitur temperantia: & in ordine ad propellendum, vel non propellendum offendens perficitur fortitudine: ergo in ordine ad vitam æternam consequendam sufficienter perficitur homo tum virtutibus moralibus, tum Theologicis: & consequenter dona Spiritus Sancti non sunt ponendi habitus realiter distincti à septem virtutibus.

Pro-

7 Prob. 2. conclusio cetero
tendo præcipuum fundamentum
contrariorum: ideo, juxta Con-
trarios, dona Spiritus Sancti sunt
habitus realiter distincti à virtu-
tibus moralibus, & theologicis;
quia per illa perficitur viator per
fectissimo modo ad recipiendum
instinctum specialem Spiritus
Sancti; sed hæc ratio nulla est;
ergo &c. Prob. min.: vel dona
sunt necessaria ad sic perficien-
dam perfectissimam potentiam pas-
sivam viatoris, ut recipiat mo-
tionem extraordinariam Spiritus
Sancti; vel ad perficiendam
potentiam activam, ad hoc, ut
mota extraordinaria motione
operetur instinctu Spiritus Sancti?
sed nec ad perficiendam poten-
tiam passivam, nec ad activam,
sunt necessaria dona, ut habiatis
distincti à virtutibus: ergo Min.
quoad 1. part. est incon-
cussa in doctrina Doct.
quia ex parte potentiarum passivarum
nulla requiritur dispositio in
potentia ad ullam formam super-
naturalem recipiendam: & quando
requireretur, sufficerent vir-
tutes morales, & theologicæ.

8 Prob. min. quoad 2.
partem: potentia activa viatoris
per habitus infusos est constitu-
ta in ordiné divino operativo,
& proportionata ad coagendum
modo divino, & supramodum
humatum: ergo non requiriun-
tur talia dona. Antec. constat;

quia si per solum auxilium ele-
vatur potentia naturalis ad ac-
tus supernaturales, qui sunt pre-
via dispositio ad recipiendos ha-
bitus infusos ab adultis; à for-
ti per habitus infusos constitue-
tur potentia, & elevabitur in
ordine divino ad operandum cum
extraordinaria motione Spiritus
Sancti actus ordinis divini excel-
lentissimi; & consequenter ad
hoc non sunt necessarii habitus
realiter distincti, scilicet, dona
Spiritus Sancti.

9 Confirmatur, & impug-
natur amplius fundamenū Tho-
mistarum: si dona Spiritus Sanc-
ti, ut habitus realiter distincti à
virtutibus theologicis, perfice-
rent viatorem, ut perfectiori, &
excellenter modo moveretur à
Spiritu Sancto, & sic excellenter
modo operaretur; sequere-
tur, quod talia dona essent per-
fectiora, & altioris ordinis, quam
virtutes infusæ, & consequen-
ter, quam charitas; sed hoc est
falsum; quia charitas est maior
omnium donorum: ergo. Maior
constat, quia ex eo inferunt Thomi-
stæ, quod virtutes infusæ sunt
perfectiores acquisitis; quia exi-
gunt per se stius movens; dispo-
nunt ad motionem excellentio-
rem, atque ad actus excellentio-
res eliciendos virtutes infusæ,
quam acquisitæ: ergo hac eadem
ratione dona Spiritus Sancti erunt
per

perfectiora virtutibus infusis, &
consequenter charitate.

10 Sed ut circa hoc omnis equivocatio tollatur (in qua meo videri laborant Contrarii) notandum est, quod dum dicimus, quod virtutes morales, & theologicæ possunt perficere viatorem in ordine ad vitam eternam consequendam, loquitur de virtutibus habitualibus in gradu perfectissimo; nam prout sic possunt perficere viatorem tam in ordine, ad Deum, quam ad Creaturam, quantum perfici potest in via; in hoc enim sensu, loquitur Subt. Doct.; nam loquendo de Theologicis, inquit: perficitur tribus virtutibus Theologicis: & hoc perfectissime, quantum perfici potest, si illi tres habitus sint perfectissimi in suo genere. Unde ratio Subt. Doct. non est diminuta, ut male ei imponit Caietanus.

Solvuntur argumenta contra istam conclusionem.

11 Arguitur 1. ex Div. Gregor. Mag., qui lib. 1. Moralium cap. 28. explicans verba Job.: *natis sunt ei septem filiae: Per septem Filios inteligit septem dona Spiritus Sancti.* Per tres fi-

liastris tres virtutes theologicas; & per quatuor angulos domus, quæ Filios opprimit, intelligi quatuor virtutes Cardinales; sed huiusmodi exppositio non subtiliteret, nisi admittieretur pluralitas specifica, & distinctio essentia lis inter dona Spiritus Sancti, Virtutes Theologicas, & morales: ergo admittenda est. Relp. 1. negando min. ; nam etsi admittatur talis exppositio, non lequitur necessario aliqua distinctio talium virtutum inter se; siquidem consuetudo est S. S. P.P., eamdem rem omnino indistinctam diversis nominibus appellate, & diversis rebus comparare.

12 Resp. 2. quod Div.

Greg. non distinguit absoluta septem dona a virtutibus theologicis, & moralibus in genere qualitatis, vel habitus ex natura rei, sed respective secundum diversas habitudines, aut connotata; nam prout sunt regulæ humanarum actionum dicuntur virtutes; prout autem regulant propter ultimum finem, dicuntur dona. Unde per ordinem ad perfectiores actus, & excellentiorem modum operandi, ac superiora principia in ordine ad tales actus dicuntur dona quoad modum distincta a virtutibus vero quoad entitatem.

Pri^{ter} quamquod in hac materia S.S. P. P. non cogitabant de distinctione, aut indistinctione donorum à virtutibus. Unde non est cur in hoc multum immoremur.

13. Arguitur 2. : Philos. 7. Eihic, supra virtutem communem ponit virtutem heroicam constituentem hominem in esse divino; sed per virtutem heroicam intelliguntur dona: ergo hæc sunt distincta à virtutibus. Resp. cum Doctore cit. in fine, Aristotelem numquam dixisse virtutem communem, & heroicam importare habitus specificè, & essentialiter diversos, in modo oppositum; quia potius dixit esse eundem habitum in esse imperfecto, & perfecto; prout in perfectissimo gradu denominatur *donum*; prout in perfecto vero, aut in imperfecto denominantur merè virtutes morales, quas tantummodo potuit agnoscere Philosophus. Unde ut per se monui, in hac materia non est multū adhucendum dictis Philosophorum.

14. Arguitur 3.: septem dona Spiritus Sancti fuerunt in Christo Domino; sed in Christo Domino non fuit fides, & spes: ergo, quia hæc dona sunt distincta à virtutibus theologicis, &

moralibus. Resp. conc. mai. distingu. min.; sed in Christo non fuit fides, nec spes quoad imperfectionem obscuritatis, & absentie, conc. min.; quoad rationem habitus, & perfectionem, nego min. & conseq. Dona ergo fuerunt Christo Domino communicata, non secundum eamdem rationem, ac nobis, sed longe perfectiori, & eminentiori modo. Quare licet in Christo non fuerit fides, nec spes secundum conceptum imperfectum obscuritatis, fuerunt tamen eminentissimæ; quia sine obscuritate, & absentia, quibus nos cognoscimus, & speramus in via, habuit Christus Dominus perfectiori, & excellentiori modo dona fidei, & spei.

15. Arguitur 4. : dona Spiritus Sancti sunt virtutes per se infusæ; sed iuxta nos Disp. 4. non dantur virtutes morales per se infusæ: ergo quia dona Spiritus Sancti sunt habitus realiter distincti à virtutibus moralibus. Respondeo, distingu. mai.: dona Spiritus Sancti sunt virtutes per se infusæ, in quantum sunt à Deo donata, conc. mai.: per se infusæ *infusions proprie*, & rigurose juncta, sicut sunt virtutes theologicas, nego maiorem. Et concess. min. nego conseq. Itaque dona Spiritus

tus Sancti donantur à Deo, sed non proprié infunduntur; alias omnibus, & singulis donarentur, dum infunduntur virtutes theologicæ, quod non conceditur. Deinde, et si vittutes morales non sint per se infusæ, possunt tamen per accidens infundi.

16 Arguitur ultimo: virtutes, & habitus specificantur per actus: & sic secundum diversitatem actuum, diversi habitus, seu virtutes assignari debent; sed dona Spiritus Sancti, & virtutes morales habent actus omnino diversos: ergo. Prob. min.: actus virtutum proveniunt ab illis secundum regulam rationis, ac prudentiæ humanæ, si sunt naturales: vel prudentiæ infusæ, si sunt supernaturales; sed actus donorum non procedunt ab ipsis nec secundum prudentiæ humanæ, nec secundum infusam, sed ex specialissimo instinctu Spiritus Sancti moventis ad ipsos, ut constat in exemplis Samsonis, Eleazari, aliorumque Martyrum se voluntarie morti tradentium: ergo.

17 Resp. omitta mai. neg. min. loquendo de diversitate specifica, & essentiali. Ad probat. nego minorem, quia etiam actus virtutum cadunt sub motione divina, & perficiunt hominem secundum divi-

num instinctum in ordine ad ultimum finem. Et hoc convenit actibus virtutum theologiarum ex se, & ex proprio genere; actibus vero moralium, quatenus elevantur per virtutes theologicas; sic enim ipsæ constituant hominem sub speciali assistentia Spiritus Sancti. Deinde extraordinariae, & speciales motiones Spiritus Sancti ad tales speciales actus donorum requiruntur, ut constet de eorum licentia, & permissione. Attamen supposita tali licentia, & permissione non minus pertinent tales actus essentialiter ad species virtutum, quam alij actus ordinarij: & ideo pro eis non est ponendus novus habitus essentialiter distinctus à virtutibus, theologicis, & moralibus.

Secunda conclusio.

18 *Fructus Spir. Sancti,* quidam sunt virtutes; quidam vero sunt delectationes consequentes actus virtutum. Hæc conclusio est expressa N. Subt. Doct. in 3. distinct. 34. num. 20. uni ait: *de fructibus dico, quod quidam illorum sunt virtutes, secundum illum regulum, secundum quam enumeratae sunt in illo septenario; quidam autem sunt species virtutum*

Kkkk

ibid.

dem enumeratarum: & quidam nec sic, nec sic, sed delectationes consequentes actus. Hæc Subt. Doct. Et quidem hæc conclusio melius probari non potest, quam reducendo cum ipsom Subt. Doct. tales fructus ad aliquam ex septem virtutibus theologicis, & moralibus, quod sequendo ejus vestigia, sic

19. Ostendo: primus *fructus est charitas*; & hic reducitur ad ipsum habitum charitatis, qui est principalior ex virtutibus theologicis. Secundus Fructus est *gaudium*. & hoc, ait Subt. Doct., est delectatio concomitans, vel consequens actum charitatis, qui est omnium perfectissimus, quoquè unimur summo bono; quare merito ponitur immediate post charitatem. Tertius est *pax*, & hic Fructus, ait Doct., potest dici delectatio, vel potius securitas habendi objectum sine repugnativa; ex quaque securitate sequitur delectatio. Sed nota, quod securitas huius fructus in via ad summum potest esse moralis ex probabilibus conjecturis, ut ex testimonio conscientie, nisi ad sit specialis Dei. revelatio.

20. Quartus Fructus est *pacientia*, quæquè, ex dictis quæst. 4. huius, reducitur ad

fortitudinem, ut potè perfectissima species ipsius. Quintus Fructus est *benignitas*, & benignitate enumerat Subt. Doct. inter species iustitiae quæ etiam ad temperantiam pertinet. Sextus Fructus est *bonitas*: per bonitatem intelligitur iuxta Doct. misericordia: ratio est; quia bonus communiter dicitur, qui se communicat proximo, & licet plures sint species virtutum, quibus potest quis se communicare proximo, hoc principaliter efficit per misericordiam; unde ad ipsam recte reducitur bonitas.

21. Septimus Fructus est *longanimitas*, & hæc, ait Doct., reducitur ad virtutem spei; quare dicit: unde legitur de Patriarchis: *longanimes in spe: quasi in longum animosè spectantes*. Octavus est *mansuetudo*: & hæc potest esse species, aut iustitiae, aut fortitudinis, aut temperantiae. Sed Subt. Doct. in prælenti docet, per mansuetudinem specialiter exprimi obedientiam, quæ est species iustitiae; quia mansuetus est, qui exequitur iniuncta, seu precepta sine murmate, & resilientia. Novus Fructus est *fides*, & hic est idem cum virtute theologica fidei. Decimus Fructus est *modestia*, quæ ad prudentiam

reduci debet; cum invenire modum in actionibus sit proprium prudentiae. Sed, si mavis, ut dixi, quæst. antec. ad temperantiam attinet; quia inclinat ad modum inventum, & præfixum per prudentiam proprium est temperantiae.

22 Undecimus est *continentia*, quæ est species temperantiae prout hæc est circa quæcunque delectabilia. Duodecimus tamen est *Castitas*, quæ etiam est species temperantiae, prout hæc inclinat ad moderanda venerea. Ut hæc omnia melius intelligantur, recolenda sunt quæ diximus tribus questionibus antec. agendo de speciebus trium virtutum moralium appetitivarum: ex quibus omnibus infero: ergo duodecim fructus Spiritus Sancti (excepto gaudio) & pace, qui sunt delectationes subsecutæ ad charitatem) omnes alii ad aliquam ex virtutibus, sive theologicis, sive moralibus reducuntur; & consequenter non sunt habitus realiter distincti ab ipsis.

23 Dices 1. contra hoc: non est idem numerus virtutum, & fructuum: ergo non sunt idem habitus. Resp. 1. negando consequent. ; quia nec PP., eundem numerum ponunt uniformiter; maxime in beatitudinibus: Imo Lucas posuit quaror, ubi Mat-

thæus posuit octo. Respondeo 2. & melius, cum Subt. Doct. negando antec. ; quia septem virtutes non sunt species infimæ, sed subalternæ; unde maior numerus fructuum quam optimè contingit potest sub septem virtutibus semel ac istæ sint species subalternæ.

24 Dices 2. : Fructus non sunt habitus: ergo non sunt idem cum virtutibus. Prob. antec. Fructus sunt actus, seu operationes: ergo non sunt habitus. Prob. antec. ; nam Matthæi cap. 7. dicitur: à fructibus eorum cognoscetis eos: : non potest arbor bona malos fructus facere: ergo hic per fructus intelliguntur opera, & actus, & consequenter &c. Respond. neg. antec. & antec. probationis. Ad probat. dico, quod in præfito texis solum metaphoricè significantur opera bona externa per fructus; quia significantur opera, per quæ nos in hoc statu possimus discernere inter bonos, & malos; unde illa opera dicuntur fructus; per modum signi; veruhamen, nec ipsa opera externa, nec interna sunt fructus Spiritus Sancti, quos Apostolus enumerat; cum ipsa nomina, quibus fructus exprimitur, potius habitus, & delectationes significant, quam actus. Præterquamquod: si essent actus nullus posset dici habere Kkkk 2 fruc-

fructum Spiritus Sancti, nisi quando elicet actum illorum; sed hoc nequit dici: ergo quia fructus Spiritus Sancti non in actu, sed in habitu consistunt.

25 Tertia conclusio: octo beatitudines enumeratae à Matthæo cap. 5. sunt habitus, & non actus, indistincte à virtutibus theologicis, & moralibus appetitivis. Hæc conclusio quoad 1. part. est contra Angelicum Præcept. 1. 2æ. quæst. 69. artic. 1., ubi aliter, beatitudines esse actus virtutum, & donorum. Quoad 2. vero partem videtur contra Seraphicum Doct. in 3. dist. 34. artic. 1. quæst. 1., ubi censere videtur, beatitudines esse habitus, sed distinctos à donis, & virtutibus. Conclusio prout iacet, est N. Doct. persæpe cit. in 3. nam. 18, ubi ait: dico, quod beatitudines, quas ponit Salvator Matthæi 5. sunt idem habitus cum habitibus virtutum, tamen aliquando nominantur species specialiores virtutum: ergo iuxta Doct. beatitudines non sunt actus, sed habitus indistincti à virtutibus.

26 Prob. tamen conclusio quoad 1. part., scilicet, quod beatitudines non sint actus: Omnes actus, in quibus

collocantur beatitudines, presuponunt habitus, & hoc maxime apud Thomistas, qui dicunt, tales actus esse ex virtutibus infusis; sed hoc ipso tales habitus, prout sunt principia talium actuum, debent dici beatitudines: ergo quia istæ consistunt in habitibus. Prob. min.: qui habet habitum inclinante ad patiendum actualiter, aut ad dandam eleemosynam, dicitur simplicitur patiens, & misericors, quamvis pro tunc nullum actum patientiæ actu eliciat, aut eleemosynam elatiatur; ergo dum aliquis dicitur beatus beatitudine alicuius virtutis, quæ habetur in via, id debet intelligi potius de beatitudine habituali, quam de actuali; & consequenter beatitudines potius in habitibus, quam in actibus consistunt.

27 Prob. 2, hæc pars conclusionis; illi, qui actu habent actus, per quos exprimuntur beatitudines, non solum denominantur actu beatissimæ, sed etiam permanenter; si in accepta iustitia, seu in gratia permaneant; sed hæc denominatio permanenter nequit provenire ex eo, quod in actu habeant beatitudines; cum talis actus sit quid transiens: ergo talis denominatio de-

bet provenire ex eo, quod habitualiter habeat ipsasmet beatitudines; & consequenter istae in habitibus confilitant. Urgetur; quia cum in prima beatitudine dicitur, *beati pauperes*, non intelligitur actus aliquis, sed potius habitus inclinans ad divitias contemnendas; sed hoc idem intelligitur de ceteris beatitudinibus: ergo &c.

28 Prob. iam secunda pars conclusionis, scilicet, quod beatitudines sint habitus indistincti à virtutibus tum theologicis, tum moralibus. Et 1. probari potest eadem ratione, qua probata fuit prima conclusio à numero 4. huius; quia beatitudines versantur circa idem objectum materiale, & formale, circa quod versantur virtutes morales appetitivæ; sed habitus specificantur ex diversitate, aut identitate objecti materialis, & formalis: ergo cum objectum tam materiale, quam formale beatitudinum sit idem ac objectum materiale, & formale virtutum moralium, & theologicarum, sequitur, quod sint habitus indistincti.

29 Prob. min. & in simul conclusio, reducendo singulas beatitudines ad aliquam ex virtutibus, cum nostro Doct. cit.

Prima namque beatitudo est *beati pauperes spiritu*, & hæc reducitur, iuxta Doct., ex mente Mag. P. August. ad temperantiam. Secunda est: *beati mites*; & hæc beatitudo iuxta aliquos reducitur ad humilitatem etiam; sed Subt. Doct. non sumit hic præcisæ *mittitatem*, prout dicit negativum non offendendi, sub qua ratione ad temperantiam pertinet; sed etiam accipit *mittitatem*, in quantum per illud negativum significatur communicatio, qua quis se communicat proximo; sub quaqué consideratione hæc beatitudo est species virtutis iustitiae,

30 Tertia beatitudo est: *beati qui lugent*: Subt. Doct. sumit hic luctum pro desiderio eternorum, iuxta illud Psalm. 41.: *fuerunt mibi lacrymæ meæ panes die, ac nocte*, dum dicitur *mibi quotidie, ubi est Deus tunc*. Quare in hac acceptione sumpta hæc beatitudo pertinet ad virtutem theologicam spei; luctus enim est habitus desiderandi illud, hoc est, beatitudinem. Alijs intelligentijs sum solet hæc beatitudo; sed semper ad aliquam ex virtutibus appetitivis reducitur ab omnibus Theologis. Quarta beatitudo: *beati qui esuriunt, & sitiunt infi-*

iustitiam. Hæc esuries, & si-
ties sumunt spiritualiter. Va-
riant Theologi in assignanda
specie virtutis, cui hæc beatitudo
reducitur. Noster Doct. re-
tinet, quod ad charitatem, qua
diligimus Deum ipsum, & in
cuius dilectione veram esu-
riem, & sum patitur anima,
juxta illud Psalm. 41. *sicutivit*
anima mea ad Deum. Et Eccles.
24.: *qui edunt me, adhuc esu-*
rient, & qui bibunt me, adhuc
ssident.

31 Quæstra beatitudo
est, *beati misericordies*: & hæc,
continetur sub virtute iustitiae
cardinalis, ut species ejus; nam
est virtus, qua conferetur be-
neficium indigenti. Sexta beatitudo,
beati mundo corde. Ali-
qui dicunt hanc beatitudinem
esse parentiam omnis peccati;
aut exercitium omnis virtutis.
Noster autem Subt. Doct. ait,
hanc munditatem cordis sumi
pro castitate: *munditia enim*
cordis (ait) *est immunitas vo-*
luntatis ab omni inordinata de-
lectatione. Et sic hæc virtutis
temperantiae species est. Septima
beatitudo est: *beati pacifici;* un-
de idem est, ac *pax*: *pax quippe,*
(ait Subt. Doct.) *servatur in*
boc, quod presidens recte regit,
& subditus obedit.: Quare hæc
beatitudo ad species iustitiae
attinet.

32 Octava tandem, &
ultima beatitudo est: *beati, qui*
persecutionem patiuntur propter
iustitiam. Hec beatitudo com-
muniter intelligitur de patientia,
in persecutione, quæ est
species fortitudinis; sed non
de quacumque patientia, in-
telligenda est, sed de ea, quæ
habetur propter iustitiam. Ex
his ergo omnibus constat, quod
octo beatitudines, de quibus
in præsenti est sermo, si suman-
tur actualiter, non disiunguntur
ab habitibus; si vero suman-
tur habitualiter, tunc non dis-
tinguuntur ab habitibus bene
vero ab actibus virtutum. Qui
plura circa explicationem Do-
notum, Fructum Spiritus Sancti, ac octo beatitudinum deside-
raverit, legat N. Lychetum in Comentarijs Subt. Doct. su-
per hanc distinct. 34. Tertij,
a num. 119., ubi varias, pulchras-
que expositiones horum omnium
inveniet; nos enim stediuinus
brevitati, & conformitati cum
mente N. Doct.

Solvuntur argumenta
contra primam partem
huius conclusionis.

33 Arguitur I. ex
Philos. 1. & 3. Ethic. ubi ex-
pref-

se tenet, quod beatitudo non consistit in habitu: ergo idem dicendum est de beatitudinibus viae. Antec. constat; quia si beatitudo consisteret in habitu, dormiens ait Philosophus, esset felix, & beatus. Resp. 1. negando conseq.; quia Philos. loquebatur de beatitudine ultima simpliciter, quæ non ordinatur ad aliam; & consequenter est actus; nam omnis habitus ordinatur ad actum; non autem loquebantur de beatitudinibus viæ, quæ iuxta omnes non sunt ultimæ: & hoc sive consistant in actu, sive in habitu.

34 Respondeo 2. negando mai.; ad cuius probationem dico, quod potius favet nobis, quam contrarijs. Ratio est; si dormiens possit dici felix, aut beatus, beatitudines non consisterent in actu, aut operatione, iuxta Philos.; sed certum est, quod dormiens non habens actu operationes, seu actus beatitudinem viæ, merito debet dici beatus, seu felix; maxime si dum vigilans exercuit frequenter operationes earum, & hoc etiam admittitur a Thomistis: ergo, quia istæ beatitudines non sunt collocandæ in actibus, seu operationibus, sed potius in habitibus consistunt.

35 Arguitur 2.: beatitudo Patriæ consistit in actu, sive intellectus, sive voluntatis, sive utriusque simul, iuxta diversitatem opinionum: ergo & beatitudines viæ debent consistere in actibus, & non in habitu. Respondeo negando consequentiam. Disparitas est; quia actus, in quo consistit beatitudo Patriæ, quicunque hic sit, est aliquid semper permanens; actus autem, in quo consisteret beatitudo viæ, non posset esse sic permanens; sed potest esse, qui dicitur beatus, sine illo longo tempore, propereaque non est eadem ratio de beatitudine viæ, ac de beatitudine Patriæ; nam cum actus Patriæ permanens sit, tam visio- nis, quam fruitionis, potest, & debet in ipso permanenter consistere beatitudo Patriæ; se- cas vero dicendum est de actibus, & operationibus beatitudinum viæ, quæ cum trans- feentes sint, nequeunt in ipsis permanenter existere beatitudines.

36 Arguitur 3.: beatitudo viæ est beatitudo in spe; sed hoc ipso nequit consistere in habitu: ergo &c. Prob. min.: beatitudo in spe est qua mo- vetur homo ad beatitudinem ultimam Patriæ per actum actum ali-

aliquem heroicum ad assequendam ultimam beatitudinem in Patria, seu prout tales actus habent gradum eminentem perfectionis: ergo beatitudo in spe nequit consistere in actu, sed in habitu. Antec. constat; quia non dicitur beatus quilibet per quoscumque actus virtuosos, sed per excellentes, & heroicos; non enim quilibet liberalis dicitur beatus; sed ille qui est liberalis in gradu heroico, & excellenti. Conseq. etiam patet; quia non movetur quis ad talam beatitudinem in gradu heroico per habitum, sed per actum.

37 Respond. concess. mai. nego min.; ad probationem disting. ant.: beatitudo in spe est, qua moverur homo ad beatitudinem ultimam Patriæ per aliquem actum heroicum *causaliter*, & *efficienter*, conc. antec.; qua moverur *formaliter*, nego antec., & distinguo conseq.: ergo beatitudo in spe nequit consistere in actu, sed in habitu *causaliter*, & *efficienter*, conc. conseq.: *formaliter*, & *intrinsicè*, nego conseq. Itaque verum est, quod per actus heroicos movetur homo ad assequendam beatitudinem Patriæ; ceterum ad istos actus inclinat habitus beatitudinis viæ, qui est *causa* ipsorum,

per ipsoque augetur, & est beatitudo viæ formaliter.

38 Arguitur ultimo: qui est beatus beatitudinibus viæ, vel in hac vita, vel in altera consequetur præmium particulare promissum a Christo Domino his beatitudinibus; sed hoc ipso nequeunt consistere in habitibus, sed in actibus: ergo &c. Prob. min.: si ponetur in homine omnes habitus viæ in suprema perfectione, nisi haberet actus secundos correspondentes talibus beatitudinibus; v. g. pati, aut velle contemnere honores, & divitias, non consequenter præmium particulare correspondens his beatitudinibus; quia præmium non correspondet habitibus sed actibus, in quibus stat ratio meritii: ergo &c.: Confirmatur etsi Parvulo infunderentur habitus perfectissimi patientiæ, misericordiæ &c.: imo etsi infunderentur Adulto; dummodo postea nullum eliceret actum, quamvis in gratia migraret, isti non essent beati in via; quia in Patria non haberent aliquod speciale præmium correspondens his beatitudinibus: ergo &c.

39 Resp. disting. mai.: qui est beatus beatitudinibus

vel in hac vita , vel in altera , consequetur præmium particulae promissum a Christo Domino his beatitudinibus , ut abstrahunt ab omni actu , ego mai. , imo , & suppositum ; ut connotant actum , conc. mai. , nego min. & conseq. : ad probat. conc. antec. & nego conseq. Itaque Christus Dominus dum promittit præmium beatitudinibus , fumit beatitudines cum exercitio , non tamen prout abstrahunt ab actibus ; sed ex hoc non sequitur , quod beatitudines consistant formaliter in exercitio , seu actibus , quod sic ostendo : virtutes morales consistent in habitibus , & non in actibus : Idem dicendum est de theologicis , ut satis respective locis probavimus ; virtutibus autem non correspondet præmium , quin exceantur per suos respective actus . Ita ergo pariter in praesenti : licet beatitudinibus non corrispondeat præmium sine exercitio suorum actuum , tamen in tali exercitio non stat formaliter beatitudo , sed in habitu inclinante ad tale exercitium .

40 Ad confirmationem . nego antec. ; quia sicut essent virtuosi , si ipsis infunderentur virtutes morales , quamvis præmium illis non corrispondet

sine exercitio virtutum ; sic si militer essent beati beatitudinibus viae , et si ex defecta exercitij non responderet illis in Patria speciale præmium promissum beatitudinibus prout transeunt in actus suos .

41 Pro pleiori intelligentia omnium dictorum in ista quest. notandum est , quod aliqua distinctio adstruenda est inter *Virtutes* , dona , fructus Spiritus Sancti , atque beatitudines . Ut enim nati sunt tendere in objectum cum debitis circumstantijs , & secundum rectam rationem , dicuntur *Virtutes* : ut constituuntur , & collocantur per gratiam specialem Dei in aliqua eminenti perfecione , dicuntur *d.na* ; & ut ita constituti inclinant in excellentes actus , quibus actibus promittitur a Christo Domino particulae præmium , dicuntur *beatitudines* . Et tandem dicuntur *fructus* prout sequuntur gratiam adoptionis , & nati sunt ea dare delectationem medij suis actibus . Hæc de *Donis* , *Fructibus* , *beatitudinibus* que sufficient ; imo & de virtutibus omnibus tum *Moralibus* , tum *Theologicis* . Dominus , & Rex virtutum his omnibus nos cimulet , & ornet in via , ut cum ipsis nos coronet in Patria . AMEN .

INDEX TRACT., DISPUT., QUÆSTT., ET
Sectionum, quæ in hoc Tomo octavo
continentur.

TRACT. IV. DE FIDE DIVINA.

- Disput. 1. De Fidei Divinæ objecto formalis. fol. 2.
Quæst. 1. Quodnam sit objectum formale Fidei? f. 3.
Sect. 1. An Deus sub ratione Deitatis, & prout præscindit à veritate fit objectum formale fidei Divinæ? f. 4.
Sect. 2. An Divina revelatio sit objectum formale motivum fidei nostræ? f. 11.
Sect. 3. An Divina authoritas, prout explicat sapientiam, & veritatem, sit objectum formale motivum nostræ fidei? f. 20.
Quæst. 2. Utrum Divina authoritas sit motivum in trinsecum actus fidei? f. 33.
Quæst. 3. Ex quo motivo fides assentiat ipsi Divinæ aut horitati? f. 39.
Quæst. 4. , & ultim. Ex quo motivo ducamus ad assensum Divinæ revelationis? f. 48.
Disp. 2. De Objecto materiali Fidei Divinæ. f. 64.
Quæst. 1. Quodnam sit objectum materiale fidei Divinæ? f. Ibid.
Quæst. 2. An omnia objecta credenda sufficienter continentur in Symbolo Fidei? f. 70.
Quæst. 3. An revelata propositione universalis, singulares sub ipsa contentæ sint de fide Divina; dum constant de certitudine continentia? f. 76.
Quæst. 4. An sit obiectum materiale fidei hæc propositio: Clemens XIII. est versus Pontifex? f. 82.
Quæst. 5. An propositio, seu conclusio illata ex duabus præmissis de fide; vel ex una de fide, & alia evidenti nataturaliter, sit etiam de fide? f. 97.
Quæst. 6. & ultim. An Canonizatio SS. sit obiectum materiale fidei? f. 104.
Disp. 3. De Infallibilitate divini testimonij, fidei quæ divinæ. f. 111.

Quæst.

- Quæst. 1. An Deus possit fallere , vel mentiri? Ibid.
Quæst. 2. An Deus possit infundere factum , vel habitum
erroris? f. 119.
Quæst. 3. An fides divina possit subesse falso per se , vel per
accidens? f. 128.
Quest. 4. & ultim. An Deus valeat facere miracula in confir-
mationem doctrinæ falsæ? f. 135.
Disp. 4. De obscuritate fidei ; eius quæ certitudine. f. 143.
Quæst. 1. An cum evidentia in attestante possit stare fides
meritoria , & obsequiosa? Ibid.
Quæst. 1. An obscuritas rei revelata spectet ad rationem for-
malem fidei? f. 156.
Quæst. 3. An fides , & Scientia possint esse simul de eodem
objecto? f. 160.
Quæst. 4. An assensus fidei sit perfectior , & certior assensu
Scientiarum naturalium? f. 174.
Disput. 5. De credibilitate , & veritate mysteriorum nostræ
fidei? f. 175.
Quæst. 1. Proponuntur signa prudentis credibilitatis myste-
riorum nostræ fidei. Ibid.
Quæst. 2. An , & quomodo mysteria nostræ fidei sint cre-
dibilia? f. 182.
Quæst. An , & quomodo mysteria nostræ fidei sint evidenter
vera? f. 191.
Quæst. 4. An in omnibus creditibus debet precedere Ju-
dicium evidens credibilitatis mysteriorum fidei? f. 196.
Disp. 6. De propositione externa objecti; de quæ pia motione
voluntatis prærequisitis ad assensum fidei? f. 204.
Quæst. 1. An , & quæ propositio objecti externa sit neces-
saria ad fidem? Ibid.
Quæst. 2. An ad assensum fidei sit necessaria pia motio posi-
tiva ex parte voluntatis? f. 207.
Quæst. 3. An hæc pia affectio voluntatis ad credendum debeat
esse supernaturalis? f. 223.
Quæst. 4. An ad piam motionem voluntatis sit necessarius
in ipsa aliquis habitus supernaturalis infusus? f. 227.
Disput. 7. de Fide divina habituali. f. 231.
Quæst. 1. An sit , quid sit fides habitualis Theologica? Ibid.
Quæst.

- Quest. 2. Ad quid sit necessaria fides habitualis infusa? f. 234.
 Quest. 3. An aliquis possit certo cognoscere se habere fidem
infusam? f. 236.
 Quest. 4. An habitus fidei sit unus: & an practicus, vel spe-
culativus? f. 234.
 Quest. 5. An fides habitualis sit discursiva: & an distincta
ab habitu Theologico? f. 247.
 Quest. 6. De subiecto fidei habitualis infusae, f. 252.
 Disput. 8. de fide divina actuali. f. 258.
 Quest. 1. Quid, quotplex que sit fides actualis? Ibid.
 Quest. 2. An assensus fidei infusa sit supernaturalis quoad
subitantiam? f. 260.
 Sect. 1. In quo consistat supernaturalitas entis creati? f. 261.
 Sect. 2. In qua resolvitur difficultas in Questione proposita f. 266.
 Quest. 3. An possit dari assensus fidei naturalis acquisitae cir-
ca obiectum tam materiale, quam frimale fidei infusa? f. 270.
 Disput. 9. de necessitate, obligatione, & confessione
externa fidei. f. 279.
 Quest. 1. An fides fuerit necessaria ad salutem, & justificatio-
nem omni tempore? Ibid.
 Quest. 2. de quibus mysterijs sit necessaria necessitate
medij ad salutem fides supernaturalis explicita? f. 282.
 Quest. 3. de obligatione orta ex precepto circa mysteria nos-
tre fidei. f. 292.
 Quest. 4. de obligatione confitendi fidem externe. f. 296.
 Disput. 10. de regula visibili fidei divinae. f. 303.
 Quest. 1. An sit necessaria in Ecclesia Dei infallibilis, & sensi-
bilis regula fidei: an una, vel plures: quemam que ha-
sint? f. Ibid.
 Quest. 2. An summus Pontifex sit regula animata infallibi-
lis fidei? f. 314.
 Quest. 3. An summus Pontifex adhuc ut persona particularis,
possit esse formaliter haereticus? f. 320.

TRACT. V. DE VIRTUTE THEOLOGICA SPEI. f. 337.

- Disput. 1. de Essentia, existentia, & necessitate spei habitua-
lis. f. Ibid.
 Quest.

- Quæst. 1. Quid, & quotuplex sit spes Theologica? Ibid.
 Quæst. 2. An spes habitualis infusa sit simpliciter necessaria? f. 339.
 Quæst. 3. An spes sit virtus Theologica, distincta quæ à fide, &
 Charitate? f. 343.
 Quæst. 4. Ad quam potentiam pertineat spes? f. 350.
 Quæst. 5. & ultim. An, & quomodo spes infusa sit certa? f. 352.
 Disput. 2. de objecto tam materiali, quam formalí spei Theo-
 logicae. f. 355.
 Quæst. 1. Quodnam sit objectum materiale virtutis spes? Ibid.
 Quæst. 2. Quodnam sit objectum formale virtutis Spei? f. 362.
 Quæst. 3. An beatitudo aliena sit objectum materiale spes pro
 priæ? f. 369.
 Disput. 3. de Spe actuali, eius quæ actibus, & obligatione. f. 337.
 Quæst. 1. In quo actu voluntatis consistat formaliter actus
 spes? Ibid.
 Quæst. 2. An actus spes procedat à voluntate ut concupisci-
 bili, vel ut irascibili? f. 376.
 Quæst. 3. An sit actus spes supernaturalis operari intuitu re-
 tributionis eternæ? f. 379.
 Quæst. 4. An, & qualis timor sit actus spes supernaturalis? f. 382.
 Quæst. 5. & ultim. An: quomodo: quo quæ tempore obligent
 actus spes supernaturalis? f. 386.
 Disput. 4. De subiecto spes theologice. f. 383.
 Disput. 4. de subiecto spes theologicae. f. 387.
 Quæst. 1. In quibus viatoribus sit spes theologica? Ibid.
 Quæst. 2. An in Beatis detur spes theologica? f. 390.
 Disput. 5. & ultim. de Vitijs spes oppositis. f. 339.
 Quæst. 1. Quid, quale quæ peccatum sit præsumptio? Ibid.
 Quæst. 2. Quid sit desperatio? f. 401.
 Quæst. 3. & ultim. An casu, quo Deus alicui revelaret suam
 æternam damnationem, posset talis homo licet desperare
 de sua salute? f. 404.
 Sect. 1. An Deus possit alicui revelare suam æternā damnationē? Ibid.
 Sect. 2. Quid in hoc casu talis homo facere posset, & deberet? f. 411.
 TRACTAT. VI. De charitate theologica. f. 422.
 Disput. 1. de Charitate habituali. Ibid.
 Quæst. 1. An sit, & quid sit charitas habitualis theologica? Ibid.
 Quæst. 2. An præter charitatem infusam adiutenda sit chari-
 tas

- tas acquisita nostris actibus? f. 427.
 Quæst. 3. Ad quid requiritur habitus infusus charitatis? f. 438.
 Quæst. 4. An charitas sit perfectissima virtus, forma quæ alia-
 rum virtutum? f. 441.
 Quæst. 5. An inter Deum, & homines detur vera, & mutua
 amicitia; & hæc sit Charitas? f. 446.
 Quæst. 6. In qua solvuntur difficultates de augmento, & dimi-
 nutione charitatis habitualis. f. 453.
 Quæst. 7. & ultim. An gratia, & charitas creata forma-
 liter ex natura rei distinguantur? f. 461.
 Notantur aliquæ difficultates huius disputationis alibi iam
 discussæ. f. 466.
 Disput. 2. de charitate divina actuali. f. 467.
 Quæst. 1. Quid, quotuplex quæ sit charitas actualis? Ibid.
 Quæst. 2. An eodem actu charitatis, quo diligitur Deus, dili-
 gatur & proximus? f. 469.
 Quæst. 3. An actus charitatis viæ, & Patriæ specificè distinguan-
 tur? f. 478.
 Disput. 3. ee obiecto tām formali, qām materiali charitatis. f. 486.
 Quæst. 1. Quodnam sit obiectum formale motivum charita-
 tis Theologicæ. Ibid.
 Quæst. 2. Quodnam sit obiectum materiale tām primarium,
 quam secundarium charitatis? f. 500.
 Quæst. 3. An sit; qualis quæ sit ordo servandus inter obiecta
 materialia charitatis; f. 504.
 Disput. 4. De præcepto Charitatis. f. 508.
 Quæst. 1. An ex præcepto speciali charitatis Deus diligendus
 sit super omnia; & quando; Ibid.
 Quæst. 2. An, & quale præcepit detur diligendi prox-
 inum, maximè inimicos? f. 520.
 Disput. 5. & ultim. De vitijs, & peccatis contra charita-
 tem. f. 524.
 Quæst. 1. An sit possibile odium Dei? Ibid.
 Quæst. 2. An omne odium proximi sit peccatum? f. 527.
 Quæst. 3. & ultim. de alijs vitijs charitati oppositis. f. 530.
 TRACTAT. VII. & ultim. De Virtutibus Moralibus, &
 Doris. f. 536.
 Disputat. 1. de virtutibus moralibus in communi.
 Ibid.
 Quæst.

- Quæst. 1. Quid, quotplex què sit virtus moralis, & in quo formaliter consistat? Ibid.
- Quæst. 2. An virtutes morales consistant in medio, & quomodo? f. 542.
- Quæst. 3. An virtus aliqua moralis sit ponenda in appetitu sensitivo, vel omnes sint in intellectu, & voluntate? f. 547.
- Quæst. 4. An virtutes morales sint per se insufflæ? f. 555.
- Quæst. 5. Quomodo virtutes morales sint connexæ tam inter se, quam cum Theologicis: & etiam cum Prudentia? f. 563.
- Disput. 2. de virtutibus Cardinalibus in particulari. f. 574.
- Quæst. 1. Quot sit virtutes Cardinales? Ibid.
- Quæst. 2. In qua agitur de Prudentia, prima virtute. f. 576.
- Quæst. 3. In qua de Iustitia prima virtute appetitiva agitur. f. 591.
- Quæst. 4. Proponuntur difficultates virtutis fortitudinis. f. 602.
- Quæst. 5. de virtute Temperantie. f. 609.
- Quæst. 6. & ultim, An Dona, & Fructus Spiritus Sanct. at què etiam Beatitudines sint habitus distincti à virtutibus Theologicis, & moralibus. f. 615.

FINIS INDICIS, ET OPERIS.

HIMS INDUSTRIE ET OPERIS.




- Ques. 1. Qui, d'après quelles causes mortales il meurt ?
Réponse : Les causes mortales sont les suivantes :
1. Maladie. 2. Au exercice de son métier. 3. Accidents de la vie.
4. Guerre. 5. Au exercice de son métier. 6. Accidents de la vie.
7. Maladie. 8. Au exercice de son métier. 9. Accidents de la vie.
10. Guerre. 11. Maladie. 12. Au exercice de son métier. 13. Accidents de la vie.
14. Guerre. 15. Maladie. 16. Au exercice de son métier. 17. Accidents de la vie.
18. Guerre. 19. Maladie. 20. Au exercice de son métier. 21. Accidents de la vie.
22. Guerre. 23. Maladie. 24. Au exercice de son métier. 25. Accidents de la vie.
26. Guerre. 27. Maladie. 28. Au exercice de son métier. 29. Accidents de la vie.
30. Guerre. 31. Maladie. 32. Au exercice de son métier. 33. Accidents de la vie.
34. Guerre. 35. Maladie. 36. Au exercice de son métier. 37. Accidents de la vie.
38. Guerre. 39. Maladie. 40. Au exercice de son métier. 41. Accidents de la vie.
42. Guerre. 43. Maladie. 44. Au exercice de son métier. 45. Accidents de la vie.
46. Guerre. 47. Maladie. 48. Au exercice de son métier. 49. Accidents de la vie.
50. Guerre. 51. Maladie. 52. Au exercice de son métier. 53. Accidents de la vie.
54. Guerre. 55. Maladie. 56. Au exercice de son métier. 57. Accidents de la vie.
58. Guerre. 59. Maladie. 60. Au exercice de son métier. 61. Accidents de la vie.
62. Guerre. 63. Maladie. 64. Au exercice de son métier. 65. Accidents de la vie.
66. Guerre. 67. Maladie. 68. Au exercice de son métier. 69. Accidents de la vie.
69. Guerre. 70. Maladie. 71. Au exercice de son métier. 72. Accidents de la vie.
73. Guerre. 74. Maladie. 75. Au exercice de son métier. 76. Accidents de la vie.
77. Guerre. 78. Maladie. 79. Au exercice de son métier. 80. Accidents de la vie.
81. Guerre. 82. Maladie. 83. Au exercice de son métier. 84. Accidents de la vie.
85. Guerre. 86. Maladie. 87. Au exercice de son métier. 88. Accidents de la vie.
89. Guerre. 90. Maladie. 91. Au exercice de son métier. 92. Accidents de la vie.
93. Guerre. 94. Maladie. 95. Au exercice de son métier. 96. Accidents de la vie.
97. Guerre. 98. Maladie. 99. Au exercice de son métier. 100. Accidents de la vie.









س

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م

ل

م